SUPPLEMENTUM

ANALECTORUM

TERRAE SCEPUSIENSIS

PARS II.

DIPLOMATA CAESARUM REGUMQUE HUNGARIAE AC POLONIAE, TUM ILLUST. PRAEPOSITORUM, SUPREMORUMQUE SCEPUSII COMITUM, NECNON ITA DICTORUM LANDGRAFFIORUM PROVINCIAE SCEPUSIENSIS ATQUE VEN. CAPITULI PRIVILEGIALES LITERAS, ALIA DENIQVE LITERALIA ARCIS LUBLO CAPITANEORUM MONUMENTA AD NOTITIAM SCEPUSII FACIENTIA.

COLLEGIT
ET BREVIBUS NOTIS ILLUSTRAVIT
MICHAEL SCHMAUK
REGIO-CAMERALIS OPPIDI MATTHAEIVILLAE, UNIUS E XVI. SCEPUSIENSIBUS, PAROCHUS.

1806.

SZEPESVÁRALJAE
TYPIS TYPOGRAPHIAE EPISCOPALIS
1889.

SUPPLEMENTUM ANALECTORUM

TERRAE SCEPUSIENSIS.

PARS SECUNDA.

CURA ET IMPENSIS

EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

GEORGII CSÁSZKA

DEI ET

APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPI SCEPUSIENSIS,

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTIS,
SUÆ SANCTITATIS SUMMI PONTIFICIS PRÆLATI DOMESTICI,
S. CÆS. ET REGIÆ AP. MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI STATUS CONSILIARII,
INS. ORDINIS CORONÆ FERREÆ I. CLASSIS ET ORDINIS HIEROSOLYMITANI S. S. SEPULCHRI MAGNÆ CRUCIS EQUITIS, COMITIS ROMANI,
PRÆSIDIS SOCIETATIS HISTORICÆ COMITATUS SCEPUSIENSIS.
ETC. ETC.

Benevole Lector!

SI quid laudis eos semper nactos esse censemus, qui humano generi gratos se ac utiles exhibituri; res maiorum gestas notant, quas veteres iure dixerunt esse oportere magistram vitae, veritatis item lucem: indubium est pleno laudis suffragio prosequi nos debere tales, qui laboribus ingentibus ac fatigiis nuspiam parcentes, molem documentorum authenticorum unde historici scientiarum suarum hauriant thesauros, concinne collegerunt.

Et re quidem vera, nam qui in huiusmodi studiorum genus incumbunt, totum item opus totumque laborem ad aliorum necessitates non ope tantum et consilio iuvandas, verum etiam argumentis et auctoritate firmandas impendunt: illi ius quoddam animos aliorum devinciendi merito quidem sibi vindicare prae caeteris posse creduntur. Idque eo a fortiori, quum et olim et nostris diebus inveniantur non pauci, qui — ut utar verbis Sanctissimi Patris Leonis XIII. in literis ad Eminentissimos S. R. E. Cardinales Antonium de Luca, Joannem Bapt. Pitra et Josephum Hergenroether die 18. Augusti anni 1883 directis, — „machinationibus in torquenda historia hodie quoque dant operam“ ita, „ut si unquam alias, certe hoc tempore illud vere dici possit, artem historicam coniurationem hominum videri adversus veritatem.“ Qui igitur idmodi contraëunt machinationibus et in eruendis ac colligendis e variis tabulariis veritatibus historicis elucent, et nostram et tardissimorum quoque posterorum iure poscere possunt venerationem.

Neque ius hoc praetendendae gratitudinis in suo quodpiam patitur detrimentum pretio, seu agatur de rebus universalis, seu specialis et ita dictae particularis historiae; omnis enim universitas e multis exsurgit unitatibus. Ut adeo profecto plenis ornentur non secus ac celebrentur encomiis authores illi quoque, qui in particularibus ac specialibus, signanter veteribus iam notae terrae Scepusiensis fata suis signantes literis, magistros se nobis praebuerunt, a quibus discamus: quas inter vicissitudines prosperas aeque ac adversas creverit servatumve sit Scepusium.

Praeivit pulcherimo exemplo in condendis Analectis Scepusiensibus Carolus Wagner Societatis Jesu sacerdos et s. Theologiae in Universitate Tyrnaviensi Doctor, opus suum dividens in partes quatuor.

„Pars I. Analectorum Scepusii Sacri et Profani complectens Bullas Pontificum, Caesarum, regumque Diplomata, Illustrium virorum Epistolas, aliaque monumenta literaria ad notitiam Scepusii facientia. Typis Joannis Thomae Nobil. de Trattnern Sacr. Caes. Reg. aulae typographi et bibliopolae Wiennae 1773.“ edita complectitur sequentes 11 §-os.

§. I. Complectitur Instrumenta Publica Congressum, Faederum, aliorumque Tractatuum inter Reges Hungariae, et Poloniae in Scepusio olim initorum. pag. 1. — II. Diplomata et literas ad Scepusium universum pertinentes. pag. 24. — Diplomata arcis Scepus, fata, et Vicissitudines Continentia. pag. 34. — IV. Diplomata res Urbis Kesmarkiensis illustrantia. pag. 48. — V. Diplomata res Urbis Leutschovienses pariter illustrantia. Accedunt Leges Sodalitii sanctissimi Corporis Christi. Anno 1402 ea in Urbe instituti. pag. 80. — VI. Diplomata Nobilitatis Scepusiensis vetustatem, praeclara facta, remunerationes Regias, Tabulas supremae voluntatis, et Cetera id genus exhibentia. pag. 102. — X. Diplomata Oppidorum Scepusiensium. Ubi de Saxonibus, eorum Conditoribus, locis metallicis, aliisque arcibus et oppidis, quae pignoris tenebant Poloni. Accedit Jus municipiale, quo olim Saxones Scepusienses utebantur. pag. 188. — VIII. Diplomata pertinentia ad Parochos et Ecclesias Parochiales in Scepusio. pag. 262. — IX. Diplomata rebus Praeposituraе, et Capituli S. Martini lucem affundentia. pag. 293. — X. Diplomata, Religiosorum Ordinum, qui olim in Scepusio floruerunt, orta incrementa et occasum exhibentia. pag. 398. — XI. Diplomata orginem et incrementa nonnullarum Villarum in Scepusio indicantia. pag. 442

Pars II-a in praenominati typographia a. 1774.-o edita sequentibus XV §§-is absolvitur.

§. 1. Excerpta ex Chronicis Scepus, seu Leutschoviensibus, quae inde a Vetustissimis temporibus usque ad Annum 1680. producuntur. pag. 1. — II. Selecta ex Chronicis Leibitzerianis. pag. 46. — III. Anonymi Cartusiani fundatio Lapidis Refugii seu historia Monasterii B. Joannis Bapt. pag. 69. — IV. Breve Necrologium Scepusiense. pag. 80. — V. Fragmenta Scepus. Seculi XV. ex Histor. Polon. Joannis Dlugossi excerpta. pag. 84. — VI. Urbis Kesmarkiensis ab Anno 1433. ad 1547. Memorabilia a Scribis publicis ejusdem Urbis adnotata. pag. 104. — VII. Antonii Bonfinii Congressus Regum Hungariae et Poloniae Leutschoviae Anno 1494. celebratus. pag. 113. — VIII. Excerpta ex Jodoci Ludovici Decii L. III. de Nuptiis et morte Barbarae de Zapolia Reginae Poloniae. pag. 122. — IX. Conradi Sperfogel Senatoris et Judicis Leutschoviensis Annales contracti Scepusienses ab Anno Christi 1516. ad 1537. pag. 129. — X. Synopsis Rerum Scepusiensium Seculi XVI. quas Seniores Fraternitatis XXIV. *Regalium Parochorum literis consignarunt. pag. 189. — XI. Excerpta Historica ex Visitationibus Praeposituraе, Capituli et Paraeciarum Scepusiensium. pag. 278. — XII. Georgii Molleri*) brevis narratio de mutatione dominorum Urbis Kesmark. pag. 293. — XIII. Anonymi relatio Historica, quomodo Dominium Civitatis Kesmark a Laszkio in Rueberum, ab hoc in Tökelium derivatum sit. pag. 296. — XIV. Hungarici seu Daciani Simplicissimi peregrinatio Scepus. cum descriptione praecipuorum locorum et montium Carpaticorum. — XV. Infrascriptiones Templorum Scepusiensium. pag. 332.*

Notandum, utramque partem Josepho Carolo Zbissko de Kis-Kolacsin Episcopo Tinniniensi, Praeposito Scepus (ab a. 1755—1774. 10. Maii) fuisse dedicatam.

Pars III-a IX. §§-os numerat et quidem:

§. I. Series Praepositorum Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Martini de Scepusio ad nostram usque aetatem perducta. pag. 1. — II. Series Praepositorum S. Nicolai

---

*) Ratione habita nominis proprii „Moller" apud diversos authores diversissimo equidem modo scripti, quum in Analectis pluribus in locis ejus mentio fiat, observandum censemus, ipsum in suo Testamento Leutschoviae die XIII-a Julii a. 1558 condito et in Archivo Ecclesiae Aug. Confess. custodito, sequenti modo subscriptum cerni posse: „Ego Georgius **Molitor** manu propria licet valde tremula subscripsi." Ipsum etiam sub nomine „Molner" occurere, testis una originalis epistola in Archivo Civitatis Leutschoviensis asservata et prae nostris manibus habita.

Episcopi, et Confessoris de Landek, Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulchri Dominici Hierosolymitani. pag. 144. — III. Series Abbatum Beatae Mariae Virginis de Scepus, seu de Schevnyk aut Schavnik Ordinis Cisterciensis. pag. 151. — IV. Series Praeceptorum Ordinis Cruciferorum S. Antonii Abbatis de Darôcz. pag. 163. — V. Series Priorum de Lechnitz, seu de Valle S. Antonii Ordinis Carthusianorum. pag. 173. — VI. Series Supremorum Comitum Comitatus Scepusiensis, inde a remotissimis temporibus usque ad nostra deducta. pag. 195. — VII. Series Vice-Comitum Comitatus Scepusiensis. — VIII. Series Comitum, seu Graffiorum Saxonum Terrae Scepusiensis, XXIV. Regalibus Oppidis praefectorum. pag. 248. — IX. Series Capitaneorum Lubloviensium, qui XIII. Oppidis Scepusiensibus praeerant.

Pars IV-a IV §§-os refert — uti:

§. I. Genealogia Familiae de Zapolya, quae titulo Perpetuorum Comitum Scepusiensium usa est. pag. 1. — Eiusdem Familiae Assertiones et Explanationes Tabellae genealogicae pag. 6.— II. Genealogia Familiae Thurzo de Bethlemfalva, quae itidem titulo Perpetuorum Comitum Scepusiensium usa est. pag. 46.— Eiusdem Assertiones et Explanationes Tabellae genealogicae pag. 61. — III. Genealogia Familiae Tököli de Késmark pag. 155. Eiusdem Assertiones et Explanationes Tabellae genealogicae pag. 160. — IX. Fragmentum genealogicum Familiae Warkotsch de Nobschütz. pag. 209.

Duae hae „ultimae partes“ nemini dedicatae Posonii et Cassoviae sumptibus Joannis Michaelis Landerer typographi et bibliopolae a. 1778-o prodierunt.

Quoniam Carolus Wagner nec omnia documenta nec res cunctas scitu necessarias suo complexus est opere; defectui huic occursurus Joannes Bárdossy Reg. Mai. Gymnasii Leutschoviensis Director ac inclyti Comitatus Scepusiensis ad Tabulam Judiciariam Assessor, — auxiliares sibi manus praebente Michaele Schmauk, oppidi Matthaeivilla unius e XVI. oppidis Scepusiensibus Parocho, — edidit Leutschoviae anno 1802. typis Michaelis Podhoránszky de eadem in 3000. exemplaribus Supplementorum ad Analecta C. Wagner partem primam, quae ceu totius operis quinta censenda est et sequentia exhibet diplomata. Ex saeculo XI-o 1, XII-o 1, XIII-o

108; licet specificatorum diplomatum plura jam in I-a Parte Analectorum Scepusii Sacri et Profani, per Wagner editorum recenseantur et parte hacce solummodo rectificantur.[a)]

Etsi vero praelaudati viri eruditione ac rerum ad terram Scepusiensem attinentium peritia omnino conspicui nullum reformidaverunt laborem ad opus suum quo perfectius reddendum, sicque laudem gratesque Scepusiensium maximas pleno mereantur iure: nihilominus quod praestiterant, omni numero absolutum haud esse, agnovit Michael Schmauk — cuius laus iam in prima parte Supplementorum ad Analecta Scepus. authoris Bárdossy, — qui proin operi coronam daturus incredibili labore adornavit complementi instar ad praeteritas rerum Scepusiensium quinque partes, partem sextam, ceu Supplementorum partem secundam.

Parato et iamiam prelo submittendo opere, Michael Schmauk **„Nuncium"** dedit ad inclytum Publicum ddto 29. Septembris anni 1806. quo „ad promotionem" ut ait laboris sui claros quaerit Maecenates. Nuntii huius primi Leutschoviae in Typographia Josephi Caroli Mayer R. P. Typ. impressi, tenor est sequens:

> **Nuntium.** Fidem, quam Inclyto, pluriumque erudito Publico adhuc anno 1802. dedi, altera Operis Parte: *Supplementum Analectorum Terrae Scepusiensis* titulata, liberare contendo. In hac Regum Hungariae 96. Poloniae 55, Ducum Scepusii, deque Sáros 6. Comitum de Scepus cum Palatinali 13. Saxonum item Scepusiensium 12. Capitaneorum Lubloviensium, qui una XIII. Oppidorum

---

a) In quantum jam in primae partis redactione praecipuas Michael Schmauk penes Joannem Bárdossy teneat partes, apparet ex epistola Michaelis Schmauck ad Patriotam Wiennam missa in qua dicit: „Et quia Pars I. in 3000 exemplaribus excusa est Leutschoviae, quorum maxima pars d o m i apud m e h a e r e t, dispersa vero hinc inde est in exemplaribus supra mille, e quibus infeliciter nec quartam partem fructuum recepi; hinc deberet et altera haec pars in totidem exemplaribus imprimi et extradari. Ideo in hanc rem necessarium erit inire calculum, quantum proelum, chartaque in summa, quantum totum constaret cum aliis expensis. Pro parte hac II. sum equidem 180 in charta consecutus Praenumeratores. Quum itaque ad gratiosum usque responsum ad praeexposita, **„Nuncium"** nempe, et alia horsum spectantia, diferre necessum est, rogando enixe, me super singulis genuine et amicabiliter informare dignetur, ut statum expensarum cognitum habeam, neque cum hac II. Parte ita impingam, prout cum I. mihi evenit. Si isthaec Pars feliciter cesserit, Partem III. jam purisari curo, quae antelato A. 1806 perinde in uno Involucro inserta Censuram suam subiit et aprobata fuit. . . . Die 5-a Januarii 1821, servus humillimus Patriota M. Schmauk. Parochus Montis S. Georgii, ni fallor aliqua affinitate conjunctus.

Starostae erant 7. Scultetorum 5. Archi et Episcoporum 4. Praepositorum et Vicariorum Capituli Scepus 11. Abbatum de Schawnik. 2. tum Capitularia diversi generis Rescripta 38. omnia et fere singula aut emendata ex ipsis autographis, genuinisque Transumptis, ad illustrationem Historiae Patriae plurimum deservientia insignia Diplomata continentur. Ex nonnullis horum libebit non tantum certarum Nobilium Familiarum Origines cognoscere, verum una etiam assequi, quas istae aut illae olim impopulationes aut per semetipsas, aut alios ad hoc destinatos fecerint, quibusve sub indultis. Innotescent porro singulares praerogativae, quas XXIV. Regalium Civitatum Saxones primitus a Regibus Hungariae acceperunt, quandove et qualiter illae a Regibus Poloniae, semel impignoratis Civitatibus, auctae fuerunt. Non minus, quam eximiam Comites Saxonum, vulgo Landgraffii dicti, praerogativam, auctoritatemque tam in regendis Lubloviensibus ac XIII. Civitatibus, quam in earundem Bonis manutenendis, et conservandis habuerint atque universas forenses causas diremerint; qua deinde potestate ipsorum immediati Successores Lublovienses Capitanei utrumque Districtum moderati fuerint. Ne vero hocce Opus in volumen adcrescat, aut taedium legentibus pariat, subiunxi nonnullis Diplomatibus succinctas duntaxat observationes. Ut adeo sperare possim, claros Maecenates ad promotionem istius Partis II. aeque non defuturos. Dabam in Ædibus Parochialibus in Oppido Matthaeivilla uno ex hodiernis XVI. Scepusiensibus die 29. Septembris Anno Domini 1806. Totus Inclyto Publico devotus Author *Michael Schmauk* Matthaeivillensis Parochus mp.

Ast ob tristia rerum et temporum, teste historia, adiuncta „**Nuntium**“ Michaelis Schmauk optato nequaquam coronatum est effectu; ipse author fatetur se 180 tantum consecutum fuisse in charta Praenumeratores; imo et causam assignat dum ait: „Mirum attamen non est, adeo paucos prodivisse, nam anno 1805 jam Germania turbas progenuit et Hungaria ob invasionem Bonapartianam ad Jaurinum 1806 jam consistentem contremuit.“

Pluribus elapsis annis equidem a. 1821 praevium repetivit „**Nuncium**“, quod inter manuscripta impressionem II-ae Partis concernentia in scripto deprehensum sonat sequenti modo:

„Supplementum Analectorum Terrae Scepusiensis“ novis literalibus Instrumentis provisum, Partem II. efficiens; post superatam Budae ad-

huc Anno 1806 debitam sui Censuram per DD. Josephum Beresevich ad Excel. Consil. R. L. Hung. actualem Librorum Revisorem, cum approbatione „*ut imprimatur*“ ad me infrascriptum sub 13. Julii dicti anni remissum, „Nuncio“ sub 29 Septembris ad diversas disperso partes tentavi, pro ejusdem impressione gratiosos Maecenates sollicitare ; ea ob exiguos DD. Praenumerantes, causa belli Gallici non succedente, impressio illius adusque adhaerere debuit viribus per Partem I. exhaustus.

Quia autem per claros utriusque Reipublicae, atque Illustrissimos Viros ad reassumendam a tabula remissam manum stimulor, ne magno labore congesto Vulcano successive sacrentur, praevium repeto „**Nuncium**“, demisse comendando, illud clarissimis in omni genere DD. Maecenatibus. Et cum Pars haec II. in 4-o edenda ultra 30 philiras in se complectetur, munitaque esset complurium Regum Hung. eorumque Ducum, Poloniae item Regum, quantum ad Scepusium spectat, tum A. — Eppor. Strigon. Praepositorum Scepusien. Regni dein Palatinorum, Supremorum Scepusii Comitum, prout et ita olim nominatorum XXIV. Civitatum Scepusiensium Landgraffiorum, et aliis centum Miscellaneis literis, hactenus non editis, per universum statuuntur quatuor Monetales floreni, pro praenumeratione unius exemplaris, causa typi et chartae consistente charistia, non intellecta hic exemplarium transpositione seu portorio. Dabam hoc alterum „**Nuncium**“ in Monte S. Georgii, *(Szepes-Szombat)* uno e XVI. moderni Scepusii oppidis die 6-a Januarii 1821. Totus Inclyto Publico devotus, Michael Schmauk mp. Parochus Monte-Georgensis.“

Ast frustranea et haec fuit spes conatusque inanis. Mortuo ipso (21-a Aprilis, 1823.) Manuscriptum authoris in proprietatem Parochiae Montis S. Georgii, ubi author ultimos qua parochus transegit vitae dies, transivit, et ibi nostra usque ad tempora, non obstantibus pluribus ex parte Alberti Pisch quondam parochi Montis S. Georgii, infrascripti et aliorum, in ephemeridibus et praesusceptis et factis publicationibus provocationibusque et ad Inclytum Publicum et clarissimos Maecenates, oblivioni traditum esse censebatur.

Quominus tamen opus Michaelis Schmauk oblivioni traderetur, ceu Angelus Custos obviam venit artium et scientiarum Patronus munificentissimus, Promotor largissimus, antiquitatum Collector et Custos vigilantissimus, Excellentissimus quippe ac Reverendissimus Dominus **Georgius Császka**, Episcopus Scepusiensis. Maecenas hicce Magnus nunquam immemor verborum Sanctissimi Patris Leonis XIII. in praeallatis literis historiarum studium impense sic urgentis: „Utinam quam plurimi excitarentur veri investigandi cupiditate et inde utilia ad recordationem documenta caperent. Clamat enim quodammodo omnis historia: Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert, — oppugnatores eius deiectos de spe suam sibi perniciem comparavisse." Maecenas inquam hicce Magnus mox ac compertum acceperat custodiri in tabulariis parochiae Montis S. Georgii autographum Michaelis Schmauk, idipsum ne sub modio lateret, verum lucernae instar luceret cunctis qui in atriis rerum historicarum, praecipue Scepusium tangentium lubentes versantur, — prelo subiiciendum decreverat, re imo vera in sexcentis exemplaribus suis impensis imprimi curavit anno 1889. in typographia sua Episcopali Szepesváraljae.

Opus quod iam paratum, pure et ad omnem nitorem Tuis benevole Lector, subiacet oculis, constituit secundam partem Supplementorum ad Analecta terrae Scepusiensis. Ut facilius et lectione et intellectu reddatur studium libri huius, haud superfluum erit monere: Diplomata eodem ordine iisdemque cum lectionibus prout in manuscripto authoris de anno 1806. continentur, redacta typisque esse mandata absque ulla textus seu variatione seu correctione. — Notae seu observationes literis **a. b. c.** etc. signatae ex originali transsumtae sunt manuscripto, asterisco —* — vero munitae e manu subscripti correctoris et typum dirigentis prodiere, sicut et propria avitorum locorum, montium, fluviorum etc. nomina explicantur per eundem, intra parenthesim insertis nunc partim usu diuturno, partim gubernii regnani praecepto, aut saltem indultu probatis nominibus, et praemisso ubique *h.* = hodie.

Quod restat, in votis tenendum est ardentibus, ut opus hoc novum plurima Patriam charam nostram non minus ac perdilectum Scepusium respicientia continens, benevolos eosque copiosos nanciscatur lectores; ut e studio eiusdem augeantur cognitiones, crescat amor historiae genuinae, roboretur et fides in Deum et dilectio in patriam. Hoc si obtentum fuerit, indefessum studium, tum magnanimi et munificentissimi Meacenatis honorabitur aes impensum. Vale.

Szepes-Váraljae, die 10-a Augusti, 1889.

Josephus Hradszky, m. p.
tit. Praep. Scti Laurentii de Háj,
S. Sedis Consistorialis Scepusiensis Assessor,
Administrator parochiae Szepes-Váraljaensis.

INDEX

CRONOLOGICUS DIPLOMATUM.

ET ALIORUM

DOCUMENTORUM PARTE II. CONTENTORUM.

SAECULI XI.

Annus | I. | pag.

1094 Ladislaus (Sanctus) Hungariae Rex, Nicolao filio Nicolai admittit, pro utilitate Regni Castrum construere. --- --- --- --- --- --- --- --- --- --- --- --- --- 3

SAECULI XII.

II.

1198 Emericus Hungariae Rex erga Jobi Archi-Episcopi Strigoniensis orationem Marco Botizii Patri, innovat privilegia. --- --- --- --- --- --- --- --- --- --- 3

* Licet praespecificatum documentum a pluribus historiographis pro apocrypho plurimum hisce ex causis habeatur, quod neque nomina ecclesiasticorum et secularium dignitariorum genuinis documentis huius temporis inscribi solita occurrant, neque stilus documenti prajacentis cum stilo documentorum sub Emerico rege publicatorum concordet, nihilominus aductionem huius documenti pro consulto et rato censuimus, ne hac in parte ignorantia arguamur, quum Michael Kayser auctor „Compendii Historiae Familiae Máriássy de Marcusfalva." 1803 Posonii in 4-to pag. 19; ab eodem auctore eodem anno in 8-vo editi pag. 27; dein Ladislaus Bartholomaeides Inclyti — — — Comitatus Gömöriensis Notitia etc. Leutschoviae 1806—1808 pag. 157. et Fejér Codex Diplomaticus. II. Budae. 1829. pag. 343—344 — illud qua Emerici Regis adducant.

SAECULI XIII.

Annus		pag.
	III.	
1224	Andreas II. Hungariae Rex Saxonibus aliisque Teutonicis, Transsylvaniam incolentibus singulares immunitates confert.	4
	IV.	
1229	Colomanus Rex Halitiae ac Dux Sclavoniae, certo Don et Mathiae terram quatuor aratrorum in Scepusio assignari curat.	7
	V.	
1256	Bela IV. Hungariae Rex confert quandam terram in Secek certo File.	8
	VI.	
1256	Idem Rex, Hotin, Henth etc. Nobilibus terram Zud assignari curat per Comitem Dubak.	9
	VII.	
1268	Bela, Dux Sclavoniae etc. Demetrio in signum opprobrii partem capitis radi curat.	10
	VIII.	
1269	Bela IV. Hungariae Rex, Hospitibus de Késmark liberam Judicis electionem, liberum item forum ac Ecclesiam cum libera Decima habere admittit.	10
	IX.	
1275	Ladislaus IV. (Chunus seu K*h*ún-László) Hungariae Rex Comiti Botyz Villam Zalong et Matthaei, ob expulsum e Castro Scepus Rolandum, confert.	12
	X.	
1277	Henno Comes Saxonum, cum Rolandino Comite Scepusiensi exortam inter populos Ecclesiae Scepus, ac Rusquinenses Saxones litem componit	14
	XI.	
1280	Elisabetha Regina Hungariae donationem Terrarum, a Colomano et Bela circa Villam Thamasfalvam factam, confirmat.	15
	XII.	
1290	Comes Joannes, Frater Botyz, Pecoldo de Gölnicz scultetiam in Villa Wagendrüssel pro inducendis in Nemus populis cum 20 annorum libertate atque libera Ecclesia confert.	16

Annus XIII. pag.

1292 Frolingus, Judex Felkensis, cum Matthaeivillensi Gotschalko coram Helbrando Saxonum Landgraffio, controversiam ratione Chetene exortam componunt. 17

XIV.

1294 Helebrandus, Comes Saxonum, ad petitionem Leibicziensium civium, Baldi Comitis metales literas conscribit. 18

XV.

1294 Baldus, Comes Scepusiensis ordinat, ut Paulus de Quintoforo annue tria auri pondera pro sua terra solvat. 19

XVI.

1295 Andreas III. Hungariae Rex Baldi literas confirmat. 20

SAECULI XIV.

XVII.

1301 Carolus I. Hungariae Rex, Jones Episcopo Cracoviensi, ejusdemque Successoribus Castrum Ploche cum omnibus attinentiis, ac singularibus libertatibus confert in perpetuum. 21

XVIII.

1303 Hydenricus Scultetus de Podolin, Hildegundi sorori suae scultetiam in haereditate sua Rauschembach sub certis conditionibus cedit, extirpantibusque sylvam concedit aedificare Ecclesiam cum mediis Decimis ac libera electione Plebani. 23

XIX.

1307 Carolus Hungariae Rex, Magistro Kokos, filio Comitis Rycolphi, in obsidione Castri Scepusiensis vulnerato, possessionem suam, Ever vocatam, cum omnibus suis utilitatibus in perpetuum donat. 25

XX.

1307 Stephanus Comes Saxonum exortas inter gentem Berzeviczianam et Görgeyianam simultes, ad fratricidium usque deventas, amica ordinatione componit. 26

XXI.

1308 Nicolaus filius Comitis Botiz cum suis fratribus curat transcribi literas super haereditate ipsorum Chetena. 28

Annus pag.

XXII.

1308 Privilegiales Oppidi Matthaeivilla super emptione quorundam agrorum a Comite Rycolpho. ... 29

XXIII.

1308 Wladislaus, Dux Cracoviae, Cmetones Religiosorum Cisterciensium a Judicio Palatinali, eximit. ... 30

XXIV.

1308 Magister Kokoss Chiderico nemus confert, ad novam circa Dunajecz plantationem instituendam cum libera Ecclesiae Decima. ... 31

XXV.

1310 Fassio Stephani, Comitis Saxonum de Scepus, super facta cum Fratribus suis possessionum divisione. ... 32

XXVI.

1310 Literae metales Possessionis Rokus et Oppidi Bela. ... 33

XXVII.

1311 Literae metales Olasziensium, et possessionis Sygra, respective particulae terrae Rudno appellatae. ... 35

XXVIII.

1311 Thomas I. Archiepiscopus Strigoniensis Jacobo Praeposito de Scepus Decimarum Markusfalvensi Ecclesiae factam collationem, ratihabet. ... 37

XXIX.

1312 Carolus Hungariae Rex, donationem possessionis Görgő Stephano Comiti Saxonum et Arnoldo denuo confirmat. ... 37

XXX.

1312 Idem Rex, (Carolus) ad Supplicationem Stephani Comitis Saxonum de Scepus, libertates eorundem Saxonum ante habitas, confirmat. ... 39

XXXI.

1314 Stephanus Comes Saxonum Ladislai IV. Hungariae Regis privilegiales ob viarum discrimina transcribi curat. ... 43

XXXII.

1314 Christianus filius Filo, Belae IV. Regis privilegium curat rescribi. ... 44

Annus pag.

XXXIII.

1315 Nicolaus Comes de Lublo, certo Sculteto Nicolao de Petri villa silvam extirpari, ac in eadem villam Hophgart cum plenis, et liberis Decimis pro Ecclesia, erigi admittit. ... 44

XXXIV.

1317 Gerlacus Comes cum filiis suis portionem suam possessionariam, Thamasfalvae habitam, Quintoforensibus pro 153. Marcis denariorum Regalium perennaliter vendit. ... 46

XXXV.

1317 Carolus Hungariae Rex, Comiti Bethleem promittit, fore eidem omnes reddendas possessiones a Matthaeo Trenchiniensi occupatas. ... 48

XXXVI.

1317 Idem Rex, Stephano Comiti Saxonum etc. in recompensationem servitiorum, manutentionem in possessionibus promittit. ... 48

XXXVII.

1318 Philippus, Comes de Scepus, et de Ujvár, Villam S. Nicolai statuit filiis Bethleem, ipsorumque haeredibus in perpetuum. ... 49

XXXVIII.

1319 Compositio litis, ratione metarum Répás inter Henricum, Praepositum de Scepus, et Stephanum, Comitem Provincialem obortae. ... 51

XXXIX.

1321 Privilegium super metarum, possessionum Sygra, Szent-Margytha, Olsawicza Blassinowpataka, reambulatione. ... 51

XL.

1322 Philippus Drugeth, Comes de Scepus et Ujvár, Stephano de Parva-Lomnicz colonos in suam silvam inducere cum liberis decimis et nonis liberaque Parochi electioni admittit. ... 55

XLI.

1322 Carolus Hungariae Rex, privilegium Andreae Regis, quo mediante silvam Jacobo Praeposito Scepusiensi, ac ejusdem Capitulo donavit, confirmat ... 57

XLII.

1323 Philippus Drugeth de Homona, ad mandatum Caroli Regis Stephani Comiti Saxonum etc. turbine belli possessiones occupatas, confestim reddere jubet. ... 59

Annus		pag.
	XLIII.	
1323	Metales literae Castrorum Lublo et Palocha.	61
	XLIV.	
1326	Nicolaus Kun cum fratribus suis alteri Nicolao indulget, sub certis libertatibus, libera item Ecclesiae decima et electione Plebani, in suam silvam inducere populos.	63
	XLV.	
1326	Jula Comes Saxonum de Scepus, litem inter Quillermum Abbatem de Schawnik et Popradienses oppidanos, causa Altznoviensium exortam, pacifice componit.	66
	XLVI.	
1326	Idem Jula amicam super Alcznow initam compositionem confirmat.	67
	XLVII.	
1326	Literae metales Possessionum Lompnicza (Nagy-Lomnicz), Zabsfalva et Martzinfalva.	68
	XLVIII.	
1328	Willermus, Comes de Scepus et Ujvár occupata bona reddit Mariassianis. ...	70
	XLIX.	
1328	König Karl I. bestätiget auf das Bitten des Grafen Jula den Zipser-Sachsen ihre Freyheiten.	71
	L.	
1328	Idem Rex confirmat venditionem portionis possessionariae, quam Comes Gerlacus Thamasii habuit, et cum concensu filiorum suorum Quintoforensibus perennaliter vendidit.	72
	LI.	
1329	Idem Rex jubet Edustornya magistro Petro Gallico Vice-Castellano de Scepus et Lublo cum adpertinentiis statui.	74
	LII.	
1329	Willermus Comes de Scepus et Ujwár, scultetiam ad Castrum Lublo spectantem, cuidam Nicolao confert.	77
	LIII.	
1330	Carolus Hungariae Rex, ordinat, ut Quintoforenses a solo terrestri ipsorum Judice judicenter.	78

Annus	LIV.	pag.
1330	Joannes, Abbas Schawnikiensis Caroli et Andreae Regum privilegia ad instantiam Thomae, Canonici Scepusiensis rescribit.	79

LV.

1331	Menhardus Plebanus de Villa Svevi privilegiales super haereditate Chetena de novo curat rescribi.	80

LVI.

133$^{2}/_{8}$	Carolus Hungariae Rex, Capitulo Scepusiensi mandat, ut Szomolnokiensibus circumcirca terram duorum milliarum assignet.	81

LVII.

1334	Casimirus Rex Poloniae confirmat Martino Scultetiam in Szafflar, quam Zbigneus Praepositus Cracoviensis eidem donaverat.	87

LVIII.

1335	Carolus Rex Hungariae Edustornyam tangens privilegium confirmat.	88

LIX.

1337	Idem Rex (Carolus) magistro Ricolpho silvam Mussinafeő, ob praeclara merita perpetuo confert.	89

LX.

1343	Ludovicus I. Hungariae Rex, Podolinum ad statum liberorum civitatum evectum, a Jurisdictione Comitum Parochialium et Castellanorum de Lublo eximit.	91

LXI.

1343	Joannes filius Urbani, rectam possessionum suarum medietatem, in Villa Urban habitam, Jordano filio aeque Urbani, pro media octava marca grossorum denariorum Scepusiensium vendit.	92

LXII.

1343	Literae Compositionales inter Paulum, Mathiam et Hank de Suchfalva, super habita terra in Pechunyae et Villa Chanta.	93

LXIII.

1344	Ludovicus Hungariae Rex ad supplices Andreae Quintoforensium praehabitas libertates confirmat (1344).	96

LXIV.

	Andreas, Comes Saxonum, eidem Regi supplicat, ne certam terram a Quintoforensibus auferri patiatur.	97

Annus LXV. pag.

1344 Ludovicus I. Rex, filiis Botiz et Marci liberam tribuit facultatem, in propriis eorundem possessionibus fodinas quaerendi, salvis juribus regalibus. ... 98

LXVI.

1344 Idem Rex (Ludovicus I.) Capitulo Scepusiensi committit, ut pro parte Nicolai Budensis Plebani, in Rokus et Nyrer metas reambulet. 99

LXVII.

1347 Fassionales super divisione bonorum per J. familiam Görgő inita. 99

LXVIII.

1349 Wolmarus Plebanus Quintoforensis per modum testamenti fatetur, quae, qualiave adfiliata Ecclesiae loca, praestare teneantur. 101

LXIX.

1351 Fassio perennalis Dominae Margith filiae Kosa, filii Detrici de Villa Canis, intuitu haereditariae possessionis suae in Micheleth habitae ac venditae. 104

LXX

1351 Hermanus de Sperndorff possessionem suam eidem universitati pro 40. marcis grossorum denariorum Scepusiensium vendit. 105

LXXI.

1352 Ludovicus Hungariae Rex, Lubloviensibus singularia impertitur privilegia, eorumque villam in civitatem evehit. 107

LXXII.

1352 Responsoriae Capituli Scepus ad literas Stephani, Ducis Scepus et Sárosiensis. 109

LXXIII.

1352 Nicolaus, Praepositus Scepusiensis, exortas inter se, ac Saxonum Comitem ejusque Terraneos controversias componit pacifice. 110

LXXIV.

1353 Ludovicus Hungariae Rex, ad supplices Nicolai Praepositi Scepusiensis rescriptionales ejusdem Capituli literas, rati habet. 113

LXXV.

1353 Henchmannus et Hermannus filii Jordani de Michelethfalva, pro reinventione suorum privilegiorum instant. 115

LXXVI.

1353 Ludovicus Hungariae Rex civitatis Szomolnok privilegia confirmat. 117

Annus LXXVII. pag.

1354 Idem Rex (Ludovicus) metales certi Wynchlo literas confirmat. 119

LXXVIII.

1355 Nicolaus, Praepositus Scepusiensis incolis Crygo (h. Krigh) praescribit, quae deinceps sibi titulo terragii praestare debeant. 121

LXXIX.

1356 Casimirus Rex Poloniae cuidam Petro sculteto suam silvam extirpare, in eaque villam Mala (seu parva) Mussina erigere sub certis immunitatibus concedit. 122

LXXX.

1358 Ludovicus, Hungariae Rex ordinat, ne exercituantes Wagendrüslenses et Stilbachienses rustice tractentur. 123

LXXXI.

1360 Joannes Schurke, Comes Provinciae Scepusiensis venditionem villae Byczir (hodie Lengvard) provinciali sigillo consignat. 125

LXXXII.

1361 Comes Jordanus, civis Podolinensis cum consensu civium medietatem bonorum Comitis Hank filii Julae, Podolinensi Ecclesiae pro conservatione Vicarii inscribit. 126

LXXXIII.

1364 Ludovicus Hungariae Rex, patentes suas literas, Quintoforensibus elargitas, redigit in privilegium. 128

LXXXIV.

1366 Idem Rex (Ludovicus) cuidam Magistro Jacobo suam, in confinio Poloniae sitam silvam, vulgo nigram dictam, pro locatione duarum villarum confert. 129

LXXXV.

1367 Joannes Schurke, Judex Illésfalvensis literas Comitis Saxonum aeque Joannis Schurke rescribi curat. 132

LXXXVI.

1364 Ludovicus Hungariae Rex libertates Quintoforensium denuo confirmat. 133

LXXXVII.

1380 Idem (Ludovicus) una etiam Poloniae Rex liberum Igloviensibus forum die Sabbati celebrare indulget. 134

Annus LXXXVIII. pag.

1380 Idem Rex (Ludovicus) Monte Georgensibus Sabbatale forum concedit. 135

LXXXIX.

1383 Menardus scultetus de Villa Batisii vendit certam terram Coenobio B. M. V. de Stohl, Ordinis S. Benedicti. 136

XC.

1391 Nicolaus Knol scultetus, civitati Podolin pro 1300. florenis suam scultetiam cum adpertinentiis vendit. 137

XCI.

1391 Sigismundus Hungariae Rex attestatur, quosdam Scepusienses Nobiles exercituali contra Turcas expeditioni interfuisse. 139

XCII.

1399 Privilegiales super metarum erectione Villae Latinae. 139

XCIII.

1399 Sigismundus, Hungariae Rex, privilegiales Stephani respective Belae Regis, ad instantiam Késmarkiensium confirmat. 143

XCIV.

1399 Idem Rex (Sigismundus) Késmarkiensium praerogativas itidem confirmat. ... 144

SAECULI XV.

XCV.

1404 Idem Rex (Sigismundus) Villam Kolynfalva unam marcam gravis ponderis sibi inferentem, pro refrigerio animae suae, suorumque parentum, Olasziensi deputat Ecclesiae. 146

XCVI.

1404 Idem Rex (Sigismundus) Podolinensium Privilegium confirmat. 148

XCVII.

1407 Privilegium Ecclesiae Podolinensis super quarta puellari, praedio Kromlow inhaerente. 149

XCVIII.

1407 Literae metales civitatum Montis S. Georgii et Villae Michaelis, Regalium, silvas earundem attinentes. 150

Annus XCIX. pag.

1408 Providus vir Hank, Judex Matthaeivillensis, privilegiales literas rescribi curat. 152

C.

1408 Martinus Danczward, civis Matthaeivillensis, 24. agrorum jugera pro 100 flor. auri Ecclesiae Matthaeivillensi oppignorat. 152

CI.

1409 Sententionales Sacrae Sedis Scepusiensis Super jure Hospitalis Sancti Spiritus de Leibicz. 153

CII.

1409 Sententia Sacrae Sedis Scepusiensis contra contumacem Johannem Hospitalensem S. Spiritus in Leibicz. 161

CIII.

1411 Sigismundus Roman. ac Hung. Rex, Comiti XXIV. civitatum mandat ne jura Kesmarkiensium obturbet. 165

CIV.

1411 Idem Rex intimat Gubernatori Monasterii Schavnik, qualiter Possessionem eorum Stojanfölde cum Primfalva permutaverit. 166

CV.

1411 Idem Rex Terram Stojanfölde Oppido Montis S. Georgii confert, erga annuos 27. auri florenos Leutschoviensibus ratione Primfalva solvendos. 167

CVI.

1411 Georgio Montani statuuntur in Stojanis. 169

CVII.

1411 Simon de Rozgon, Judex Curiae, Metales Oppidi Varalia transcribit. 171

CVIII.

1412 Quietantionales super solutis per Cives Montis S. Georgii 450 flor. pro lapidea domo et Curia Michaelis Hank Stojanfalvensi. 174

CIX.

1412 Sigismundus Roman. ac Hung. Rex Metales Varaliensium literas ratas habet. 175

CX.

1412 Idem Rex ordinat, ne Varalienses in Silva Branisza turbentur a vicinis Nobilibus. 176

*

Annus CXI. pag.

1412 Idem Rex Varalienses a tributo Castri absolvit. ... 176

CXII.

1412 Branda S. S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis concordiam inter Ladislaum Episcopum Tinin. et Comendatorem Abbatiae de Schavnik, ac Nicolaum Plebanum Quintoforensem, intuitu certorum agrorum ac Missarum celebrandarum initam confirmat. ... 178

CXIII.

1412 Idem Rex Villam Gneszdam in Oppidum evehit, insignesque eidem libertates concedit. ... 181

LXIV.

1412 Idem Rex Civitatem Podolin in numerum liberarum Civitatum aggregat condonando una eidem Tricesimae medietatem. ... 183

CXV.

1412 Idem Rex suam Patentem et Capituli Privilegiales super Terra Stojanfelde elargitas literas confirmat. ... 184

CXVI.

1412 Idem Rex possessionem Stojanfalvam Civitati Montis S. Georgii et Primfalvam Monasterio Cisterciensium in Schawnik appropiat et adjudicat, non obstante protestatione Michaelis Hank, suorumve filiorum. ... 187

CXVII.

1412 Literae Metales Silvae Matthaievillensis, a Jacobo Kurgui, Comite Saxonum etc. reambulatae. ... 190

CXVIII.

1412 Metales Literae Civitatis Iglo, cujus Territorium sub Jacobo Rusdorff, Comite Saxonum est reambulatum. (1412). ... 192

CXIX.

1414 Sigismundus Romanorum ac Hungariae Rex Petro Comiti Comitatus Scepusiensis mandat, ut Iglovienses et Montis Sancti Georgii Oppidanos contra Máriássyanos, eorundem Silvas occupare nitentes, strenue defendat. ... 196

CXX.

1414 Wladislaus Rex Poloniae Incolis Civitatis Lublo, bello ac peste attritis, medietatem Telonii per Terram Cracoviensem remittit. ... 197

Annus CXXI. pag.

1416 Literae Palatinales, quibus Belenses Cives ad Judicia evocantur. 198

CXXII.

1417 Stephanus Hover de Lucsivna et Andreas Scolasticus, gravi compulsi necessitate Chetenam pro 300 flor. auri puri, Felkensi Communitati in perpetuum vendunt ac arendant. 204

CXXIII.

1417 Sententionales Capituli Scepus circa controversiam Decimae naturalis a quibusdam agris Plebano Kakas Lomnitzensi denegatae. 206

CXXIV.

1417 Sigismundus Roman. ac Hung. Rex sub poena 3. aureorum flor. silvas et rubeta Civitatis Késmark succidi vetat. 208

CXXV.

1419 Idem Rex Civitatis Késmark privilegia confirmat. 209

CXXVI.

1419 Idem Rex Olasziensium privilegium confirmat. 211

CXXVII.

1419 Idem Romanorum ac Hung. Rex, Cives Leutschovienses, signanter autem eorum Mercatores ab altera Tricesimae medietate relevat. 213

CXXVIII.

1420 Leutschovienses Sigismundi Regis privilegium rescribi curant. 217

CXXIX.

1423 Podolinensis Communitas emit medietatem Judicii et libertatis cum quarta parte Molendini ac nonnullis Macellorum portionibus. 218

CXXX.

1423 Sigismundus Romanorum ac Hungariae Rex binas privilegiales Capituli Scepus literas, Civitatem Podolin tangentes, ratas habet. 219

CXXXI.

1424 Sigismundus Roman. ac Hung. Rex reambulatorias Igloviensium literas confirmat. 221

Annus CXXXII. pag.

1427 Conventio inter Georgium de Kesmark Praepositum Scepusiensem et XXIV. civitatum regalium plebanos intuitu annui census per dictos plebanos Praeposito solvendi. ... 223

CXXXIII.

1429 Sigismundus, Rex Civitati Késmark, ob lignorum defectum, medietatem Villae Rokus perpetuo donat. ... 228

CXXXIV.

1431 Idem Rex mandat Petro de Berzevicze, et Georgio Praeposito Scepusien. quatenus obortas ratione metarum Késmark et Belensium disceptationes, componerent. ... 230

CXXXV.

1432 Amica compositio inter Communitatem Felkensem et J. Familiam Máriássy ratione Chetene. ... 231

CXXXVI.

1433 Sigismundus Romanorum ac Hung. Rex Capitulo Scepus mandat, ut Felkenses Communitati initam ratione terrae Chetene compositionem extradet. ... 234

CXXXVII.

1433 Idem Rex, jam Imperator Roman. cunctis Regnicolis praecipit, ne Késmarkienses in eorum divexent juribus. ... 236

CXXXVIII.

1433 Idem Imperator et Hung. Rex ordinat, ut combustis Varaliensibus ex certis silvis ligna admittantur. ... 237

CXXXIX.

1434 Idem Imperator et Rex Hungariae ordinat, inquiri, utrum aliquando Késmarkienses depositorium Mercium habuerint. ... 239

CXL.

1434 Idem Imperator ac Rex Hung. Késmarkienses relevat a vexis, quae ipsis praetextu dirutae beati Michaelis Archangeli Ecclesiae atque domorum Plebaniae intendebantur. ... 243

CXLI.

1435 Fassionales super metis Bela in Scepusio. ... 245

Annus pag.

CXLII.

1436 Sigismundus Imperator et Rex Hung. Joanni de Peren Comiti Scepusiensi mandat, ut Felkenses contra Máriássianas impetitiones defendat. 247

CXLIII.

1436 Idem Imperator et Rex Capitulo Scepus mandat, ut literalia Instrumenta pro Felkensibus reinveniri faciat. 249

CXLIV.

1436 Altera amica compositio inter Felkenses et Familiam Máriássy ratione Chetene, alias Hoverfeld. 250

CXLV.

1436 Ladislaus, Abbas Schawnikiensis, Oppido Teplicz per Hussitas ruinato quosdam favores praestat. 253

CXLVI.

1437 Joannes Folkys et Joannes Hotkoczy, hic XI. ille vero XIII. Civitatum Comites instant, ut Belenses reponantur in usum silvarum. 254

CXLVII.

1438 Idem Folkys jam XI. Oppidorum Comes cum sibi adjunctis Judicibus 60. jugera Popradiensibus adjudicat. 256

CXLVIII.

1439 Montis S. Georgii Cives ratione 60. jugerum lite agunt cum Popradiensibus. 257

CXLIX.

1439 Albertus Romanorum ac Hungariae etc. Rex ad querelas Civium Montis S. Georgii ordinat, ut Popradienses sua literalia instrumenta, et exposita 60. jugera tangentia, in Curia Regia, unde novam sententiam accepturi sunt, producant. 264

CL.

1439 Elisabetha Regina Hung. mandat Civitati Késmark, ut 100. pedites stipendiarios ad rationem census conducant et interteneant. 266

CLI.

1440 Eadem Regina Késmarkienses, ob servatam sibi fidem, collaudat. 267

CLII.

1440 Wladislaus, Rex Poloniae, electus Hung. Cives Lublovienses ab extraordinariis podwodis seu praejuncturis libertat. 268

Annus CLIII. pag.

1440 Idem Rex Podolinenses ab eisdem Podwodis, ac insolitis Stationibus libertat. 269

CLIV.

1443 Hussitae Arcem Scepusiensem cum literalibus instrumentis occupant. 270

CLV.

1445 Plebani XXIV. Regalium Civitatum suas privilegiales literas transumi curant. 271

CLVI.

1445 Iidem Plebani Sigismundi ac Elisabetae privilegia transumi curant. 272

CLVII.

1448 Georgius de Caesarinis S. Apostolicae Protonotarius, Servatio de Filka, ejusdemque Consorti Magdalenae concedit, idoneum Presbyterum in Confessorem eligere. 274

CLVIII.

1454 Protestatoriae Montis Georgensium, Michaelis ac Matthaeivillensium intuitu silvarum per Nagy-Szalokienses occupatarum. 275

CLIX.

1455 Casimirus, Rex Poloniae Podolinenses a telonio ac aliis consuetis in suo Regno exactionibus libertat. 276

CLX.

1456 Ladislaus V. Rex Hung. privilegiales Igloviensium confirmat. 277

CLXI.

1456 Idem Rex forum annuale liberum Civitati Varallia concedit. 279

CLXII.

1456 Idem Rex Varallienses a tributi solutione in Kolynfalva absolvit. 280

CLXIII.

1457 Fassionales Olasziensium circa certas terras arabiles denuo factae. 281

CLXIV.

1461 Cives Olaszienses Emericum de Zapolya, nec non Emericum de Salank in Altzno statui inhibent. 282

CLXV.

1463 Literae testimoniales intuitu receptae Decimae per Plebanum Olasziensem Ambrosium ex Praedio Belertfalva nominato. 283

Annus CLXV. pag.

1464 Mathias, Hungariae Rex privilegiales Késmarkiensium rati habet. 285

CLXVI.

1464 Emericus de Zapolya Civitati Késmark 100. flor. auri relegat, ... 286

CLXVII.

1465 Petrus Plebanus de Késmark intuitu Molendini ac Capellani init cum Communitate concordiam. 287

CLXVIII.

1465 Emericus de Zapolya Petro Plebano Késmarkiensi Octo flor. auri a mola et agris obvenientes, erga celebranda duo sacra, remittit. 289

CLXIX.

1475 Instrumentum Procuratoriale Romanum in causa honestae Dnae Sophiae, unaque attestatoriale pro denominato Procuratore. 291

CLXX.

1475 Mathias, Hungariae Rex confirmat Igloviensium Privilegia. 294

CLXXI.

1478 Gabriel, Agriensis Eppus, una Cardinalis et Apostolicae Sedis Legatus, Petrum Kmitha, Capitaneum Scepusiensem, ob frumentorum a Plebanis extorsionem excommunicare jubet. 297

OLXXII.

1479 Petrus Sobinski, Capitan. Lublovien. fundat in Oppido Podolin Capellam. ... 300

CLXXIII.

1491 Uladislaus Rex Hung. Késmarkiensium Privilegia confirmat. 302

CLXXIV.

1497 Protestatio Felkensium contra Nob. Andr. Máriássy, intuitu occupatorum per ipsum certorum agrorum. 303

CLXXV.

1497 Leutschovienses certam Agrorum medietatem, contiguam Possessioni Stojanfalvae Popradiensibus vendunt. 304

CLXXVI.

1499 Uladislaus, Rex Hung. privilegia Igloviensium confirmat. 305

Annus CLXXVII. pag.

1499 Idem Rex privilegiales Monte Georgensium confirmat. 307

CLXXVIII.

1499 Idem Rex privilegiales Montis S. Georgii et Villae Michaelis silvas tangentes confirmat. 309

CLXXIX.

1499 Leibitziensis Communitas coram Leutschoviensi Judicio, ratione prati Rohrwies vocati, et per Bohemos occupati, atque per Késmarkiensis detenti, protestatur. 310

SAECULI XVI.

CLXXX.

1500 Urbanus Zulcz et Leonhardus Lybich, Cives Késmarkienses suum Molendinum Parochiali Ecclesiae Felka, causa salutis animarum suarum nec non Simonis Heller et Consortis ejus Margarethae etc. in perpetuum donant. ... 312

CLXXXI.

1502 Nobilis Stephanus Máriássy praedium Chetene Felkensibus erga solutionem trium florenorum auri dimittit possidendum. 314

CLXXXII.

1505 Wladislaus Hung. etc. Rex Laurentii de Hedervara Palatini literas, quibus 60 jugera in Stojanis adjudicavit Popradiensibus, rati habet. 316

CLXXXIII.

1506 Idem Rex privilegiales Kolynfalvam concernentes, confirmat. 318

CLXXXIV.

1507 Idem Rex Sigismundi Regis privilegiales, Civibus Olasziensibus elargitas, confirmat. 320

CLXXXV.

1509 Sigismundus, Rex Poloniae Leibitziensibus novem florenorum censum remittit, titulo amissi prati Rohrwies. 321

CLXXXVI.

1509 Popradienses Cives privilegiales suas transcribi curant. 322

Annus		pag.
	CLXXXVII.	
1511	Uladislaus Hung. etc. Rex Varaliensium privilegia confirmat.	323
	CLXXXVIII.	
1511	Idem Rex Oppido Varallia concedit nundinas statis temporibus celebrare.	326
	CLXXXIX.	
1512	Idem Rex, Olasziensibus Nundinas et forum hebdomadale celebrari concedit,	327
	CXC.	
1516	Compositio Amicabilis inter Nobiles Tothfalven. et Oppidum Bela, ratione metalis fluvii Bielbach.	328
	CXCI.	
1518	Fassionales super aedificata per XIII. Oppidanos porta in Podolin.	329
	CXCII.	
1519	Ludovicus II. Rex Hung. Igloviensis Civitatis privilegia, fora tangentia, confirmat.	331
	CXCIII.	
1527	Joannes Rex Hung. Melchiorem Warkocz Késmarkiensibus audiendum commendat.	333
	CXCIV.	
1527	Ferdinandus I. Hung. Rex Oppidum Gölnicz omnibus cum emolumentis Alexio Thurzo confert.	333
	CXCV.	
1528	Joannes Katzianer, summus Ferdinandei exercitus Capitaneus, Késmarkinum in obedientiam Regis accedens, in tutelam suscipit.	334
	CXCVI.	
1528	Stephanus de Poturnya V. Comes Scepus recognitionem super receptis in fidelitatem Ferdinandi Castris, Civitatibus, Oppidis ac Villis etc. praestat.	335
	CXCVII.	
1528	Ferdinandus Rex Késmarkiensibus mandat, ut suo gentium Capitaneo Ludovico Pekri in singulis obsequantur.	336
	CXCVIII.	
1530	Petrus Kosztka minatur Késmarkiensibus exilium ni ad partes Joannis Zapolya confestim transierint.	337

Annus CXCIX. pag.

1530 Nicolaus Kosztka ad Késmarkienses mittit minatorias. 337

CC.

1531 Matthaeus Bato aliter Basso, Castri Muran Capitaneus Késmarkiensibus appromittit contra Leutschovienses auxilium. 338

CCI.

1532 Sigismundus I. Poloniae Rex, Késmarkiensibus mandat, ne sine annuentia Aulici sui Smolikowski in Civitatem recipiant grassatores. 339

CCII.

1536 Sigismundus I. Rex Poloniae Ferdinandi Regis Officiales requirit, ne quid hostilitatis in suis bonis patrare patiantur. 340

CCIII.

1532 Idem ad Joannem Katzianer eodem in merito scribit. 341

CCIV.

1533 Idem Késmarkienses monet ne XIII. Oppidanos turbent in eorum mercantiis. 341

CCV.

1533 Sigismundus, Rex Poloniae Podolinen. et Lublovienses ab antiquis teloniis suo in Regno liberos declarat. 342

CCVI.

1533 Idem Rex, status regni Hung. requirit, ne velint suos Ecclesiasticos ac saeculares subditos ultro molestare. 343

CCVII.

1534 Recognitionales Hyeronimi de Laszko super levato censu a Késmarkiensibus. 344

CCVIII.

1535 Petrus Kmitha Civibus Belensibns, incendio depauperatis, locoque excedere parantibus, spem resarcitionis exoperandae facit. 345

CCIX.

1535 Sigismundus I. Rex Poloniae forum hebdomadale Belensibus concedit. 345

CCX.

1535 Petrus Kmitha Praepositum Scepusien. interpellat, quatenus compelleret XXIV. Plebanos, ut iidem suo Capellano Nicolao, quae ipsi legata haberentur ab suo fratre inomisse extradarent. 346

Annus

CCXI. pag.

1535 Sententionales Commissariorum infranominatorum, in negotio Decimae Varaliensis, tum reddendis per eundem privilegiis. 347

CCXII.

1536 Communitas Belensis contra Hieronymum de Laszko, metas eorum turbantem, protestatur. 349

CCXIII.

1536 Inquisitoriae ac una Fassionales super damnis, Communitati Bela illatis. ... 350

CCXIV.

1537 Decretum Commissionis Regum Hungariae ac Poloniae, ratione limitum Belensium et Késmarkiensium. 352

CCXV.

1537 Sigismundus, Rex Poloniae, Popradiensium libertates confirmat. 357

CCXVI.

1537 Sigismundus, Rex Poloniae, Oppidi Bela praerogativas confirmat. 358

CCXVII.

1538 Ferdinandus Roman. Imp. ac Rex Hung. jubet reinveniri Belensium privilegia. 359

CCXVIII.

1539 Olaszienses protestantur contra statutionem Nicolai de Perén in Possessione Alcznow. 360

CCXIX.

1540 Joannes Rex Hungariae Belensium quaepiam privilegia confirmat. 362

CCXX.

1540 Joannes Rex Hung. certas Civitatis Bela privilegiales confirmat. 363

CCXXI.

1542 Joannes de Leutschovia, Vicarius Capituli Scepus, Georgium Presbyterum ad Ecclesiam Leibitzensem investit. 365

CCXXII.

1542 Matthaeus de Waralia, Ecclesiae Scepus Vicarius, Sixtum de Poprad ad Ecclesiam Matthaeivillensem investit. 366

Annus CCXXIII. pag.

1542 Mathias Luboczki mandat Késmarkiensibus, ut invagiatos equos Belensibus restituant, si sua pecora rehabere velint. 367

CCXXIV.

1534 Késmarkienses ineunt cum Belensibus ratione limitum concordiam. 368

CCXXV.

1545 Literae metales Oppidi Olasz et Villae Zeek. 371

CCXXVI.

1545 Rescriptionales Tepliczensium Literae. 374

CCXXVII.

1545 Stanislaus Waralii, Episcopus Quinque Ecclesiarum obtenta Scepusiensi Praepositura, Sacram Synodum, in eodem Capitulo celebrat. 375

CCXXVIII.

1541 Mathias Loboczki mandat Késmarkiensibus, ut Claves ab inferiori porta Capitaneo Przibkowski resignent. 379

CCXXIX.

1547 Ferdinandus I. Roman. ac Hung. Rex Sigismundo Regi Poloniae, significat, a se Commissarios pro sufferendis litibus denominatos esse. 380

CCXXX.

1547 Petrus Kmitha orat Praepositum Scepusien. quatenus pro usu Arcium exarendaret suas decimas. 382

CCXXXI.

1548 Transcriptum Ferdinandei privilegii XXIV. Scepusien. Plebanos concernentis. 383

CCXXXII.

1548 Franciscus Mekche (Mecske) Vicar. Capituli Scepus. Matthaeivillensibus indulget, Sacerdotem pro se eligendi, absque tamen Plebani praejudicio. 384

CCXXXIII.

1549 Mandatum Thomae de Nadasd, Judicis Curiae super attestandis in facto metarum Civitatis Késmark testibus. 385

CCXXXIV.

1550 Ferdinandus I. Rom. Hung. etc. Rex Igloviensium Nundinas foraque confirmat. 386

Annus pag.

CCXXXV.

1551 Sigismundus Augustus, Rex Poloniae mandat, ne a 13. Oppidanis antiqua telonia, in suo Regno usitata, sumantur. 388

CCXXXVI.

1551 Idem Poloniae Rex ad instantiam Petri Kmitha discreto Waysko Wolochia concedit Tabernam, reparationis viarum intuitu per Montem Krempak. 388

CCXXXVII.

1551 Idem Rex Poloniae, ad relationem Petri Kmitha Capitanei, certorum Artificum inter se habitos Ordines et Consuetudines confirmat. 390

CCXXXVIII.

1551 Idem Rex ad intermediationem Petri Kmitha mandat suis Teloniatoribus, quatenus ab Oppidanis de Lublo, Gnezda et Podolin nulla telonia antiqua exigant. 391

CCXXXIX.

1553 Metales literae Oppidi Olasz, post initam cum Welbachiensibus concordiam extradatae. 392

CCXL.

1556 Sigismundus Augustus Rex Poloniae Lubloviensium privilegiales innovat. ... 395

CCXLI.

1557 Rescriptionales Leutschoviensium super exemptione Tricesimae. 397

CCXLII.

1559 Sigismundus Augustus Privilegiales Podolinensium confirmat. 398

CCXLIII.

1559 Idem Rex mandat Joanni Bonar, ut Lublovienses, incendio damnificatos ab omnibus oneribus immunes per annos sedecim habeat. 399

CCXLIV.

1559 Idem Rex confirmat Boleslai Ducis Poloniae Privilegia. 399

CCXLV.

1559 Idem Rex Poloniae, ejusdem Boleslai Ducis privilegia confirmat. 400

CCXLVI.

1560 Ferdinandus I. Roman. Imp. et Rex Hung. Sabbatale forum Oppido Montis S. Georgii confirmat. 401

Annus

CCXLVII.

pag.

1560 Nobiles Martinus Hayway quartam partem Proedii Kromlow Ecclesiae Podolinensi in perpetuam eleemosynam donat. 403

CCXLVIII.

1560 Ferdinandus Imp. et Hung. Rex a Cibiniensi Civitate 500-tos flor. mutuat. ... 404

CCXLIX.

1562 Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, mandat suis Praefectis, ut Lublovienses in privilegiis suis conservent. 405

CCL.

1562 Amicabilis compositio Belensium cum Frankoviensibus ratione metarum Komperschacht dictarum. 406

CCLI.

1562 Sigismundus Rex Poloniae mandat Capitaneis et tenutariis, ut Podolinenses in eorum libertatibus conservent, et XIII. Oppidanos ad Propugnaculi Podolinensis reparationem adstringant. 408

CCLII.

1563 Ferdinandus Roman. Imperator ac Germaniae, Hungariae etc. Rex mandat Stanislao Thurzoni, quatenus cesset Varalienses et Iglovienses vexare. 409

CCLIII.

1563 Idem Imperator et Hung. Rex, altera vice Thurzonem gravius admonet. ... 411

CCLIV.

1564 Sigismundus Augustus Rex Poloniae, privilegiales Villermi Comitis de Scepus rati habet. 412

CCLV.

1564 Compositio, Amicabilis inter Cives Belenses et Dnos Arcis Dunajecz, intuitu Komperschacht ac Tokornya metarum. 413

CCLVI.

1566 Albertus Lasko admonet Kesmarkienses, quatenus suam Civitatem strenue defendant, timore omni abjecto. 413

CCLVII.

1566 Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, Oppido Gnesda diversas concedit, libertates, illudque etiam in numerum Civitatum evehit. 415

Annus CCLVIII. pag.

1567 Maximilianus II. Imp. et Rex Hung. Nundinas, foraque hebdomadalia Civitatis Iglo confirmat. ... 418

CCLIX.

1567 Idem Imp. et Rex liberas Oppido Montis S. Georgii nundinas cum hebdomadali foro, die Sabbathi celebrando, concedit. ... 421

CCLX.

1567 Idem Imp. et Rex privilegiales Varaliensium, ratione tributi Castri Scepus ratas habet. ... 422

CCLXI.

1567 Georgius Bornemisza, Praepositus Scepus. Plebanos causa religionis concertantes corripit, eo addito, quod paulo post in eorum doctrinam sit inquisiturus, et contumaces plexurus. ... 424

CCLXII.

1567 Nicolaus Macieiovski, Capitaneus Scepus. admittit Joanni Sculteto, certis sub conditionibus, sex Colonos in Villa Kamien locare. ... 425

CCLXIII.

1569 Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, Oppido Gneszda Miroslai Scultetiam confirmat. ... 427

CCLXIV.

1569 Idem Rex locationem sex Kmethonum in Villa Kamien ratam habet. ... 428

CCLXV.

1570 Georgius Bornemisza, Praeposit. Scepus. Sacerdotio suo Synodum indicit. ... 429

CCLXVI.

1571 Attestatoriae literae super testium inquisitione pro parte Stanislai Thurzo, in negotio Gelnicziensium fodinarum, facta. ... 429

CCLXVII.

1572 Sigismundus Rex Poloniae gratas habet attestationes, sibi intuitu devastatarum per Hussitas Matthaei, Durandi et Rusqvini Villarum factas, proptereaque illis unius anni censum remittit. ... 439

CCLXVIII.

1574 Henricus Rex Poloniae ad intercessionem Nicolai et Joannis Maciejowski Capitaneorum omnia XIII. Oppidorum privilegia cum jure patronatus confirmat. 441

Annus CCLXIX. pag.

1574 Idem Rex Lubloviensium privilegia confirmat. 443

CCLXX.

1574 Idem Rex Podolinensibus omnes libertates, quas habebant, una cum Depositorio confirmat. 445

CCLXXI.

1577 Joannes Maciejowski Capitan. Scepus. indulget Gneszdensibus novam molam aedificare, illam a ferendo onere ad Arcem solvit. 448

CCLXXII.

1577 Stephanus, Rex Poloniae, Lubloviensium confirmat privilegia 449

CCLXXIII.

1578 Idem Rex immunitates Podolinensis Civitatis confirmat. 450

CCLXXIV.

1578 Idem Rex, immunitatem Podolinensium a teloniis confirmat. 453

CCLXXV.

1578 Idem Rex, universas XIII. Oppidanorum immunitates confirmat. 454

CCLXXVI.

1578 Idem Rex mandat suis Officialibus, ut Podolinenses in suis juribus servent, et non conturbent. 456

CCLXXVII.

1578 Idem Rex mandat, ut Nobiles in Podolin onera Civilia subeant. 457

CCLXXVIII.

1578 Idem Rex confirmat literas, super possessione Kromlow sonantes. 458

CCLXXIX.

1578 Idem Rex mandat suis Officialibus, ut Lublovienses in libertatibus eorum conservent. 459

CCLXXX.

1578 Idem Rex Joanni Macieiowski Capitaneo Scepus. mandat, ut Nobiles in Lublo habitantes, ad satisfaciendum Civilibus oneribus adigat. 461

Annus CCLXXXI. pag.

1578 Idem Rex ordinat, ut Lublovienses in usu et perceptione Decimarum a Praeposito Scepusiensi arendatarum, permaneant, neque eosdem propterea Capitaneus Joannes Macieiowski molestet. 461

CCLXXXII.

1578 Idem Rex Scultetiam, a Gneszdensibus emptam, confirmat. 464

CCLXXXIII.

1578 Idem Rex novum Molendinum Gneszdensium confirmat. 465

CCLXXXIV.

1578 Idem Rex mandat suis Officialibus ne a Podolinensibus per et intra Regnum suum telonia exigant. 466

CCLXXXV.

1578 Idem Rex Poloniae suis Officialibus mandat, ut Podolinenses in habitis antea juribus conservent. 467

CCLXXXVI.

1578 Querulatio Belensium contra Officiales Arcis Dunajecz ob sibi illatas injurias. 468

CCLXXXVII.

1579 Albertus Laski certum Emericum et Joannem Drawetzky Viennam venire exoptat. 469

CCLXXXVIII.

1579 Stephanus Rex Poloniae ordinat Commissarios, ad componendas certas lites, quae inter Joannem Maciejowski Capitaneum Scepus et Oppida Podolin, Gneszda ac Lublo exortae sunt. 471

CCLXXXIX.

1579 Actus Commissarialis in praelibato negotio differentiali. 472

CCXC.

1579 Idem Rex mandat Lublovien. Gneszden. Neo-Lublovien. et Obkardensibus, ut destinatis a se Revisoribus pareant. 473

CCXCI.

1579 Innotescentia contra contumaces in praedicta causa est talis. 474

Annus CCXCII. pag.

1579 Stephanus Rex Poloniae, Processum Decimalem Gneszden. et Podolinensium cum Joanne Macieiowski Capitaneum Scepus habitum, revidet, ac pro Oppidanis sententiat. ... 475

CCXCIII.

1580 Mandatum praescriptorium pro parte Sebastiani Tököly. ... 478

CCXCIV.

1580 Albertus a Laszko Késmarkiensibus notum facit, haud ingratum sibi futurum, si Tökölio ad tempus jurarent. ... 479

CCXCV.

1580 Stanislaus Saffraniecz cum adjunctis sibi Commissariis certae concordiae literas, ad petitionem Menhardi Villensium approbat. ... 480

CCXCVI.

1580 Albertus a Laszko Késmarkienses monet, ne fidelitatis juramentum alteri praestent. ... 482

CCXCVII.

1580 Controversiae inter certos Nobiles Scepusienses atque XIII. Oppidanos exortae, sopiuntur. ... 483

CCXCVIII.

1580 Literae Commissionis Rudolphi II. Imp. ac Regis Hung. ... 484

CCXCIX.

1580 Literae Commissionis Ernesti Archiducis Austriae in eadem materia. ... 485

CCC.

1580 Literae Commissionis Stephani Regis Poloniae in eadem materia. ... 486

CCCI.

Causa Varallyensium. ... 487

CCCII.

Causae Olasziensium et Varalliensium. ... 493

CCCIII.

Causa Iglovensium. ... 496

Annus

CCCIV. pag.

Causa Villae Michaelis, Poprad, Villae Matthaei, Varallia, Olasz. 510

CCCV.

Causa Felkensium cum Paulo Máriássy. 512

CCCVI.

Causa Popradiensium contra Schavnikienses. 514

CCCVII.

Differentia inter Leutschovienses et Rusquinocenses. 515

CCCVIII.

Differentia Leibitzensium cum Jacubjanensibus et Hundertmark. 516

CCCIX.

Lis inter Podolinenses et inter Nobiles Christophorum, Vice-Comitem, nec non Ladislaum et Benedictum Görgey, ratione silvarum composita, ut sequitur. 518

CCCX.

1580 Rudolphus II. Roman. Imp. ac Rex Hung. Leutschoviensium confirmat privilegia. 522

CCCXI.

1581 Literae Metales Oppidi Felka. 524

CCCXII.

1583 Rudolphus, Roman. Imp. ac Rex Hung. Paulo Máriássy intimat, esse jam Commissarios denominatos ad causam ipsius complanandam. 526

CCCXIII.

1584 Gregorius Bornemisza, Varadien. Episc. ac Praepositus Scepus. suos Canonicos reprehendit, quod semel susceptum Gregorianum Calendarium rejecerint. 527

CCCXIV.

1584 Ernesti Archiducis Austriae responsum ad desideria Kesmarkiensium. 528

CCCXV.

1587 Casparus Macieiovszki 13 Oppidorum Capitaneus Podolinensibus concedit restaurare Xenodochium. 528

Annus pag.

CCCXVI.

1590 Sigismundus III. Rex Poloniae privilegium de Kromlov confirmat. 529

CCCXVII.

1590 Idem Rex Lubloviensium privilegia confirmat. 530

CCCXVIII.

1590 Idem Rex Podolinensium privilegia confirmat. 531

CCCXIX.

1590 Idem Rex suos officiales reprehendit, quod a Gnesdensibus Telonium exigant. 532

CCCXX.

1590 Idem Rex antiquas Gneszdensium praerogativas confirmat. 533

CCCXXI.

1590 Idem Rex Gneszdense novum Molendinum confirmat. 534

CCCXXII.

1590 Idem Rex Casparo Macieiowski, Capitaneo Scepusien. mandat, ne campos Leibitzensium per Ruthenos admittat depasci. 535

CCCXXIII.

1590 Idem Rex, dictum Capitaneum monet, ne Lublovienses in eorum privilegiis turbet. 536

CCCXXIV.

1590 Idem Rex, sui Antecessoris Stephani Ordinationem ratione Gnezdensium et Podolinensium Decimarum confirmat. 537

CCCXXV.

1590 Idem Rex omnes XIII. Oppidorum immunitates confirmat. 538

CCCXXVI.

1591 Idem Rex antiquas Lubloviensium Nundinas, eorumque hebdomadalia fora confirmat. 539

CCCXXVII.

1591 Idem Rex interventione Caspari Macieiowski Capitanei Scepus. sententiat, ut Lublovienses deinceps solum pecuniariam Decimam pendant. ... 540

CCCXXVIII.

1591 Idem Rex Gneszdenses et Podolinenses a praestanda manipulari Decima absolvit. 541

Annus CCCXXIX. pag.

1592 Idem Rex, Margarethae Zerkovitz viduae Tertiam mensuram molendini, apud Oppidum Vetero — Lublo habiti, ad dies vitae possidendam concedit. ... 542

CCCXXX.

1596 Idem Rex quandam silvam Leibitzensibus assignatam ratihabet. 543

CCCXXXI.

1596 Protestationales Belensium in causa Violentiarum. 544

CCCXXXII.

1596 Paria literarum Territoria Oppidi Bela, Hobgart et Plawnicza Possessionum tangentia. 545

SUPPLEMENTUM ANALECTORUM

TERRAE SCEPUSIENSIS

PARS SECUNDA.

Diploma Seculi XI.

I.

Ladislaus (Sanctus) Hungariae Rex, Nicolao filio Nicolai admittit, pro utilitate Regni Castrum construere. Anno Domini 1094.

Ex autographo in tabulario nobilis familiae Máriássy existente.

NOS Ladislaus [a] Dei gratia Rex Hungariae memoriae commendantes, significamus, quibus expedit universis: Quod Nos Nicolao filio Nicolai, ad petitionem et instantiam eiusdem, in suis possessionibus, et maxime pro utilitate et commodo Regni nostri Castrum concessimus construendum; ita tamen, ut de ipso Castro mala committere non praesumat. De Insula Cheque in Festo Sancti Johannis Baptistae. Anno Domini Millesimo nonagesimo quarto.

Diploma Seculi XII.

II.

Emericus Hungariae Rex erga Jobi Archi-Episcopi Strigoniensis orationem Marco Botizii Patri, innovat privilegia. Anno Domini 1198.

Ex autographo apud eandem familiam existente.

IN Nomine Sanctissimae Trinitatis, et Individuae Unitatis. Emericus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Ramae Rex: Omnibus Christi fidelibus salutem in omnium Salvatore. Praesentibus notificamus, quod Dnus Job [b] Archi-Episcopus Strigoniensis, Marcum filium Gola de Czypis* (*h. Scepus*), qui fuit filius Nicolai de Trub Levheol [c] ad Nos, ubi Roma reditum maturasset,

---

a) Illum Coelestinus III. Pontifex anno 1192 coelitum honoribus cumulavit. V. (= vide) R. P. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. pag. 100.

b) Aliis Jacobus nomine, qui ex Agriensi Cathedra ad Archiepiscopalem Strigoniensem translatus fuit, jamque anno 1184 in Diplomate Belae III. Regis recitatur. V. cl. P. Timon in Imag. Nov. Hung. pag. 32.

*h. Nomina propria personarum, locorum, montium, fluviorum etc. etc., quibus littera *h.* (= hodie) praefixa est, quod ortographiam vocis attinet, ita scripta sunt, prout hodie (1888) potestas civilis — respective gubenium regni — utitur. V. Szepesmegye szervezete és szabályrendeletei stb. Lőcse 1884. A magyar korona országainak Helységnévtára stb. Budapest. 1888.

c) Propater Nob Familiae Máriássy fuit Marcus, pater Botizii, (V. Supplementum Analectorum Terrae Scepusiensis. P. I. p. 98.) qui anno 1198 novam super Castris Szent-Mihali seu Marci-Villa, hodie

venientem praesentavit cum oratione, ut privilegia quae a Sanctis Regibus recolendae memoriae, et Praedecessoribus nostris, super Castris Gomur et Szent-Mihály-Ur, intra platanum concessa, progenitores eius habuissent, sed casu sunt amissa, innovaremus, et de Regia plenitudine nostra confirmaremus. Unde cum dictus Dominus Archiepiscopus privilegia illa vidisset et legisset in Castro Strigon, nolentes honestae supplicationi nostrum denegare assensum, sed potius dictum Marcum de Gomur, qui ad S. Papam pro Nobis fideliter et festinanter ambulavit, et propterea Nobis regimen paravit pactatum [d] cum laetitia a Nobis dimittere volentes, ut idem Marcus dicta Castra Gomur et Szent-Mihály-Ur, intra platanum habita, cum suis Villis ita, prout a progenitoribus suis haereditavit, ipsis per Sanctos Reges donata, quiete possideat, super quo praesens concessimus privilegium. — Datum per manus Domini Kathapani [e] Episcopi Agriensis, Aulae nostrae Cancellarii, anno Incarnationis Domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo.

Diplomata Seculi XIII.

III.

Andreas II. Hungariae Rex Saxonibus aliisque Teutonicis, Transsylvaniam incolentibus singulares immunitates confert Anno Domini 1224.

Produxit Carolus Eder Coment. de initiis juribusque Saxonum Transsilvaniae. pag. 172.

IN Nomine S. Trinitatis et Individuae Unitatis. Andreas Dei gratia Hungariae etc. Rex in perpetuum. Sicut ad Regalem pertinet dignitatem superborum contumaciam potenter opprimere; sic etiam Regiam decet be-

Markusfalva, Marksdorf, appellata, tum super Gumur sive Gömer donationem accepit. Accidit autem ut Antenati dicti Marci, filii videlicet Gola, filii Nicolai filii alterius Nicolai de Tribu (Trub) seu genere Lehel, ex insperato casu privilegia per Sanctos Reges concessa, amiserint: ideoque Jobum Archiepiscopum pro illorum innovatione interpellaverint. Porro Antecessores Marci gentilitiis nominibus Dond, alii Botiz, alii Kassan, alii Kayl, aliique Toplicz insigniebantur, et longe ante 1059 annum cum ipsis Hunnorum per septem Duces in Hungariam deductorum incunabulis praeexistebant. Unde sequitur, quod non tantum cl. Carolus Wagner P. I. p. 126 not. d. asserens, Marcum filium Gola unum ex primis Majoribus familiae Máriássy fuisse, erraverit, verum et omnes illi, qui originem incunabulorumque Máriássyanorum inita ad annum duntaxat 1059 retulere. Opinio demum illa, quasi vero eadem familia primo in Botiz, qui filium Belae IV. Regis, Stephanum videlicet salvum existere annuntiasset (V. Supl. Anal. P. I. pag. 98.) nobilitatem assecuta, idemque Botiz antea Carbonarius fuisset, rejicienda prosus est.

d) Postquam nempe Innocentius III. Valachos, Hungariam infestantes, ad quietem reduxisset.

e) Kathapanus iste, sive Catapanus iam 1138 fuit Praepositus Albensis, sub Bela vero III. et Emerico Vice-Cancellarius. Obiit circa annum 1216 v. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. pag. 64, 98, 105.

nignitatem oppressiones humilium misericorditer sublevare, et fidelium metiri famulatum et unicuique secundum propria merita retributionis gratiam impertiri. f) Accedentes igitur fideles hospites nostri Theutonici Ultrasylvani universi ad pedes Majestatis nostrae humiliter Nobis conquerentes g) sua questione suppliciter Nobis monstraverunt, quod penitus a sua libertate, qua vocati fuerant a piissimo Rege Geysa, Avo nostro, excidissent, nisi super eos Majestas Regia oculos solitae pietatis nostrae apperiret; unde prae nimia paupertate et inopia nullum Majestati Regiae servitium poterant impertiri. h) Nos igitur justis eorum querimoniis aures solitae pietatis inclinantes, ad praesentium posterorumque notitiam volumus devenire: quod Nos Antecessorum nostrorum piis vestigiis inhaerentes, pietatis moti visceribus, pristinam eis reddimus libertatem: Ita tamen: quod universus populus, incipiens a Váras usque in Baralt cum Terra Syculorum, Terra Sebus, et Terra Daraus, unus sit populus, et sub uno Judice censeatur, omnibus Comitatibus, praeter Chybiniensem, cessantibus radicitus. Comes vero quicunque fuerit Chybiniensis, nullum praesumat statuere in praedictis Comitatibus, nisi sit infra eos residens et ipsum populi eligant, qui melius videbitur expedire: Nec etiam in Comitatu Chybiniensi aliquis audeat comparare pecunia. Ad lucrum vero nostrae Camerae quingentas Marcas argenti dare teneantur annuatim; nullum praedialem, vel quemlibet alium volumus infra terminos eorumdem positum, ab hac excludi redditione, nisi qui super hoc gaudeat privilegio speciali. Hoc etiam eisdem concedimus, quod pecuniam, quam Nobis solvere tenebuntur, seu dinoscuntur, cum nullo alio pondere, nisi cum Marca argentea, quam piissimae recordationis Pater noster Bela eisdem constituit, videlicet quintum dimidium fertonem Chybiniensis ponderis cum Coloniensi denario, discrepent in statera, solvere teneantur. Nuntiis vero, quos Regia Maiestas ad dictam pecuniam colligendam statuerit, singulis diebus, quibus ibidem moram fecerint, tres lottones pro eorum expensis solvere non recusent. Milites vero quingenti intra Regnum, ad Regis mandatum, et expeditionem servire deputentur, extra Regnum centum, si Rex in propria persona iverit. Si vero extra Regnum Jobbagionem mi-

f) Privilegium hoc biennio tardius emanavit, quam illud Nobilium Hungarorum, in Corpore Juris contentum.

g) Scilicet per suos Ablegatos.

h) Illorum paupertas exinde orta est, quod suis stipendiis in expeditione, contra Saracenos, mota, militare debuerint.

serit, sive in adjutorium amicí sui, sive in propriis suis negotiis, quinquaginta tantummodo milites mittere tenentur, nec Regi ultra praefatum numerum postulare liceat, nec ipsi etiam mittere teneantur. Sacerdotes vero suos libere eligant, et electos repraesentent, et ipsis Decimas persolvant, et de omni iure Ecclesiastico secundum antiquam consuetudinem eis respondeant. Volumus et etiam firmiter praecipimus, quatenus ipsos nullus judicet, nisi Nos, vel Comes Chybiniensis, quem Nos eis loco et tempore constituemus. Si vero coram quocumque Judice remanserint tantummodo judicium consuetudinarium reddere teneantur, nec eos etiam aliquis ad praesentiam nostram citare praesumat, nisi causa coram suo Judice non possit terminari. Praeter vero supra dicta: Silvam Blacorum et Bissenorum cum aquis, usus communes exercendo, cum praedictis scilicet Blacis et Bissenis eisdem contulimus, ut praefata gaudentes libertate, nulli inde inservire teneantur. Insuper eisdem concessimus: quod unicum sigillum habeant, quod apud Nos et Magnates nostros evidenter cognoscatur. Si vero aliquis eorum aliquem convenire voluerit in causa pecuniali coram Judice, non possit uti testibus, nisi personis infra terminos eorum constitutis; ipsos ab omni jurisdictione penitus eximentes. Salesque minutos secundum antiquam libertatem circa Festum beati Georgii octo diebus, circa Festum beati Regis Stephani octo, et circa Festum beati Martini similiter octo diebus, omnibus libere recipiendos, concedentes. Item, praeter, supra dicta eisdem concedimus, quod nullus Tributariorum, nec ascendendo, nec descendendo, praesumat impedire eos. Silvam vero cum omnibus appendiciis suis, et aquarum usus cum suis meatibus, quae ad solius Regis spectant donationem, omnibus tam pauperibus, quam divitibus libere concedimus exercendos. Volumus etiam et Regia authoritate praecipimus, ut nullus de Jobbagionibus nostris, villam vel praedium aliquod a Regia Maiestate audeat postulare; si vero aliquis postulaverit, indulta eis libertate a Nobis, contradicant. Statuimus insuper dictis fidelibus, ut cum ad expeditionem ad ipsos Nos venire contigerit, tres descensus, tantum solvere ad nostros usus teneantur. Si vero Vaywoda ad Regalem utilitatem ad ipsos, vel per terram ipsorum transmittitur, duos descensus, unum in introitu et unum in exitu solvere non recusent. Adjicimus etiam supradictis libertatibus praedictorum, quod mercatores eorum, ubicumque voluerint, in Regno nostro libere et sine tributo vadant, et revertantur, efficaciter jus suum Regiae Serenitatis intuitu prosequentes. Omnia etiam fora eorum inter ipsos sine tributis praecipimus observari. Ut autem haec, quae ante dicta sunt, firma et inconcussa permaneant in po-

sterum, praesentem paginam duplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto, Regni autem nostri anno vigesimo primo. [i]

IV.

Colomanus, Rex Halitiae ac Dux Sclavoniae, certo Don et Mathiae terram quatuor aratrorum in Scepusio assignari curat. Anno Domini 1229.

Ex autographo in tabulario nobilis familiae Szent-Andrássy existente.

COLOMANUS [k] Dei gratia Halitiae Rex ac Dux Sclavoniae, universis, praesens scriptum inspecturis, salutem et omne bonum. Noverint universi, tam praesentes quam posteri, quibus scire expedierit, quod Nos terram quandam exceptam de Villa Thomae [l] continentem ad quatuor aratra, quam Dominus quondam Comes, filius Rugas videlicet Don, [m] et Mathiae contulerat, ab eis non abstulimus, verum cognita fidelitate ipsorum, terram supra dictam eis possidendam, et suis haeredibus contulimus, quam etiam per fidelem Praestaldum [n] nostrum, nomine Polen, certis metis assignari jussimus. Ut autem haec a Nobis facta donatio oblivioni non tradatur, nec in irritum possit revocari, praesentem paginam sigilli nostri munimine concessimus roboratam. Datum anno ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo vigesimo nono, Consensu et Consilio omnium Jobagionum nostrorum.

---

i) Quia hoc privilegium magnam cum Diplomate Stephani V. quod Scepusiensibus Saxonibus (v. Supp. Anal. Scep. P. I. pag. 108.) elargitum est, affinitatem habet, propterea hic tanquam ad unum populum spectans, est reproductum.

k) Bzovius Anal. Ecclesiast. Continuator, de Colomano narrat: quod ipsum Pontifex Gregorius IX. in protectionem Sedis Apostolicae, una cum consorte Salomea ideo receperit, quod circa annum 1234 in convertendis Sclavoniae haerecticis debellandisque hostibus Christi plurimam operam posuerit. Is tandem clade Tartarica anno 1241 haustus est, in cujus locum Bela IV. Radislaum, generum suum illi Ducatui praefecit. V. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. pag. 159.

l) Thamasfalva, h. Tamásfalu.

m) Sive Donatus. V. Supl. Anal. Scep. P. I. Pag. 54.

n) Ibid. pag. 70. n. 36.

V.

Bela IV. Hungariae Rex confert quandam terram in Secek certo File. Anno Domini 1256.

Ex autographo apud Popradienses habito.

BELA[o] Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae Gallitiae, Lodomeriae, Comaniaeque Rex; omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Quod Regia Celsitudo ad remedium subiectorum provide duxerit ordinandum, literas consueto testimonio confirmari, ne processu temporum in irritum aliquatenus revocentur. Proinde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod Nos considerantes fidele servitium Fylo filii Filey[p] contulimus sibi in Secek terram, ad tria aratra sufficientem; de qua fidelis noster Aba (Samuel) quem pro ordinandis terris in Scepus miseramus, retulit Nobis, quod in aliqua parte esset nemorosa, lapidosa nec piscinis habilis, nec molendinis, dictus jam File tali conditione eam assumpsit, quod pro tribus aratris[q] de ea serviret, et quod ratione ejusdem terrae Nobis teneatur ad exercitum proficisci, ac per omnia idem servitium exhibere, quod alii Jobbagionum de Scepus facere consueverunt, sicut in ipsorum communi privilegio, super libertate sua habito plenius continentur. Cujus terrae prima meta, prout in literis Magistri Abae vidimus, incipit a prato, veniente de Foro Sabbathe[r] in semita vadit per montem Cost, transeundo rivulum Scunk, ascendit ad montem usque ad viam, ibidem transit alium montem Cost, cadit in rivulum Melpotok, inde transit versus Saxones de Poprad ad quoddam pratum, et in eiusdem prati rivulo descendit ad quandam paludem, inde tendit ad fontem, et redit ad metas ante dictas. Ut igitur nostra confirmatio fidem roburque perpetuae firmitatis obtineat, praesentes literas nostras dedimus, duplicis Sigilli nostri munimine ro-

o) Eidem Belae, quum adhuc junior Rex fuisset, Pontifex Gregorius multa circa recenter conversos Cumanos commendavit, prout ipsum etiam anno 1235 dum Hungarorum Rex, post fata Patris, Andreae II. fuisset salutatus, extimulavit, ad ferendum auxilium Urbi Constantinopolitanae. Post Tartarorum internecinam cladem, ita se in Regno gessit, ut tam in profanis, quam Ecclesiasticis reparator Hungariae dici, haberique commeruerit. V. Schmitth ibid. pag. 145, 147, 170.

p) Fortassis prossessio Filicz a dicto File y nomen suum accepit.

q) Quantum unum aratrum effecerit V. Supp. Anal. Scep. Part. I p. 141. n. 62.

r) h. Szepes-Szombat.

boratas. Datum per manus Magistri Smaragdi Albensis Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii. Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, Decimo septimo Kalendas Aprilis, Regni autem nostri vicesimo primo.

VI.

Idem Rex, Hotin, Henth etc. Nobilibus terram Zud assignari curat per Comitem Dubak. Anno Domini 1256.

Ex genuino transumpto Conventus Lelesziensis.

BELA Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliae, Lodomeriae, Comaniaeque Rex; omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, praesentium paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ut donationes Regum perpetua firmitate solidentur, literarum solent testimonio communiri. Proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: Quod cum Hotin, Hent, Zustronil, Joab, Basan, Holota, Kocha, et Baas, custodes hort*us* nostri de Zoulum, terra arabili nimium indigerent, Nos eisdem terram Zud *(fortassis Czudar)* nomine, exemptam a Castro Huntensi (*h. Hontensi*) simul cum silvis, ad decem aratra sufficientem, sub eisdem antiquis metis, quibus idem Castrum antea possederat, perpetuo duximus conferendam, in sua et filiorum suorum posteritate *perhempniter* duraturam. Quam etiam terram per Comitem Dubak, fidelem nostrum, ipsis fecimus assignari. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, praesentes literas dedimus, Sigilli duplicis nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri Smaragdi Albensis Praepositi, [a] Aulae nostrae Vice Cancellarii. Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto.

---

a) Ex Diplomate Stephani III. 1168 per R. P. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. pag. 92, 113, 121. producto eruitur evidenter, praerecensitum S m a r a g d u m ex Illustri et vetusta Comitum Familia processisse. Anno 1257 jam fuit Colocensis Archi-Episcopus.

VII.

Bela, Dux Sclavoniae etc. Demetrio in signum opprobrii partem capitis radi curat. Anno Domini 1268.

Ex autographo in tabulario nobilis familiae Máriássy existente.

BELA, Dei gratia totius Sclavoniae, Dalmatiae et Croatiae [a] saepedictis Demetrio [b] Marco [c] ac aliis cognatis eorum, super requisitione ipsius tertiae partis — perpetuum silentium imponentes, ut convictis in calumnia manifesta, et Demetrio uni ex eisdem, qui assari debebat, ad petitionem aliquorum Baronum nostrorum parcentes, partem capitis sui abradi fecimus, in signum opprobrii et memoriam ultionis. [d] Datum per manus Venerabilis Patris Ladislai Episcopi Tinniniensis, Aulae nostrae Cancellarii, Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo octavo.

VIII.

Bela IV. Hungariae Rex. Hospitibus de Késmark liberam Judicis electionem, liberum item forum ac Ecclesiam cum libera Decima habere admittit. Anno Domini 1269.

Ex autographo per Késmarkienses in processu limitaneo sub Barkocziana commissione producto.

BELA, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: Quod Nos supplicationibus hospitum nostrorum de Kesmark in Scepus inclinati, hanc

---

a) Fuit hic Belae IV. Regis secundo natus filius, cui Pater suus Nitriam et Posonium contulit, et idipsum Urbanus IV. Papa, pacis conservandae causa, confirmavit. V. Bzovium ad annum 1264 Nro X. Ante Patrem obiit. Corpus Jur. Hung. I. pag. 158.

b) Sive Bubek, ex Comitum familia, cuius antenatus in Diplomate Stephani III. Regis, quod in favorem Sacri Ordinis Fratrum Hierosolymitanorum anno 1166 elargitus est, recensetur. V. Nicol. Schmitth ibid. pag. 92.

c) V. R. R. Georg. Pray notitia praevia P. II. pag. 73 ubi de Markusfalva disserit.

d) Ob quae delicta illa tempestate abrasio vel depillatio capitum fuerit. V. Corp. Jur. Hung. I. Sanctione S. Stephani Regis lib. II. cap. 8. c. 26. S. Ladislai Decret. lib. II. cap. 11. Maioris is certe sceleris reum se fecit, quum plane assari debuisset.

eis libertatem duximus concedendam, ut Villicum inter se eligant de communi voluntate, qui omnes causas eorundem decidere debeat, justitia mediante; exceptis quibusdam causis, furti videlicet, Decimarum, sanguinis et monetae, quas Judex noster pro tempore constitutus judicabit, et decidet, et tertiam partem Judicii habebit Villicus (sive Judex) duas vero partes Judex noster (seu Supremus Comes) sibi de jure vindicabit. Item ordinavimus, ut Nobis pro censu seu Terragio singulis annis viginti marcas solvere teneantur, quarum duas partes solvent in argento fino, tertiam vero partem in denariis, sicut alii hospites nostri Saxones solvere consuevere; cujus quidem pecuniae medietatem in Festo Sancti Georgii, et aliam medietatem in Festo Sancti Michaelis. Praeterea eisdem forum liberum solito more duximus concedendum. Item Decimas in Campis solvent more Saxonum aliorum.[a] Ad haec Ecclesiam cum Cimiterio, quantum Nos contingit, dimittimus eis liberam ratione humandi seu sepeliendi mortuos, quemadmodum antea dinoscuntur habuisse. Ceterum volumus, quod terras suas, sine praejudicio juris alieni, pacifice teneant, sicut hactenus tenuerunt.[b] Cujus Terrae metae prout in privilegio Praepositi de Turuch[c] continetur, hoc ordine distinguuntur: prima meta incipit a parte orientali sub maxima Silva, et ibi tenet metam cum Villa Lubitza[d] et inde descendit ad bivium, et inde in bivio vadit per girmos montis, qui dicitur Prym, et inde descendit ad Dedislopataka, per quem transit ad metam, quae est secus viam, et inde transit per fluvium Lubitza, et vadit ad Calamos ad vallem; inde de valle ascendit ad viam, quae ducit in Berben[e] et per eandem viam vadit ad vallem Kevod, et descendit ad partem meridionalem ad rivulum Berben, et inde vadit ad fluvium Popradt; et exinde exeundo habet duas metas, quarum una est hospitum de Kismark, altera Ricolphi et Polan[f] praedictorum, et inde vadit ad finem cujusdam prati, et ibi in fine prati sunt duae metae sub arbore Egurfa, et inde vadit ad metam, quae est in Kimnikta: et inde tendit ad Septentrionem ad arborem, quae dicitur fenyö-fa, et per eandem

a) Hinc appareret, Civitatem Késmark inter Saxonicas 24. Regales non fuisse reputatam, alias enim frustranea haec esset provocatio. Subseque nihilominus recensetur inter eas, ut in specie in Diplomate Carolino legere est.

b) Hucusque finit cl. Wagner in Anal. Scep. I. pag. 48.

c) Sive Thurocziensis, h. Turócz.

d) h. Leibicz.

e) h. germanis Bierbrun (= Viborna).

f) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 339.

*

silvam vadit in Zaloghpotoka [g] et inde descendit parumper, et inde ascendit ad viam, et ibi est meta; Deinde vadit superius ad *Hasfa*, et inde tendit ad silvam, et per silvam tendit ad montem *Tartur* [h] et inde descendit de monte in Bistrczepotoka, et per eundem fluvium Bistrcze tendit inferius, et ibi tenet metam cum Eur. [i] Et inde de fluvio Bistrcze transit ad magnam viam, per quam descendit juxta Ecclesiam Sancti Michaelis ad vallem, per quam descendit ad pontem; et inde de ponte inferius per magnam viam revertitur ad priorem metam. Et sic metae ipsius terrae terminantur. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes dedimus literas, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Demetrii [k] Praepositi Albensis, Aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo nono. Regni autem nostri tricesimo quarto.

IX.

Ladislaus IV. (Chunus seu Kún-László) Hungariae Rex Comiti Botyz Villam Zalong et Matthaei, ob expulsum e Castro Scepus Rolandum confert. Anno Domini 1275.

Ex autographo in tabulario nobilis familiae Máriássy existente.

LADISLAUS Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex: Omnibus, praesentes literas inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Licet Regia pietas manum munificam porrigere debeat universis; illos tamen, quorum experta probitas laudata est in prosperis et adversis, prosequi debet munificentia largiori, ut alii, exemplo eorum incitati, ad fidelitatis opera fortius accendantur. Proinde ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam, harum serie volumus pervenire: Quod, cum Comes Botycz filius Comitis Marci [a] ab aevo suae pueritiae usque ad haec tempora, tam Carissimi Patris nostri, Domini Stephani Illustris Regis, clarae recordationis, quam nostris temporibus in diversis expeditionibus Regni Hungariae meri-

g) Ubi adest possessio Kis-Szalok hodie dicta, ad Késmark spectans.

h) Sive Tátra, alias Carpatus.

i) Sive Neere V. Suppl. Anal. P. I. p. 84 (h. Nagy-Eőr).

k) Fuit supra nominati Smaragdi Successor. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. p. 176.

a) Videlicet Protopatris Máriássianae Familiae (Dipiom. II. a) qui praeter alios filios, Marcum quoque, natu majorem habuit. Iste cum filio suo quoque Marco profugum ad maritima Regem commitabatur, reducemque inde cum Frangepaniis et Bebekiis, Marci consobrinis et cognatis, avitorumque jurium Gömöriensium Condivisionalibus fratribus ad Patriam sequebatur.

toria servitia et obsequia impendisset gratiosa, idem tamen specialiter post obitum ipsius carissimi Patris nostri, Nobis in aetate tenera adhuc constitutis, cum gubernaculum totius Regni Hungariae Deo propitio, ad Nos fuisset devolutum jure successorio, et ordine geniturae, et dissensiones ac varia in Regno nostro dissidia discriminum emersissent, Rolandusque [b] filius Mark [c] contra nostram Majestatem Regiam, se in Castrum de *Sceps* recepisset, sub eodem Castro de *Sceps*, ad quod expugnandum praenotatus Comes Botyz de nostro mandato accesserat, viriliter dimicavit, variis fortunae casibus se intrepide submittendo, ubi etiam jaculo transfossus in brachio, mortem nonnisi potuit evadere, summa Creatoris misericordia mediante; hominibusque suis, nec non viginti quatuor aliis, similiter lethiferis vulneribus sauciatis, aliis vero semivivis in conflictu eodem derelictis, idem Castrum tam crudeliter, tamque strenue diebus plurimis atrociter expugnando obsedit, et diutius per virtutem bellicam expugnavit, ut eundem Rolandum nobiscum, per interpositionem partis Cunegundae, Ducissae Poloniae, carissimae Sororis nostrae, reconciliari coegit, et Castrum procuravit Nobis restitui memoratum. Quum itaque pro hujusmodi meritoriis servitiis ipsius Comitis Botyz, qui pro Sacri Diadematis Regii mortis subire articulos et suum ac suorum effundere sanguinem non dubitavit, plurimis donativis occurrere teneremur, et nostrae sit intentionis in majori sibi loco et tempore providendi. Ad praesens tamen quasdam duas villas nostras Zalong *) et Matthaei [d] nuncupatas, in ipso Comitatu de *Sceps* existentes, sub eisdem antiquis metis, et terminis, quibus usque modo limitatae fuerunt et possessae, cum utilitatibus omnibus et pertinentiis universis, praefato Comiti Botyz, et per eum suis haeredibus, haeredumque suorum Successoribus dedimus, donavimus, contulimus, atque tradidimus jure perpetuo possidendas. Interveniente nihilominus consensu et assensu *Moyss* Magistri Tavarnicorum Dominae Reginae, carissimae Consortis nostrae, Comitis de *Sceps*, huic collationi favorabiliter per Nos factae. Ut igitur hujusmodi collationis nostrae series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec processu

b) Etiam Rolandinus scribitur. Vide Wagn. III. pag. 201.

c) Sive Marci.

*) Villa Zalong haud longe a Markusfalva cubare debebat, subin temporibus deleta, prout plurimis aliis villis in Scepusio olim existentibus accidit.

d) Villa Matthaei (*h.* Matejócz) circa Markusfalvam quaeri debet, nec ulla ratione cum Matthaei-Villa (*h.* Matheócz), quae inter 16. hodierna Oppida numeratur, confundi potest, siquidem haec olim ad 24. Regales Scepusienses Civitates spectabat, atque hoc ipsum de Nagy-Szalok intelligendum venit. V. Supp. Anal. P. I. Diplom. XXXV. pag. 134.

temporis possit in irritum revocari, praesentes concessimus literas, duplicis Sigilli munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti Sanctae Strigoniensis Ecclesiae electi, ejusdem Loci Comitis perpetui, Budensis Praepositi, et Aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto. e) Tertio Nonas Aprilis; Regni autem nostri anno tertio, Venerabilibus Patribus: Stephano Colocensi, et Joanne Spalatensi Archiepiscopis; Philippo Vaciensi, Aulae Dominae Reginae, carissimae Consortis nostrae Cancellario, Jobo Quinque-Ecclesiensi, Dionysio Jaurinensi, Timotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, et Petro Transsilvaniensi, Episcopis; Andrea electo Agriensi, Ecclesias Dei fideliter gubernantibus. Chanadiensi et Vesprimiensi Sacrarum Ecclesiarum Sedibus vacantibus f) Rolando Palatino, Judice Cumanorum g) Thoma Comite, Judice Curiae nostrae, Johanne et Nicolao Banis totius Sclavoniae, Matthaeo Waiwoda Transsilvaniae Comite de Zonouk, Egidio Magistro Tawarnicorum nostrorum, Nicolao Dapiferorum, Petro Agazonum nostrorum Magistris, Comite Zulgagene, Magistro Joachimo Comite de Pilysch, Ugrino Bano de Sevrinio, Dionysio Comite Zaladiensi, Petro Comite Supruniensi, Michaele Comite Nitriensi, et aliis quam pluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

X.

Henno, Comes Saxonum, cum Rolandino Comite Scepusiensi exortam inter populos Ecclesiae Scepus, ac Rusquinenses Saxones litem componit. Anno Domini 1277. a)

NOS Rolandinus Magister, Comes de Scepus b) universis, ad quos praesentes literae pervenerint, salutem et omne bonum. Ad universorum notitiam tam praesentium quam futurorum harum serie volumus pervenire: Quod, cum inter populos Ecclesiae Sancti Martini de Scepus in

e) Cf. Catalogos Regni Hung. in Corpore Jur. Tom. II.

f) Cf. R. P. Nicol. Schmitth Compend. Archiepisc. Strigon. Tom. I. p. 139.

g) Rolandus iste jam anno 1273. Palatinus et Judex Cumanorum fuit. In dicto Catalogo etiam Banus Machoviensis notatur. Is, tam ob turbas, quas in Regno excitavit, quam quod illa tempestate in usu fuerit, imo sub Andrea II. Lex 1232. plane condita dictaverit, ut singulis annis alter eligeretur Palatinus Regni, officio suo excidit. Postquam, mediatrice Cunegunda (V. superius Diploma) in Regis gratiam, rursum devenisset, facile etiam antehabitum Palatinatus honorem ac officium est consecutus. Cf. tam V. Catalogum quam noviorem in Corp. Jur. Regni Hung.

a) Cf. Wagner I. pag. 296.

b) Item III. pag. 201.

parte una, et Saxones de Villa Ruskeni (*h. Ruszkin*) parte in altera super quadam particula terrae materia orta fuisset contentionis, et de speciali Mandato Domini Regis aliquantulum coram Nobis fuisset ventilata; tandem nostra provisione, et partium etiam consensu, mediantibus probis viris, Fratribus Arnoldo, et Henone Comite Saxonum, Jacobo Lectore et Henrico Plebano de Leucha [c] et aliis quam plurimis mediantibus, talis inter partes facta est compositio, ut super praedicta terra contentiosa fecerunt et ordinaverunt terminum in quodam rivulo, qui Vizoka [d] nuncupatur. Et ut de cetero inter partes omnis lis et controversia sopiatur, decretum est, partibus consentientibus, ut si aliqua partium dein a compositione resiliret, ante litis contestationem parti, compositionem servanti, decem Marcas [e] argenti persolvere teneretur. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, post octavas Assumptionis beatae Virginis gloriosae.

XI.

Elisabetha Regina Hungariae donationem Terrarum, a Colomano et Bela circa Villam Thamasfalvam factam confirmat. Anno Domini 1280.

Ex autographo in tabulario nobilis familiae Szent-Andrássy existente.

ELISABETH [a] Dei gratia Regina Hungariae, omnibus Christi fidelibus, praesentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum praesentium, futurorumque notitiam harum serie volumus pervenire: Quod, cum Dominium Provinciae Scepus Dei gratia et favore Domini Regis Ladislai filii nostri carissimi, et Dominorum Baronum suorum consensu, ad nostras manus fuisset devolutum, Nicolaus et *Marc* filii Mathiae, nobiles de Scepus, ad nostram accendentes praesentiam, humiliter supplicando postulaverunt, ut terram juxta Villam Thamasii [b] (*h. Tamásfalu*) existentem, quam Dominus Rex Colomanus, et Rex Bela, Socer noster, piae memoriae, praefato Mathiae Patri eorum, et eisdem Nicolao ac Marco pro

---

c) Leutschovia.

d) Supplem. Anal. P. I. pag. 117.

e) Ibid. p. 41, Nro 20.

a) Mater fuit Ladislai Regis, et nominabatur Senior vel Major Regina, ad distinctionem Junioris, consortis ipsius Ladislai, Elisabethae seu Isabellae, quae fuit Caroli Siciliae Regis filia. V. Suppl. Anal. P. I. Diplom. XXXVI. pag. 143. XCIII. pag. 199—217.

b) Supplem. Anal. Scep. P. I. pag. 199.

multiplicibus fidelitatibus et servitiis eorum contulerat, sicut in eorundem Regum privilegiis, exinde indultis, plenius vidimus contineri; Nos etiam eis gratificare, et perpetuare dignaremur. Nos itaque meritoria Servitia dictorum Nicolai et Marci, qui cum Mathia Patre eorum supra dictis Regibus Hungariae, et tandem Domino Regi Ladislao, filio nostro, ac nobis in fervore merae fidelitatis laudabiliter intenderunt, benignitatis oculis intuentes pro eo, quod in pacifica possessione dictae terrae a tempore donationis usque in praesens tempus eos permansisse comperimus, eandem terram cum suis utilitatibus et pertinentiis ipsis Nicolao et Marco, et eorum haeredibus, haeredumque suorum Successoribus dedimus et contulimus; imo iam dudum collatam relinquimus, perpetuo pacifice possidendam. Cuius quidem Terrae Commetanei sunt a parte occidentis, Stephanus filius Olosz, a parte vero septentrionali in latere Birch, populi de Villa Thamasii, a parte autem orientali, populi de Villa Simugy (*h. Sümegh*). A meridie vero adjacet ei Silva magna. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes eisdem Nicolao et Marco, et eorum haeredibus concessimus literas, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo.

XII.

Comes Joannes, Frater Botyz, Pecoldo de Gölnicz scultetiam in Villa Vagendrüssel pro inducendis in Nemus populis cum 20 annorum libertate atque libera Ecclesia confert. Anno Domini 1290.

Ex autographo in tabulario fam. familiae Máriássy habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus, quibus praesentes ostenduntur, salutem in omnium Salvatore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporaliter literarum testimonio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: Quod Comes Joannes, frater Botyz, pro se et pro fratribus suis universis ab una parte, Pecoldus de Gyulnicz ab altera in nostri personaliter constituti praesentia, idem Comes Joannes confessus est, praedicto Pecoldo Scultetiam in Villa ipsorum Vagundriczul (*sic*)* vocata, super fluvium Gyulnycz (*h. Gölnicz*) locata contulisse, cum libertatibus, in literis Comitis quondam Botyz contentis: Quarum tenor talis est:

*) *h.* Merény, germanis Wagendrüssel.

Nos Comes Botyz, Magister Nicolaus, Magister Marcus universis Christi fidelibus, praesentes literas inspecturis salutem in omnium Salvatore. Praesens pagina ea de causa a nobis conceditur, ne ordinatio per nos constituta, ad nihilum redigatur. Harum ergo serie literarum ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos populis nostris in silvam densam, quae vulgariter parva Gyulnuch nuncupatur, convenientibus dedimus, donavimus, et fide nostra, Deo debita confirmavimus viginti annorum libertatem, et in vicesimo primo anno tenebuntur nobis solvere ordinariam solutionem, sicut solvunt in Provincia *Scypsiensi*, et sic deinceps perpetuo. Munera vero sicut mos est in Provincia; Judicem sicut libertas Saxonum, habeant: de Judicio nobis duae partes cedunt, tertia Judici judicanti. Item donavimus Pecoldo duos mansos, scilicet duos fundos Curiae liberos perpetuo, unum locum pro molendino liberum, Ecclesiam liberam, ac etiam una cum eis pro Ecclesia Dei laborare, si autem aliqui ex ipsis recedere voluerint, venditis Aedificiis suis et novellis, ut mos est in terra, clara luce liberam habeant recedendi facultatem. In cujus rei memoriam et fidem pleniorem concessimus literas nostras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Berzete Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo.

Dixit etiam idem Comes Johannes, quod ultra viginti annos, quatuor annorum libertatem supra dictis populis condonasset, quibus exspiratis de omnibus utilitatibus reditum dictae Villae sextam partem memorato Pecoldo Sculteto perpetuo et in filios filiorum suorum concessissent. In cujus rei memoriam praesentes concessimus literas, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Feria quarta proxima post Festum Paschae Domini, anno eiusdem Millesimo tercentesimo decimo quinto.

XIII.

Frolingus, Judex Felkensis cum Matthaeivillensi Gotchalko coram Helbrando Saxonum *Landgraffio*, controversiam ratione Chetene exortam componunt. Anno Domini 1292.

Ex autographo in archivo oppidi Felkae existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem in salutis Auctore. Universis, quibus expedit, notum volumus fieri per praesentes: Quod cum

in spoliatione Ecclesiae nostrae per Regem Ladislaum et suos Newgaros a) inter dam*p*na quam plurima, una cum rebus aliis antiquum sigillum nostrum fuisset perditum, ac ablatum: Nos iniquorum fallacias aequitatis tramite rescindere cupientes, omnigenarum Conditionum literas, sub antiquo Sigillo nostro emanatas et confectas, quae novi Sigilli nostri testimonio revocatae non fuerint, publica protestatione praemissa, irritas, cassandas et refutandas decernimus ad cautelam. Hinc est quod Gotscalcus Villicus de Villa Matthaei *(h. Matheócz)* et Frolingus de Filka *(h. Felka)* ad nostram accedentes praesentiam, exhibuerunt nobis literas, sub antiquo Sigillo nostro emanatas, et confectas, cum instantia rogantes, ut easdem sub novi Sigilli nostri testimonio rescribere dignaremur: Quarum quidem literarum tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. (V. Supp. Anal. P. I. pag. 134.)

Frolingus vero una cum filiis suis Nicolao et *Hensesmanno* personaliter est confessus coram nobis, quod totam suam portionem, sibi jure haereditario contingentem in Censu, in Judiciis, in Molendinis et in *brassiatoriis*, in Curiis et in agris, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis vendidisset Gotscalco saepius dicto, sibi et suis haeredibus jure perpetuo possidendam, pro Quinquaginta scilicet marcis habitis plene ab eodem et perceptis. Nos itaque praedictorum Gotscalci et Frolingi, Menhardi de Monte Sancti Georgii *(h. Szepes-Szombat)* et Helbrandi de Stojanis *) super ejusdem, qui hujus Compositionis mediatores et testes extiterunt, justis petitionibus salubriter inclinati, exhibitas nobis literas, sub novi sigilli nostri testimonio duximus rescribendas. Datum Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo.

XIV.

Helebrandus, Comes Saxonum, ad petitionem Leibiczensium civium, Baldi Comitis metales literas conscribit. Anno Domini 1294. (V. Suppl. Anal. P. I. p. 390.)

Ex autographo in archivo civitatis Leibicz habito.

NOS Helebrandus, Comes Saxonum, et Jurati ac universi Judices de Scepus, significamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem, quod Hermannus Judex de Leibitz ex parte sua, et villanorum suorum,

a) Accidit hoc circa annum 1285, quo Ladislaus Tartaros clade affecit, captos vero in Hungariam reduxit, qui N e w g a r i sive novi Hungari postea dicti sunt.

*) Stojan villa amplius non exsistit.

ad nostram accedendo praesentiam exhibuit nobis literas nobilis viri Baldi, Comitis de Scepus [a] cum instantia nos rogando, ut easdem literas metarum de verbo ad verbum, sub Sigilli nostri testimonio rescribi faceremus, quarum metarum scilicet signa sive metae inter Leibicziam et Villam Kísmar*ck* sunt: prima autem meta incipit in Warkusa, ibi tenet metam cum Villa Kismark, et inde descendit ad bivium, et inde de bivio vadit per giros montis, qui dicitur Preym, et deinde descendit ad Dedislopotoka, per quem transit ad metam, quae est secus viam, et inde transit per flurium Leibicza, et vadit ad rivulum Durandi, deinde ascendit ad viam, quae ducit in Verben [b] et per eandem viam vadit ad vallem Kiewt, et ibi tenet metam cum Villa Verben, et inde de valle Kiewt descendit ad partem meridionalem ad rivulum Verben, et inde vadit ad Fluvium Poprad, et sic metae ipsorum terminantur. In cujus rei perpetuam memoriam literas nostras concessimus Sigilli nostri munimine roboratas, Mense Aprili: Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quarto. Nos itaque considerantes ejusdem petitionem Hermanni Judicis de Leibicza fore legitimam, congruam et honestam, praesentes literas de verbo ad verbum conscribi fecimus, sigilli testimonio roboratas. Datum in Festo undecim millium Virginum [c] anno ut supra. (L. S.)

XV.

Baldus, Comes Scepusiensis ordinat, ut Paulus de Quintoforo annue tria auri pondera pro sua terra solvat. Anno Domini 1294.

Ex autographo apud eosdem habito.

NOS Baldus, Comes Scepusiensis, memoriae commendantes significamus praesentium per tenorem, quibus expedit universis: Quod cum Dominus Rex possessiones et terras cujuslibet conditionis hominis, in Districtu Scepusiensi existentes, nobis scire et mensurare praecepisset, quis eorum et quo titulo sua jura possideret: Nos itaque praeceptum Domini Regis adimplere cupientes, ut debemus et tenemur, inter cetera ad terram Pauli de Sancto Ladislao accessimus: Qui quidem Paulus ad nostram accedens praesentiam, petens cum instantia, ut ipsam terram ad solutionem auri ordina-

---

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 390.

b) Seu Virbo, h. lat. Menhardi villa, hung. Menhard, slav. Virbov.

c) Metales istas literas Anno 1650, V. Capitulum Scepus ad oppidanorum instantiam transumpsit. Festum vero hoc olim 21. Octobris celebrabatur.

remus. Nos vero considerantes justas petitiones ejusdem Pauli, ordinavimus cum eodem, ut de ipsa terra idem Paulus tria Pondera auri gravis ponderis annue teneatur. In aliis autem debitis, collectis et exactionibus erit expeditus, gaudens eadem libertate, qua ceteri auridatores, in Scepus ordinati, gratulantur. Prima meta incipit a parte meridionali in una Semita, ubi pratum Saxonum de Sancto Ladislao, et pratum terrae Martini ad invicem conjunguntur; et in eadem Semita tendens, cadit ad magnam viam, qua itur versus Villam Gyuk.[a] Et in eadem magna via vadit in tantum, donec pervenit ad illum locum, ubi terra Martini, et terra Chanta[b] ad invicem conjunguntur. Deinde vadit versus septentrionem in valle una ad Caput unius fontis, deinde descendit ad latus unius montis, et vadit, in tantum, ubi metae Villae Gyuk et metae terrae Chanta ad invicem conjunguntur, deinde vadit versus orientem juxta metas Villae Gyuk[c] usque ad metas Saxonum redeundo, vadit super Caput unius fontis, qui est in latere montis Gyuk, deinde in metis eorum Saxonum de Sancto Ladislao vadit in valle una ad Caput fontis Blazio, et in eodem fonte descendit in unum rivulum, ubi est transitus, et super eundem rivulum in medio prati revertitur ad priorem metam; et sic metae ipsius terrae terminantur. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam nostras literas concessimus Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Mense Decembri Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

XVI.

Andreas III. Hungariae Rex Baldi literas confirmat. Anno Domini 1295.

Ex autographo in oppido Leibicz habito.

ANDREAS[d] Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex: Omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, praesens scriptum inspecturis, salutem in vero Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus

---

a) Gyuk villa amplius non existit.

b) Csentsich h. Csontfalu prope Quintoforum (= Csötörtökhely).

c) Circa Sanctum Ladislaum seu Quintoforum, praeter hanc villam aliae plures quoque desiderantur.

d) Venetus cognominatus, filius Stephani, filii Andreae II. Hierosolymitani.

pervenire, quod hospites nostri de Villa Leibicza ad nostram accedentes praesentiam, exhibuerunt nobis quasdam literas Baldi Comitis Scepusiensis.

Nos Baldus Comes etc. (V. Suppl. Anal. P. I. pag. 391.)

Nos igitur justis petitionibus praedictorum hospitum de Villa Leibicza favorabiliter inclinati, praedictas literas memorati Bald Comitis de Scepus, non cancellatas, non abrasas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte diminutas, de verbo ad verbum praesentibus insertas, authoritate nostri privilegii duximus confirmandas. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas.[b] Datum per manus Venerabilis Patris Theodori Dei gratia Episcopi Jaurinensis, Aulae nostrae Vice-Cancellarii[c] dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Regni autem nostri anno quinto.[d]

Diplomata Seculi XIV.

XVII.

Carolus I. Hungariae Rex, Jones Episcopo Cracoviensi, ejusdemque Successoribus Castrum Ploche cum omnibus attinentiis, ac singularibus libertatibus confert in perpetuum. Anno Domini 1301.

Ex autographo coram limitanea Hungarico Galliciana comissione per Gallicianos producto.

NOS Karolus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex: Universis et singulis praesentis temporis et futuri, ad quorum notitiam praesentes devenerint, volumus esse notum: Quod ex clementia Regiae Majestatis, advertentes fidelia, utilia et ardua servitia, multo tempore exhibita, et in futurum, dante Domino, exhibenda, quae Nobis exhibuit ad promotionem

b) In Corp. Juris Hung. Tom. I. pag. 158. de litteris istius Andreae Regis ita habetur: litterae hujus Andreae et privilegia non servantur: exceptis, si quae per Carolum Regem, suum legitimum Successorem, annulari Sigillo suo in cera rubra, in qua habetur litera K. a parte dextra scuti, pro Sigillo suo Confirmationis apposito, fuissent confirmatae; nam tales ubique servantur.

c) Adhuc Anno 1294 Praepositus Albensis Aulae R. V.-Cancellarius scribebatur. Nicol. Schmitth Tom. I. Episc. Agrien. pag. 234.

d) Sigismundus III. Rex Poloniae isthoc privilegium anno 1596. die 20. Aprilis confirmavit, quod deinde in Capitulo Scepusiensi Sabbatho proximo ante Dominicam Laetare 1633. rescriptum est.

Regni Hungariae et Coronae, non pensando personam, vitam et res venerabilis Princeps noster dilectus, et Vice-Cancellarius Regni nostri Jones, Dei gratia Episcopus Cracoviensis, [a] meritis suis tam laudabilibus, tamque gloriosis, condigna satisfactione rependere cupientes, sibi suisque Successoribus Ploche castrum nostrum, de metis Terrae Sandecensis, jure haereditario cum omnibus attinentiis suis, Districtu, juribus, reditibus, proventibus, utilitatibus, usibus, dominio directo et indirecto, agris, pratis, silvis, nemoribus, pascuis, aquis, montibus, vallibus, lacubus, piscationibus, fructibus industrialibus, seu naturalibus, venationibus, judiciis, questu, solutionibus, collectis dedimus, contulimus, donavimus jure traditionis perpetuo, et irrevocabiliter conferendo; dantes ei, et suis successoribus omnimodam potestatem, et licentiam liberam dictum Ploche cum suis pertinentiis et Districtu, parte et in toto dandi, donandi, vendendi, permutandi, obligandi, transferendi, et alienandi, in locum et in quamlibet personam, cujuscumque conditionis, status honorisque existat, secundum quod suae placuerit voluntati, omne jus nostrum dantes eidem integre et sine Diminutione pure, simpliciter et absolute: nihil juris in praedictis Nobis nostrisque Successoribus reservantes. Damus etiam ei, et suis successoribus omnimodam potestatem, licentiam et facultatem locandi praedictum Districtum jure Teutonico *Gallico*, vel quocumque alio duxerit eligendum, et etiamque, si voluerit infeudandum, ipsum Successoresque ejus Jobbagiones, incolas, habitatores, Colonos praedicti Castri, et sui Districtus cum pertinentiis suis ab omnibus, Palatinis, Castellanis Judicibus, Officialibus, exactionibus, ordinariis et extraordinariis solutionibus reddimus absolutos, liberos et immunes Regni nostri Hungariae et penitus exemptos; ita prout praefati Jobbagiones, Coloni et habitatores dicti Districtus Castri et Dominii, in omni causa coram nullo alio Judice, nisi coram praefato Episcopo, Successoribus ejus et Judicibus eorundem tenebuntur de se querulantibus respondere. Actum Budae in domo Domini Regis, Praesentibus Venerabili Patre Nicolao Episcopo Bosniensi, Dominico Magistro Janitorum, Magistro Demetrio, [b] nostris fidelibus et aliis quampluribus fide dignis. Anno Domini Millesimo trecentesimo primo. Sexto Calendas Octobris. In cujus rei testimonium, et perpetuam evidentiam prae-

---

a) Hinc recte infertur Ducatum Cracoviensem ad Hungariae Regnum pertinere debuisse; neque enim Rex in alienis Bonis, aut alienigenae donationem facere voluisset, aut potuisset, contra art. 26. Andreae II. 1222 anni.

b) Bonfinius Dec. II. lib. IX. pag. 314 refert Demetrium a partibus Wenceslai, Bohemiae Regis filii, perinde fuisse.

sentes fecimus Sigilli nostri munimine roborari, Secretum annulum nostrum eidem apprimentes per manus praefati Episcopi Bosniensis faciendo, et appendi praesentibus Sigilla praedictorum nostrorum, de quorum consilio hanc fecimus donationem, Regni nostri Hungariae anno primo. c)

XVIII.

Hydenricus Scultetus de Podolin, Hildegundi sorori suae scultetiam in haereditate sua Ruschembach sub certis conditionibus cedit, extirpantibusque sylvam concedit aedificare Ecclesiam cum mediis Decimis, ac libera electione Plebani. Anno Domini 1303.

Ex autographo in tabulario Podolinensi habito.

IN nomine Domini. Amem. Quoniam oblivio novercatur memoriae, solent ea, quae geruntur in tempore, ne simul cum processu temporis labantur, literarum robore perennari. Hinc est, quod Nos Hydenricus Scultetus de Podolin ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Hildegundi sorori nostrae, et Henrico marito suo cum bona voluntate, et matura deliberatione filiorum suorum Hermanni videlicet, et Thylnistonis, et etiam cum consensu omnium filiarum suarum, dedimus Scultetiam seu villicationem in haereditate nostra Ruschembach, *(h. Ruzsbach)* libere aeternaliter possidendam: ita tamen, quod ab haereditate, quam nobiscum habuit in Podolin, sit omnimode segregata, et quod etiam in omni haereditate, quam habuit cum pueris suis in Knizen *(h. Gnezda)*, penitus sit exempta. Dedimus etiam Sorori nostrae et marito suo, in praedicta haereditate nostra Ruschembach, unum mansum liberum, et unum molendinum liberum et unum Braxatorium liberum. Item de judiciis quidquid infra Fertonem a) provenerit, ipsi tollent. Si vero ultra fertonem fuerit, extunc duae partes Nobis cedent, eis tertia parte remanente. Item de homicidiis, de furtis, de sanguinis effusione, de violentia, et de falsa moneta quidquid pervenerit, Nobis cedent duae partes, et eis tertia pars, quemadmodum superius est praemissum. Item de Censu, quem Mansionarii sive Incolae praefatae haereditatis nostrae tenebuntur solvere, scilicet de quolibet manso octo Scotos usualis argenti in Festo

---

c) Ab alectione sua per nonnullos facta, annum quoque regiminis sui intrepide scribit, atque ab illo subsequos computat, non obstante, quod Regni Solium primum Anno 1308 adiverit, et 1310 coronatus fuerit.

a) Quid Ferto sit, V. Supl. Anal. Part. I. pag. 41. Nr. 20.

beati Matini Episcopi, ipsa et maritus ejus sextum denarium recipient pleno jure. Praeterea propter dilectionem et favorem, quem ad villamos nostros in Ruschembach gerimus, ipsos ad certam summam pecuniae pro praesentatione, quam Nobis tribus vicibus in anno praesentabunt, videlicet in Nativitate Domini, et in Pascha, et in Dedicatione *(Ecclesiae)*, nostra frangere noluimus, sed potius eorum honestati et possibilitati duximus committendum. Illis vero qui in praedicta haereditate nostra Ruschembach Sylvam secare, et ex(*s*)tirpare, et in agros fertiles transmutare voluerint, concedimus libertatem quindecem annorum; ita quod infra illud spatium Nobis in nullo solvere teneantur, sed quod ab omni solutione et aggravamine quolibet penitus sint exempti. Item Ecclesiam cum mediis Decimis liberis habebunt, et eligendi Plebanum quemcumque voluerint, habebunt liberam facultatem. Item in piscariis, in pratis et pascuis et in omnibus utilitatibus sylvae ipsis liberam concedimus facultatem. Item duas vias pro exitu gregum suorum habeant liberum arbitrium faciendi. Metae autem saepefatae Villae nostrae taliter distinguuntur. Prima meta incipit in profunda valle contra Czarstyn, et protenditur in ascensu illius vallis usque ad Platanum, postea de Platano usque ad nigrum rivulum, et in descensu illius rivuli usque ad aquam, quae vocatur Poprad, supra montem usque ad metas Sororii nostri Juliani; et ascendendo in monte illo circa metas Juliani usque ad profundam vallem, supra nominatam: et sic metae haereditatis nostrae Ruschembach finaliter sunt distinetae. Finita autem libertate illorum, qui sylvam extirpabunt, sciliter quindecem annorum, extunc Nobis consum cum aliis, videlicet octo Scotos usualis argenti, tenebuntur solvere in termino supra dicto. Ut igitur singula praemissa robur perpetuae firmitatis valeant obtinere, nec per quempiam posterorum queant aliquatenus irritari, praenominatae Sororii nostrae et Henrico marito suo, per dictas literas dedimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Podolin, in Festo Gertrudis virginis. Anno Domini Millesimo trecentesimo tertio. [b]

---

b) Has literas V. Capitulum Scepusiense festo beati Marci Evangelistae Anno Domini 1642 Podolinensibus instantibus extradidit.

XIX.

Carolus Hungariae Rex, Magistro Kokos, filio Comitis Rycolphi, in obsidione Castri Scepusiensis vulnerato, possessionem suam, Ever vocatam, cum omnibus suis utilitalibus in perpetuum donat. Datum Anno Domini 1307.

Ex autographo in tabulario Illustris familiae Berzeviczianae habito.

NOS Karolus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, omnibus Christi fidelibus, praesentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Regalis Majestatis Celsitudo metiri debet merita singulorum, et unicuique in recompensationem fidelium servitiorum suorum legaliter, et regaliter, secundum Decentiam meritorum occurrere muneribus donativis, ut aliis speculantibus transeat in exemplum, et in formam, qualem fidelitas nanciscitur obsequiorum repensivam. Proinde ad universorum, tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod, cum Deo propicio, universi Ecclesiarum Praelati, Barones, Nobiles, et cujusvis status homines, in Regno nostro Hungariae existentes, Nos recognoscentes in Dominum naturalem pari voto et concordi consilio in Regnum Hungariae jure, et ordine Nobis debitum, introduxissent, inter ceteros nostros fideles, nobilis et strenuus Vir Magister Kokos, filius Comitis R*i*colphi, [a] cum omni fervore fidelitatis, nostro lateri adhaerendo, in prosperis, et adversis, multifarie multisque modis meruit complacere, et in diversis Expeditionibus nostris, et agendis oportunis fidelissimos exhibuit famulatus; et specialiter in obsidione Castri nostri Scepusiensis, quod Bohemi contra nostram Regiam detinebant Majestatem, in cujus quidem expugnatione triginta duo Servientes sui, et duo cognati fuerint inter*h*empti, et idem Magister Kokos letaliter ex(*s*)titit vulneratus. Demum in obsidione, et expugnatione Castri Strigoniensis, quod Johannes Henrici contra Dei viventis, et nostram Regiam detinebat Majestatem, indebite occupati, ubi idem Magister Kokos coram oculis nostrae Majestatis denuo ex(*s*)titit vulneratus, et duo Servientes sui cum ictibus lapidum interfecti ex(*s*)titerunt. In recompensationem igitur tot, et tantorum servitiorum suorum quandam possessionem nostram Regiam Ever [b] vocatam, in

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 245. Fidelis Carolo fuit. Unde etiam in publicis super communi ejusdem electione elaboratis tabulis legitur subscriptus. V. Odoric. Raynald Tom. XV. ad A. 1308. n. XXIII, item P. Carol. Péterffy Tom. I. pag. 150.

b) Suppl. Anal. Part. I. pag. 84.

confinio terrae Scepusiensis c) existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis universis de consilio Ugrini Magistri Tavernicorum nostrorum, Omode, Borandi, et Oper Palatinorum, Dominici, Johannis filii *Chaak*, et Beke, filii Thomae Magistrorum, dedimus, donavimus et contulimus ipsi Magistro Kokos, et suis haeredibus, haeredumque suorum Successoribus, jure perpetuo, et irrevocabiliter possidendam. Cujus quidem terrae metae hoc ordine distinguuntur: ab Oriente descendendo de alpibus quidam rivulus, qui vulgariter T e y t e-potoka nuncupatur, et fluit circa villam *Ruknok* d) et cadit in praedictam terram Ever, et vadit ad sylvam. Deinde super verticem unius monticuli Becretz e) dicti, ascendit juxta pratum Praepositi Ecclesiae beati Martini de Scepus, quod pratum populi de ipsa villa Ever Ecclesiae f) contulerunt: inde vero iterato cadit ad fluvium Poprad, et in eodem ascendendo vadit ad pontem, ubi populi de *Kasmark* ad sylvam transitum facere consueverunt; inde vero reflectitur in quadam valle Zazteluke g) vocata, et in medio vallis ascenditur ad Bur-Kut, et reflectitur ad Saarpotoka, ascendendo versus alpes ad priorem metam, et sic terminatur. Ut igitur nostrae donationis series robur obtineat perpetuae firmitatis, praesentes eidem concessimus literas duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus, discreti viri Magistri Johannis, electi Albensis, Aulae nostrae vice Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo tercentesimo septimo, Regni autem nostri similiter septimo.

XX.

Stephanus Comes Saxonum exortas inter gentem Berzeviczianam et Görgeyianam simultes, ad fratricidium usque deventas, amica ordinatione componit. Anno Domini 1307.

Ex autographo in tabulario earundem familiarum habito. Edidit Wagner P. III. Anal. Scep. pag. 251. mance. *)

NOS Stephanus Comes Saxonum, Jurati ac universi Judices de Cyps, dantes pro memoria, significamus, quibus expedit universis, praesentium per tenorem: Quod Comes Arnoldus, et filii sui coram nostra consti-

c) Ibidem pag. 34—454.

d) Rokus (R o x) villa in Scepusio.

e) A Polonis slavis eandem plagam inhabitantibus, ita dictus.

f) Scil. P r a e p o s i t i A d o l p h i tempore, qui patruus Nycolphi fuerat, facile pratum hoc ecclesiae contulere. V. Suppl. Anal. P. I. p. 7.

g) E polonica dialecto, idem significante ac p o s t h a e c p r a t a.

*) Voces, etc. quae cursivis litteris in hocce documento signantur, apud Wagner loco citato occurrunt.

tuti praesentia, ex una parte, et Magister Kokos, et fratres sui ex altera, omnem controversiam, et inimicitias inter se super strage Chyderici *(Friderici)*, filii comitis Arnoldi [a] habitas, in spoliis, et homicidiis et rapinis, arbitrio fide dignorum virorum commiserunt ultronea voluntate ita, quod Comes Arnoldus hos statuit suos arbitros: videlicet Comitem Iwanum et Comitem Julianum de Gargow *(h. Görgő)*, et Christianum Judicem de Bela; Magister vero Kokoss hos suos statuit arbitros: Conradum de Paldmar [b], *(Baldmar)*, Heydimirum *(Heydenricum)* Judicem de Suburbio [c], et Marcum Judicem de Quintoforo *(h. Csötörtökhely)* obligantes se ex utraque parte ratum, ac firmum habituros, quidquid per eosdem arbitros exsistet ordinatum. Hi itaque arbitri utriusque partis consedentes, partium rancorem (,) et discordiam diligentius evitantes, unitatem concordiae (,) facere satagentes, hanc ordinationem ad pacis compositionem, et meram reconciliationem deduxerunt ordinandam, videlicet: Quod Magister Kokoss cum fratribus suis hanc emendam, et satisfactionem facere teneantur. Quod cum centum personis ad diem emendae idem Magister Kokoss *(debeat comparere; ex his Magister Kokos,)* et fratres sui cum consanguineis suis propinquioribus sedecim numerati, debent Arnoldo Comiti, et suis filiis homagium [d] humiliter celebrare (;) praeterea Hynamus *(Hymannus)* Lank, cum quatuor honestarum personarum comitiva, Romam tenebitur peregrinari, Roma ad Sanctum Nicolaum de Bari, deinde Romam redeundo cum personis sibi sociatis, duo junctarum personarum ad propria redibunt. Hynamus vero Lank, cum una junctarum personarum tenebitur ire ad S. Jacobum: de S. Jacobo Achis ad Beatam Virginem, deinde ad propria veniendo: Praeterea pro morte Chyderici *(Friderici)* ducentas marcas *(200)* statuerunt, ex quibus centum *(100)* in die emendae ad petitionem proborum virorum sunt relaxandae; ex aliis vero centum *(100)* marcis in die emendae viginti sunt persolvendae in justa aestimatione. Item quindecim in Festo B. Jacobi, et quindecim in Festo S. Michaëlis, similiter in debita aestimatione sunt solvendae; residuae vero quinquaginta *(50)* marcae in egressione Hynami *(Hymanni)* Lank, ad limina sanctorum praemissa, sunt totaliter relaxandae, in subsidium laboriosi itineris peragendi. Item Magister Kokoss in remedium dicti Chyderici *(Friderici)* inter*h*empti sex Claustra tenebitur impetrare [e] et **quadringenta** *(quatuor millia v. Wagner P. III. pag. 252.)* Missa-

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 79.
b) Harikotz (h. Pálmafalu.)
c) Szepes-Várallja.
d) V. S. Stephani Regis Decret. l. II. c. 16.
e) Seu fundare.

*

rum comparare. Item Magister Kokoss universos fidejussores Comitis Arnoldi in quolibet casu debet liberos dimittere, et solutos in rebus, et personis, et omnia instrumenta, super obligatione fide jussoria confecta, reddere indilate. Item Magister Kokoss manum suam a villa Svewi [f] et a Castro Plawtz [g] cum omnibus fratribus suis debet abstrahere, et nunquam in detrimentum Comitis Arnoldi, et suorum filiorum laborare; sed debet eis fidem fraternalem in omnibus perpetuo *(e)* exhibere. Hanc itaque pacis compositionem statuentes omnibus generalem, quod pax quieta, et jungis *(jugis)* concordia inter eosdem perennaliter habeatur in praesentibus, pariter et praescriptis *(praeteritis)*: excepto Nicolao filio Dionysii Castellano, qui ab hac ordinatione voluntarie se excepit, nolens ordinationis obligationibus subjacere. Si autem Comes Arnoldus, aut filii sui in facto jam dicti Castellani, in detrimentum Magistri Kokoss vellent interponere suas preces, cum ipso pariter insurgendo, poenam supra scriptam incidentes ipso facto. Hoc tamen adjecto in ordinatione praenotata, quod Comes Arnoldus de homicidiis et *(de)* damnis et rapinis seu spoliis suae parti illatis, debeat respondere, satisfacere ac sopire, *(Magister Kokos similiter stragem, damna, ac spolia suae parti illata debeat sopire, tollere)* tolerare, et emendare, tali obligationis vinculo, in praescripta ordinatione firmiter innodato: quod quaecunque partium praedeclaratarum hanc compositionem pacis convinceretur per juris formulam violasse, Magister Kokoss aut fratres sui, Comes Arnoldus aut filii sui perditionem possessionum, ac haereditatum, suarum universarum incurrent, et in poena suorum Capitum remanent. Et Nos Comes Stephanus ac universi Judices obligamus nos fide nostra, quod dictam partem violantem cum parte conservante, ad omnem rigorem justitiae stare volumus omni fide. In cujus rei testimonium et perpetuam firmitatem concessimus hanc literam, sigillo Provinciae roboratam. Datum Feria quarta post Festum Paschae proxima. Anno Domini Millesimo trecentesimo Septimo.

XXI.

Nicolaus filius Comitis Botiz cum suis fratribus curat transcribi literas super haereditate ipsorum Chetena. Anno Domini 1308.

Ex autographo Felkae habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, quibus expedit, tenore praesentium significamus universis: Quod accedentes ad nostram praesentiam nobiles quidam, Nicolaus, filius quondam Comitis Botiz [a] et

f) Svabócz.

g) Palocsa, in comitatu Sárosiensi.

a) V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 98.

Johannes frater ejusdem Botiz ab una parte, et Menhardus Plebanus de villa Botiz, Johannes, Conradus, et Stephanus fratres ejusdem Plebani ab altera. Idem Menhardus Plebanus, et fratres sui antedicti, quasdam literas nostras, sub sigillo nostro novo renovatas, super quadam haereditate, Chetena vocata, sita inter Felkam et montes, qui Tortoyl (*sic*) *(h. Carpathici)* nominantur, quam saepe dictus Menhardus Plebanus cum fratribus suis antedictis pleno jure possidere dignoscuntur, Nobis exhibuerunt, utraque partium sub praevia petitione instanter postularunt, easdem a Nobis denuo confirmari: Quarum quidem literarum tenor talis est.

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Dipl. 1292. pag. 17.

Praedicti vero Nobiles Nicolaus filius Botiz, et Johannes Patruus ipsius assumpserunt, quod ipsi cum eorum haeredibus saepius dictos Menhardum Plebanum et fratres suos, Johannem, Conradum et Stephanum cum ipsorum haeredibus in praescripta possessione, prout in literis nostris plenius contineretur (*sic*), ab omnibus impetitionibus propriis laboribus et expensis defensarent, ac perpetua libertate defensarent, et hoc fide juratoria firmaverunt. Attendentes itaque dictorum partium petitiones fore justas et honestas, praesentes literas eisdem concessimus, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Feria Sexta ante Dominicam Palmarum. Anno Domini Millesimo trecentesimo octavo.

XXII.

Privilegiales Oppidi Matthaeivilla super emptione quorundam agrorum a Comite Rycolpho. Anno Domini 1308.

Ex autographo penes Parochiam Matthaeivillaensem existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus, quibus praesentes ostenduntur, Salutem in omnium Salvatore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporaliter scripturarum patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam volumus tenore praesentium pervenire: Quod, cum in spoliatione Ecclesiae nostrae per Regem Ladislaum, et suos Neugaros inter dam*p*na quam plurima, una cum rebus aliis, antiquum Sigillum nostrum fuisset perditum et ablatum; Nos iniquorum fallacias aequitatis tramite rescindere cupientes, omnigenarum conditionum literas, sub antiquo Sigillo nostro emanatas seu confectas, quae novi Sigilli nostri testimonio renovatae non fuerint, publica protestatione

praemissa, irritandas, cassandas, ac refutandas decrevimus, ad cautelam. Hinc est, quod Menhardus Plebanus de villa Botiz, Johannes, Conradus, et Stephanus filii quondam Gotchalci de villa Matthaei, *(h. Matheócz)* ad nostram accedentes praesentiam, exhibuerunt Nobis literas, sub antiquo Sigillo emanatas, et confectas, cum instantia postulantes, ut easdem sub novi Sigilli nostri testimonio rescribere dignaremur: Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini in Scepus etc. — (V. Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 245.)

Nos itaque Menardi (*sic*) Plebani et fratrum suorum praedictorum petitiones attendentes fore justas et honestas, exhibitas Nobis literas, sub novo Sigilli testimonio duximus rescribendas. Datum die Sabbathi proxima ante Dominicam Palmarum. Anno Domini Millesimo trecentesimo octavo. a)

XXIII.

Wladislaus, Dux Cracoviae, Cmetones Religiosorum Cisterciensium a Judicio Palatinali, eximit. Anno Domini 1308.

Ex archivo capituli Szandecz.

NOS Wladislaus, Dei gratia Dux Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Pomeraniaeque, notum facimus tam praesentibus, quam futuris: Quia cum Sacrosanctum ordinem Cisterciensium devotione sanctissima et affectu, fratresque ipsius, cultores viros Religiosos, prosequamur favoribus gratiosis, cum hoc Coenobio et cum ipsius fratribus de Scirczio, ob remedium nostrorum peccaminum et salutem, gratiam facimus specialem; dantes eis liberam, et perpetuam facultatem, locatas, seu locandas jure, quo voluerint, villas, gangrios (*sic*), et allodia, nemora, nec non sylvas, ad ipsum Coenobium pertinentes, vel si quas possessiones in possessiones in posterum acquisiverint, ponendi, seu locandi in iisdem homines cujuscunque linguae vel nationis, quos nullus tenebitur judicare, nisi sculteti eorum, aut Domini ipsorum dicti fratres, nisi querulantibus de ipsis praemissi Fratres et Sculteti in reddenda essent justitia negligentes: tunc eos literis nostro Sigillo

a) Ideo Menardus, Batisfalvensis Plebanus suis cum fratribus privilegiales 1285-i rescribi fecit, ne temporum cum processu illa 48 jugera terrarum, quae emergente maxima quapiam necessitate Oppidi Matthaeivilla, vicinissimo de Kakas seu Nagy-Lomnitz Comiti Ricolpho, sub conditione, contractui introserta vendita erant, prorsus interire, et ab hoc Matthaeivillensi terreno, ad quod ab sui exordio pertinebant, avelli queant; quod subinde tamen factum est, ut infra docebitur.

consignatis, per aliquem Camerarium citatos, Judex Curiae nostrae Teutonico judicabit jure, aliter vel alias citati, minime respondere tenebuntur: Facimus enim ipsos ab omni jurisdictione, potestate et dominio quorumlibet Castellanorum, Palatinorum, Judicum, Camerariorum, vel officialium cujuscunque potestatis, seu conditionis fuerint, et ab omnibus inquietationibus, quae jus Teutonicum solet perturbare, semper immunes, liberos et exemptos. Quicunque autem contra hanc exemptionem et libertatem ipsos gravare in aliquo praesumpserit, indignationem nostrae dominationis procul dubio se noverit incursurum, et poenam pro merito percepturum. In horum itaque omnium evidentiam certiorem, praesentem literam conscribi fecimus, nostrique Sigilli munimine roborari. Actum publice Cracoviae Anno Domini Millesimo trecentesimo octavo. Septimo Calendas Julii praesentibus his testibus: Nicolao Palatino, Pasoslao Judice Cracoviensi, Alberto Palatino, Smirone Judice Sandomiriensi, Petro Castellano de Montogouzez, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum per manus viri honorabilis et discreti Domini Clementis Cancellarii Cracoviensis, Nobis dilecti. a)

XXIV.

Magister Kokoss Chiderico nemus confert, ad novam circa Dunajecz plantationem instituendam cum libera Ecclesiae Decima. Anno Domini 1308.

Ex autographo penes J. familiam Berzeviczy habito.

NOS Magister Kokoss, filius Comitis Ricolphi, ad universorum notitiam tenore praesentium volumus devenire: Quod Chiderico, filio Markolphi de villa Canis *(h. Hunfalu)*, nemus, ubi aqua, quae Pribicz dicitur, incidit in aquam Dunovicz, *(h. Dunajecz)* contulimus, ad novam plantationem faciendam hujus conditionis sub figura: Quod homines, eandem plantationem colentes, sedecim annis liberi debent permanere: Item idem Chidericus duos liberos mansos, suique haeredes, haeredumque successores perpetuo debent possidere: Item idem Chidericus in dicta plantatione liberum molendinum, et liberum brassiatorium, in quocumque loco voluerit, debet aedificare; ita quod nulli hominum ibidem hujusmodi extruere licebit, hoc addito: quod dictus Chidericus de Regali Judicio tertiam summere debeat partem, reliquae

a) Has privilegiales Casimirus Rex Poloniae Anno 1333 Cracoviae pridie Sancti Francisci Confessoris confirmavit.

vero duae partes in nostros usus convertuntur: Quidquid autem de parvo judicatum fuerit, totum in suos usus convertetur, ita quod nos nullum ibi Comitem debemus collocare, sed ipse de universis judicabit. Postquam vero sedecim anni libertatis dilabentur, de universis utilitatibus, quae de eadem provenire possunt plantatione, idem Chidericus sextam su*mm*ere debet partem. Item ejusdem plantationis cultores liberam Ecclesiam ac liberam Decimam debent possidere, et quilibet mansus unum tenebitur fertonem erogare. Item si montana in metis ejusdem villae provenirent, dictus Chidericus scilicet de praedictis suam partem obtinebit, et quidquid utilitatis ex aqua vel nemore percipere poterit, nulli sibi defendere licebit; et iidem homines tertia Feria forum debent observare, et liberi iidem homines de Teloneo, exeundo et intrando terram, debent permanere. In cujus rei testimonium praesentes nostri Sigilli munimine duximus roborandas. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo octavo in vigilia beati Jacobi Apostoli. (L. S. pend.) [a]

XXV.

Fassio Stephani, Comitis Saxonum de Scepus, super facta cum Fratribus suis possessionum divisione. Anno Domini 1310.

Ex autographo in tabulario F. familiae de Görgö habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus, quibus praesentes ostenduntur, salutem in salutis largitore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignumque est, ut acta temporaliter scripturae patrocinio fulciantur: Proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire; Quod Stephanus Comes Saxonum de Scepus, fideli*us* condam Comitis Eliae [b] Fratresque ejusdem Jordanus [c] videlicet et Arnoldus personaliter in nostri praesentia constituti, talem divisionem in possessionibus ipsorum se fecisse sunt confessi, ut Villa Répas (*sic*) cum metis, in nova plantatione nunc assignatis, cessit ipsi Comiti Stephano, Jordano vero et Arnoldo praedictis Villa Roks (*h. Rokus*) et Villa Toporch (*h. Toporcz*) cum metis inter eandem Villam Toporch et Senewalth [d] (*h. Schön-*

a) Sigillum Cerae albae impressum, rupicapram, erecto corpore montibus insistentem, praefert, quod hodiedum familiae Berzeviczianae sigillum est.

b) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 119, 193.

c) Ibid. pag. 79, 433.

d) Ibid. pag. 363.

wald) erectis, in filios filiorum suorum sunt devolutae, perpetuo possidendae, tenendae, pariter et habendae: ita tamen, quod si quid haereditatis et utilitatis ultra jam dictas metas, processu temporis emerserit, in communem usum omnium jam dictorum fratrum trium convertetur. Possessiones vero in Gargow *(h. Görgö)* existentes, in tres aequales partes diviserunt, excepta quadam particula, quam idem Comes Stephanus in usus proprios, emptionis titulo comparavit. Hoc nihilominus adjecto, quod si quis quempiam ipsorum, ratione jam dictarum haereditatum sic divisarum, impedire seu molestare attentaverit, unus alterum adjuvare tenebitur propriis laboribus et expensis. Et ne hujusmodi ordinationis series per quempiam inposterum revocetur, praesentes literas, nostri Sigilli munimine duximus roborandas. Datum Sabbatho proximo post Festum Corporis Christi. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo.

XXVI.

Literae metales Possessionis Rokus et Oppidi Bela. Anno Domini 1310.

Ex autographo Belae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod recepimus literas Serenissimi Principis, ac Domini Caroli, Divina gratia Regis Hungariae cum omni reverentia in haec verba:

Carolus, Dei gratia Hungariae Rex, fidelibus suis Ecclesiae Scepusiensis Capitulo, salutem et gratiam. Dicitur Nobis in personis Ladislai et Frank *(Francisci)* de Farkasfalva *(pariter h. Farkasfalva)* quod quaedam possessio eorum, Rokus vocata, in Comitatu Scepusiensi existens, apud manus eorum habita, legitima reambulatione et metarum erectione plurimum indigeret: Super quo Fidelitati Vestrae praecipimus per praesentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Magister Joannes, vel Kokos filii Ricolphi de Lomnicza [a] *(Nagy-Lomnicz)*, vel Arnoldus de Gargow, sive Latzko (Ladislaus) de Sancto Andrea *(Szepes-Szent-András)*, aliis absentibus, homo noster, ad faciem praedictae possessionis, vicinis et cometaneis specialiter inibi universis legitime convocandis et praesentibus, accedendo, perambulait ipsam

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 224.

per universas metas et antiquas, novas juxta veteres, ubi necesse fuerit, erigendo; perambulatamque et ab aliorum juribus possessionariis metaliter sequestratam et distinctam statuat, et committat eandem praefato Ladislao eo jure, quo ad ipsos dinoscetur *(sic)* pertinere, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum: Contradictores vero, si qui fuerint, citet eosdem contra annotatos Ladislaum et Frankonem in nostram praesentiam, ad terminum competentem. Et post ipsius reambulationem, possessionis statutionem, et metarum erectarum seriem, cumque cursibus metarum, ac nominibus contradictorum, et citatorum, si qui fuerint, terminoque assignato, Nobis fideliter rescribatis. Datum in Wissegrad in Festo beati Johannis Baptistae. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo.

Nos igitur mandatis Domini nostri Regis humiliter, ut tenemur, obedire cupientes, una cum Magnifico Johanne filio Ricolphi de Lumnicza *(sic)*, homine ejusdem praedicto, nostrum misimus hominem, pro testimonio fide dignum, videlicet Dominum Petrum, Chori nostri Presbyterum, ad praemissa exequenda: Qui demum redeuntes, Nobis concorditer retulerunt; quod idem homo nostri Domini Regis, annotato testimonio nostro praesente, Feria Sexta post Festum beatorum Petri et Pauli Apostolorum proxime praeterita, ad faciem dictae possessionis venientes, et co*m*etaneis suis universis, inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, reambulasset ipsam per suas veras metas infrascriptas, perambulatamque et ab aliorum juribus metaliter sequestratam et distinctam statuisset, commisisset condam praefatis Ladislao et Frankoni eo jure, quo ad ipsos dinoscitur *(sic)* pertinere, perpetuo possidendam, nullo contradictore apparente. Cursus vero metarum, ipsam possessionariis juribus sequestrantium, dinoscitur *(sic)* esse talis: Quod prima meta inciperet in quadam magna valle inter Alpes, vel montes niveos, et veniret versus plagam meridionalem ad quemdam montem rotundum, prope ipsam vallem existentem. Abhinc versus eandem plagam in Silva per bonum spatium eundo, veniret ad quemdam rivulum, Liebseiffen vocatum, quem pertranseundo in una via, ad quandam vallem latam aquosam perveniret; quam transeundo in exitu vallis ad quemdam rivulum perveniret, et in eodem rivulo veniret, et cadit ad praedictum rivulum Liebseiffen, alio nomine Schwartzbach vocatum, in quo veniret usque ad locum, ubi quondam parvus rivulus, non remote habens originem, vulgo, Krompseiffen, alio nomine Scharpataka *(sic)* vocatus, cadit in ipsum, ibique terminaretur cum Theutonicis de Bela. Abhinc in eodem rivulo ascendendo veniret prope ad metam, terra cummulatam, a parte Orientis dicti rivuli exeuntem: Abhinc quasi inter

meridiem et occidentem veniret ad quemdam fontem scaturientem, vulgo Tyczbrun *(sic)* vocatum; abhinc inter dictas plagas eundo, veniret ad arborem terebinti, vulgo, Rothbaum a parte orientali ejusdem fluvii, Weiswasser vocati, et in eodem fluvio ascenderet sursum per modicum spatium, quo exeundo, quasi, ad Occidentem, perveniret ad duos lacus; abhinc, versus eandem plagam transeundo perveniret usque ad Cacumina montium niveorum*) (*Carpathi*). Et ibi terminarentur metae cum Theutonicis de Kesmark. Datum in Festo beati Jacobi Apostoli, Anno Dni Supradicto.

XXVII.

Literae metales Olasziensium, et possessionis Sygra, respective particulae terrae Rudno appellatae. Anno Domini 1311.

Ex transumpto.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus, ad quos praesentes pervenerint, Salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod accedens ad nostram personaliter praesentiam Helbrandus, filius Laurentii Nigri, exhibuit Nobis literas Magnifici viri Vilhelmi Drugeth, Palatini et Judicis Cumanorum, in quibus Nobis institit: Quod cum literae nostrae privilegiales super possessione Rudno vocata ejusdem Hilbrandi confectae in Leuche *(hung. Lôcse, lat. Leutschovia)* ignis medio essent concrematae, idcirco Rescriptum earundem in nostro Archivo requireremus, inventumque transcribi, nostroque Sigillo faceremus communiri eidem Hilbrando, cujus tenor talis est: a)

Capitulum Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, quibus praesentes ostenduntur, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam, tenore praesentium, volumus, pervenire: Quod Discretus Vir Marcus Presbyter, Socius et Concanonicus noster, una cum Meynhardo, Kokos, Jacobo, Nicolao, et Petro filiis Michaelis, fratris sui ex una, item Comite Laurentio Nigro, et Hermano Genero suo de Sygra, parte ab altera, coram nobis pura et spontanea voluntate personaliter constituti, proposuerunt viva voce: Quod licet ex causis diver-

*) In antiquis documentis terram Scepus concernentibus, altissime hujus terrae assurgentes montes nunc Carpathici centrales dicti „montes nivei“ cognominantur. Vide apud Anonymum Cap. IX., XI., XII. et XVIII. ubi montes Carpathici „Hó-uos“, „Howoos“, „sylva Hovos“ (Havas) et „Tatur“ appellantur. Antiquius a Saxonibus Scepusiensibus nomime „Schneegebirg“ insigniebantur.

a) Has ipsas literas Valentinus Presbyter de Leutschovia, Plebanus Varaljaensis, in Capitulo Ecclesiae Scepus. Feria 5-a proxima ante Festum beati Lucae Evang. Anno Domini 1493 transcribi curavit.

sis, quae inter ipsos contigissent, usque modo, et specialiter super quadam possessionis particula, excisa de praedicta possessione Sygra, quae alio nomine Rudno nuncupatur, lis et contentio mota fuisset inter ipsos et exorta: tamen ut omnis conditio litis et contentionis materia de medio ipsorum penitus evelleretur, et ut ipsi perpetuo pacis favore in futurum impleri possint, et valeant, taliter concordassent; Quod praedicti Marcus Presbyter et Filii Michaelis praenominatam particulam excisam de possessione Sygra, per formam Judiciariam Omodaei Palatini, ab ipsis alienatam cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis, sub iisdem metis et limitationibus quibuslibet, per eosdem Comitem Laurentium Nigrum, et Hermanum Generum suum, habita extitit, et possessa, reliquissent, et specialiter a terra Marcus *(sic)* Presbyteri, prius dicti, isto modo distinctam, prout Nobis partes retulerunt, videlicet quod prima distinctio metarum incipit a monte a parte Sygra, ubi sunt duae metae terreae, deinde descendendo transaltat quemdam parvum rivulum, ubi iterato duae metae terreae situantur; de quibus metis transit in nigra (*sic*) via, quae venit de Vitéz, in cujus viae utraque parte plures metae terreae sunt erectae: transeundo per eandem viam versus orientem ad montem, qui est secus montem Rudno, in cujus vertice duae metae erectae sunt, et sic terminata resignassent et coram Nobis — — resignaverunt eisdem Comiti Laurentio Nigro, et Hermano Genero suo, ac eorum haeredibus, haeredumque suorum successoribus, prout ipsorum fore dinoscitur *(sic)* ab antiquo, perpetuo, et irrevocabiliter possidendam pacifice et quiete. Et omnes literas eorum, super eadem possessionis particula confectas, idem Marcus Presbyter, et filii Michaelis dimiserunt ad cassandas eo modo, quod quaecunque vel ubicunque in lucem deductae fuerint, viribus careant et nullius existant firmitatis. E converso autem praefatus Comes Laurentius Niger, et Hermanus ipsum Marcum Presbyterum super omnibus judiciis et gravaminibus, in quibus contra ipsos emanserat, reddiderunt expeditum, et penitus absolutum. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad petitionem partium, praesentes duximus literas pendentis Sigilli nostri munimine, appensioneque roboratas. Datum Feria tertia poxima post Octavas Omnium Sanctorum. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo primo.

Nos igitur instantis ejusdem Magnifici Viri Villermi *(sic)* Drugeth, Palatini, favorabiliter inclinati, praesens Scriptum revisum ac renovatum, de verbo ad verbum rescribi fecimus, nostrique pendentis Sigilli munimine roborando, memorato Helbrando duximus assignare. Datum in Crastino Festi Sancti Marci Evangelistae. Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo quinto.

XXVIII.

Thomas I. Archiepiscopus Strigoniensis Jacobo Praeposito de Scepus Decimarum Markusfalvensi Ecclesiae factam collationem, ratihabet. Anno Domini 1311.

Ex genuino transumpto.

THOMAS, miseratione divina Sanctae Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopus, ejusdem Loci Comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus Salutem in Domino. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod ad nostram accedens praesentiam magister Stephanus Canonicus, Ecclesiae Sancti Martini, et Plebanus beati Michaelis Archangeli [a] de Scepus exhibuit nobis quoddam privilegium discreti Viri Magistri Jacobi quondam Praepositi de Scepus, petens Nos cum instantia, ut idem ratum habere, et nostro dignaremur privilegio confirmare; cujusmodi privilegii tenor talis est:

Nos Magister Jacobus etc. V. Part. Suppl. Anal. P. I. pag. 191.

Nos igitur ipsius Magistri Stephani precibus inclinati, praesentes literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas de verbo ad verbum describi fecimus, et sigillo confirmari. Imo si quid forte incuria et imperitia minus firmitatis insertum est, ex hoc, nostra authoritate vires plenissimae suscipiat notionis. Datum in Leutscha Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo primo, in die Elisabeth viduae.

XXIX.

Carolus, Hungariae Rex, donationem possessionis Görgő Stephano Comiti Saxonum et Arnoldo denuo confirmat. Anno Domini 1312.

Ex autographo, apud J. familiam habito.

CAROLUS Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Lodomeriae, Comaniae *(sic)*, Bulgariaeque Rex, Princeps Salermitanus, et Honoris ac Montis Sancti Angeli Dominus, Omnibus Christi fidelibus praesens Scriptum inspecturis Salutem in omnium Salvatore. Ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Stephanus, Comes Universitatis Saxonum nostrorum de Zypus *(Scepus)* et Ar-

---

a) Seu Markusfalvae, ubi Ecclesia honoribus S. Michaelis dicata hodiedum existit.

noldus Frater ejusdem, filii condam Comitis Eliae de Gargou [a] dilecti et fidelis nostri, ad nostram praesentiam personaliter accedentes, exhibuerunt Nobis privilegium Ladislai condam Illustris Regis Hungariae, Patruelis nostri carissimi, et Praedecessoris nostri, felicis recordationis, super donatione praedictae Villae, Gargou vocatae, confectum, petentes a Nobis cum instantia, ut eandem donationem ratam et firmam habere, ipsumque privilegium confirmare dignaremur; cujus quidem privilegii tenor talis est:

Ladislaus Dei gratia Hungariae etc. V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 119.

Nos igitur consideratis fidelitatibus et servitiorum meritis praedictorum Comitis Stephani et Arnoldi ac Jordani Fratris ipsorum, jam defuncti, quae Nobis in omnibus nostris factis, negociis et agendis oportunis cum fervore supremae fidelitatis alacriter et indefesse exhibuerunt, et impenderunt et specialiter, cum Nos una cum Baronibus et Nobilibus ac aliis Incolis Regni nostri, Nobis fidelibus, Castra nostra, Lublou et Sarus vocata, quae per aemulos nostros sunt detenta [b] expugnaremus; idem Stephanus et sui Fratres ante dicti, cum effusione sanguinis suorum servientium non modica, suas probitates opibus ac servitiis meritoriis, in conspectu nostrae Excellentiae, evidenter et viriliter demonstrarunt. Et demum cum Nos conflictum et pugnam cum et contra exercitum, et totam potentiam Matthaei de Trenchin, infidelis nostri, ac cum Demetrio filio Nicolai, nec non cum filiis Omodei condam Palatini aemulis nostris, nuper proxime habuissemus, idem Comes Jordanus, frater ejusdem Stephani et Arnoldi, in concursu et congressu acierum, seu cuneorum hostilium, se pro Nobis viriliter et fideliter opponendo, similiter in conspectu nostrae Regiae Majestatis extitit interemptus. Unde licet respectu servitiorum eorundem praescriptorum, a Nobis multo plura obtinere et habere mererentur; tamen ad praesens in aliquam recompensationem et nostrae Regiae dilectionis indicium, praedictum privilegium, quod non cancellatum, non abrasum, nec in aliqua sua parte vitiatum invenimus, de verbo ad verbum praesentibus nostris literis Privilegialibus inseri fecimus, et nostra Regia authoritate duximus confirmandum; et insuper eisdem Comiti Stephano et Arnoldo propter suorum praerogativam meritorum, fidelium servitiorum praedictorum, et specialiter praememorati Jordani, supradicti Fratris ipsorum, hanc gratiam specialem duximus faciendam, quod florenum auri, quem Nobis, ratione terragii praedictae Villae, Gargou vocatae,

a) V. Part. Suppl. Anal. P. I. pag. 401, 415.

b) Mox nominatus Matthaeus Trenchiniensis cum suo collega Demetrio.

secundum tenorem privilegii ipsius Ladislai Regis superius inserti, dare tenerentur, eisdem et per eos ipsorum haeredibus, haeredumque suorum successoribus perpetuo, et irrevocabiliter duximus relaxandum: ita tamen, quod praedicti Stephanus et Arnoldus ac ipsorum haeredes, more et consuetudine Nobilium Regni nostri, cum ipsorum propriis expensis et sumptibus, quocunque Nos exercitum habere contingat, in nostris servitiis teneantur exercituare. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem nostras eidem Stephano et Arnoldo literas privilegiales dare fecimus, duplicis Sigilli nostri munimine et appensione roboratas. Datum per manus Discreti Viri Magistri Johannis, Albensis Ecclesiae Praepositi. Aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti, et fidelis nostri. Quarto Idus Julii. Anno ab Incarnatione Domini Millesimo trecentesimo duodecimo.

XXX.

Idem Rex, (Carolus) ad Supplicationem Stephani Comitis Saxonum de Scepus, libertates eorundem Saxonum ante habitas, confirmat. Anno Domini 1312.

Ex apographo, ab ipsis 13. Oppidanis Scepus in Regni comitiis, Anno 1790. Budae habitis, producto.

CAROLUS Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex: Omnibus Christi fidelibus, praesens scriptum inspecturis, salutem in salutis Largitore. Ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Hospites et Saxones nostri dilecti et Fideles de Scepus, Stephanum filium Eliae, Comitem eorum Terrestrem, Hedricum *(Henricum)* Villicum de Suburbio et Joannem de Olaszi, ad Nos transmittentes, plenum, mandatum habentes eorundem, libertates suas, ab Illustribus condam Regibus Hungariae, Praedecessoribus nostris, eis concessas, Nobis, fecerunt allegari, petentes cum instantia, ut dictas libertates eorundem ratificare, et approbare, ipsosque in eisdem conservare dignaremur, Quarum libertatum forma talis est. Primum scilicet: quod ipsi singulis annis Terragii ipsorum mille ducentas marcas, in terminis infrascriptis Nobis solvere tenentur; scilicet in die mediae Quadragesimae quadringentas marcas; in Octavis beati Joannis Baptistae similiter quadringentas marcas; item in Octavis Sancti Martini pari modo quadringentas fini argenti, pondere cum Regali. Debent in praescriptis terminis ad se desti-

natos gratanter recipere Collectores, et infra collectionem lautius pertractare in certo numero quatuor personarum, et quinque equorum, juxta morem et consuetudinem, hactenus approbatam. Volentes, quod iidem Saxones nostri soluto terragio, certis temporibus, ut est praemissum, ab aliis omnibus exactionibus, et collectis, Dicis et vectigalibus, quae pro Nobis in Regno nostro exigi contigerit, liberi sint penitus et exempti; maxime cum propter talem exemptionem a tercentis marcis, quas condam annuatim solvere consueverunt [a] ad summam et numerum mille ducentarum marcarum devenerint praenotatam. Volumus etiam, quod ab omni exercituatione, quam a Nobis indici acciderit, in quacunque parte Regni nostri absoluti sint et excepti, et ad illam nullatenus convenire teneantur, nisi infra metas et limites Provinciae Scepusiensis exegerit exercere militiam temporis necessitas impacati; cui ob defensionem Patriae pro viribus inniti tenebuntur. Postremo adjungimus, quod per nullius conditionis hominem, ad nostram praesentiam possint extra Pronvinciam, in quocunque casu, evocari, vel citari, sed Comes et Castellanus authoritate Regia, pro tempore constitutus, vel ipse, vel per alium Vice-Comitem suum, una cum Comite ipsorum Saxonum et Terranis causas, ad se pertinentes, singulas discutiet et judicabit in Leucha civitate nostrae Provinciae Capitali [b] juxta jus et consuetudines, ac libertates ejusdem Provinciae habitas ab antiquo. Itaque de poenis, mulctis et birsagiis, ac judiciis majoribus dictatis, idem Comes pro tempore constitutus, duos recipiet denarios, tertio denario, Comite Provinciae, et ipsis Saxonibus remanente. Volumus insuper, quod nullus Comitum, pro tempore constitutorum, ipsos Saxones contra libertates, eisdem concessas, tam in Judiciis, quam, aliis casibus molestare, vel aggravare in aliquo audeat, vel praesumat. [c] Ne autem circa possessiones et haereditates, ad nostros fideles Saxones pertinentes, et de numero eorum recensitas, in quibus ipsos voluimus jugibus temporibus indempniter conservare, surgat aliqua ambiguitas, et emergat ad majoris certitudinis cautionem, de benignitate Regia, Civitates eorum, Villas, Oppida, Curias et Praedia, in suis limitibus sita, et ad se legitime pertinentia, secundum ordinem propriis nominibus praesentibus fecimus adnotari. Est igitur primo Leutscha Civitas nostrae Provinciae Capitalis cum suis Curiis et Praediis, in suis limitibus cum Curia Landvardi [d] et aliis Cu-

a) Fini scilicet argenti ut supra dictum V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 108.

b) Leutschovia (h. Lőcse), civitas posterius erecta est, existentibus jam eotum 24. Regalium Saxonicarum Civitatum, a quibus pro superabundanti pro capitali agnita fuit.

c) Cf. superius Diplom. Andrae II. Saxonibus Transylv. A. 1224. elargitum.

d) Seu Lengwardt (h. Lengvárt) possessio hodie (1806) Leutschoviam spectans.

riis, et Vilula Kypperserde [e] sitis, infra metas, et quibusdam Oppidis adjacentibus, una cum Civitate deservientibus nostrae Regiae Majestati, videlicet Wylkisdorff [f] Villa Friderici, Durst [g] Villa Magistri Gottfredi, deinde Suburbium [h] et Kalderbach [i] et Villa Henrici Judicis et Erhardi, duo Nadost [k] adjacentia: Item Villa Ewlenbach [l] item Villa Latina [m] et in suis limitibus Villa Johannis *) et Altznow, quae Villa alibi Detrici [n] appellatur; item Villa Colinii [o] contigue juncta; item Odorin [p] cum Villa Dionysii [q] adjacente; item Nova-Villa [r] cum suis casis, praediis mineralibus et montanis; item Villa Baldmari [s] et Curia Marsilii [t] item Villa Ursi [u] cum terrae particula de Villa Drauch [v] exempta; item Kiss-Thamasii et Nagy-Thamasii [w] item Quintoforum, quod ad Sanctum Ladislaum nuncupatur [x] cum Villa Bulmani [y] adjacente, item Villa Compositi [z] et Villa Primi [tz] item Poprad [aa] Filka [bb]

---

e) Seu Ulosza (h. Ulozsa).

f) Vilkotz, Kuntzendorf, slavis Wilkowce, (h. Vilkócz), possessio.

g) Germanis Burgerhof, slavis Dvorec.

h) Seu Varalia, Kirchdrauf (h. Szepes-Váralja), de qua inferius loquuntur Diplomata, et spectabat ad 24. Regales Civitates Scepusienses.

i) Kolbach possessio. V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 441.

k) h. Trsztyán.

l) Welbach (h. Velbach) possessio J. familiae Csáky, olim Civitas 24. Regalium.

m) Seu Olaszi (h. Szepes-Olaszi), germanis Wallendorf, de qua supra mentio facta, olim aeque Regalis Civitas, cum exemptione Parochi (parochus regius) a Scepusiensi Praepositura, soli Strigoniensi Archiepiscopo subjacens.

*) Villa Johannis amplius non existit.

n) V. Wagner Anal. Scepus. Part. I. pag. 198.

o) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 333. (h. Kolinócz).

p) Germanis Duren, J. familiae Csáky prossessio, olim una e 24. Regalibus civitatibus.

q) Denisdorf, Danisoc. (h. Dénesfalu), possessio.

r) Seu Neocomium, Neudorf dicta, (h. Igló) scribitur, e 24. Regalibus aeque una civitas.

s) Seu Palmarum, germanis Palmsdorf, slavis Harikovce, (hungaris h. Pálmafalu), olim una e 24. Regalibus civitatibus. Possessio J. familiae Csáky.

t) „Mit dem Howe des Marschky", prout apud Wagner Anal. Scep. Part. I. 198.

u) V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 96—106. (seu Bärendorf), germanis communiter Sperndorf (h. Illésfalu), olim una e 24. Regalibus civitatibus, possessio J. familiae Csáky.

v) V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 96—226. (h. Dravecz).

w) Ibid. pag. 122—355. (h. Tamásfalu).

x) Ibid. pag. 126, 392, 398. (h. Csötörtökhely), olim aeque civitas 24. Regalium, nunc Csákyana possessio.

y) Pulmesdorf, haud procul a Quintoforo erecta. (Micsedelfalu?).

z) Kápostafalva (h. Káposztafalu), Kabsdorf, Csákyana possessio, olim ex 24. Regalibus civitatibus una.

tz) Hodie Primócz, germanis Preimsdorf, olim ad Leutschoviam spectans, ut ex Diplomate Sigismundi Regis anni 1412. patebit.

aa) h. Poprád. Germanis Deutschendorf.

bb) Felk (h. Felka).

Schlauk [oo] Moelenbach [dd] Villa Matthaei [ee] Mons Sancti Georgii [ff] Villa Michaelis [gg] item Villa Isaac [hh] item Villa Meynhardi [ii] quae Virbo appellatur, item Bela [kk] item Késmark [ll] cum suis pertinentiis et terris, a Rege Ladislao condam emptionis titulo comparatis; item Lewbitz [mm] cum suis Curiis et Allodiis universis; item Villa Ruskini item Villa Durandi [nn] et sic Civitatum ac Oppidorum nomina certis vocabulis per limites distinguuntur, in quibus eosdem fideles nostros volumus perpetuis temporibus conservari, et manu Regia strenue contra quoslibet gubernari. Nos igitur, qui ex Officio suscepti Regiminis unumquemque et specialiter dictos Hospites nostros de Scepus Fideles in suis juribus conservare debemus: considerantes nihilominus fidelitates et servitiorum merita eorundem, quae Nobis in nostris negotiis, expeditionibus et agendis primis adolescentiae nostrae temporibus, cum omni reverentia et sollicitudine impenderunt, tam humiliter quam devote, et specialiter in conflictu nostro, quem contra potentiam Matthaei de Tenchen *(Trencsén)*, Demetrium filium Nicolai, et Filios Omodei, condam Palatini, in Rozgun *(Rozgony)* habuimus, qui dicti Hospites nostri viriliter dimicantes, non parcentes rebus nec personis, se fortunae casibus pro Nobis submittere non

---

oo) Nagy-Szalók, germanis Gross-Schlagendorf, etiam Schlackendorf, slavis Slavkov, olim ad 24. Regales spectans. Possessio Csákyana.

dd) Müllenbach aeque Csákyana possessio, olim ad 24. Regales civitates pertinens, ac etiam Mollenbach vel Myllenbach antiquitus scribebatur.

ee) Matheócz, Mathsdorf, a conditore suo, ut fertur, sic vocata, ac olim, quemadmodum omnes aliae XIII. civitates ad 24. Regales pertinebat, etiam Mathisdorf vocata, slavis Matzejowce.

ff) Germanis Georgenberg, slavis Sobota, (h. Szepes-Szombat).

gg) Alias Sztraza, garmanis Michelsdorf (h. Sztrázsa), e 13. civitatibus una.

hh) Zsakocz, (h. Zsákócz), Zsakovce slavis, Eisdorf germanis. Possessio Csákyana, olim e civitatibus 24. Regalibus.

ii) Meinhardsdorf, populariter Menhardsdorf, a Menhardo populariter dicto, (h. Menhard).

kk) Olim aeque 24. Regalis civitas.

ll) De hac civitate lege observationem in Diplomate suo ordine VIII. factam sub **a.)** pag. 11.

mm) (H. Leibicz). Olim perinde una e 24. Regalibus civitatibus.

nn) Prout et Villa Rusquinotz (h. Ruszkin), et Villa Durandi. Utraque civitate, Leutschoviensi videlicet, a Késmarkiensi, fundamento praeviarum rationum e numero XXIV. Regalium Scepusii civitatum, expunctis, numerarentur, proinde in serie huius Diplomatis duo supra viginti civitates duntaxat. Cum autem istae e XIII. olim Polonis oppignoratis, atque aliis XI. successive ad Joannem de Zápolya devolutis, ita dictis Oppidis exurexerint, ipsasque 24. Regales civitates constituerint; praeexistentibus actu tum XIII. oppidis; sequitur duo illa ad complementum 24. civitatum desiderata, inter olim Zápolyana, — Thurzóniana postea, atque hodierna (1806) Csákyana Oppida esse perquirenda. In laudato hocce Diplomate novem duntaxat; utpote Villa Velbach, Odorin, Palmarum (Pálmafalu), Ursi (Illésfalu), Quintoforum (Csötörtökhely), Compositi (Káposztafalu), Schlauk (Nagy-Szalók), Müllenbach, et Isaak (Zsákócz) recensentur. Firmiter autem teneo, et probabo alias, ad istas 24. Regales civitates indisputabiliter pertinuisse quoque Viliam supradictam Dionysii (Dénesfalu), et Sancti Quirini (Kurimján) in isto Diplomate, fato aut oblivione interveniente, exmissam.

formidantes, cum mortibus fratrum, proximorum et sociorum, suorum, in conspectu nostrae Regiae Majestatis, et effusione sanguinum ipsorum et proximorum suorum, occurrere Regio cum favore, licet ipsi respectu suorum servitiorum a Nobis multo plura habere mereantur, tamen prius dictas libertates eorundem de verbo ad verbum praesentibus inscribi facientes, easdem ratificamus et approbamus, ac testimonio praesentium confirmamus, sine praejudicio Regii juris et aliorum. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti Magistri Johannis Albensis Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii et Archi-Diaconi de Kükölen, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo duodecimo. Pridie Idus Novembris, Regni autem nostri anno similiter duodecimo. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis: Thoma Strigoniensi ejusdemque Loci Comite perpetuo, et Fratre Ladislao Colocensi, Aulae nostrae Cancellario, miseratione divina Archi-Episcopis, Emerico Varadiensi, Augustino Zagrabiensi, Johanne Nitriensi. Stephano Vesprimiensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriniensi, Benedicto Transsylvano, Ladislao Quinque Ecclesiensi Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Demetrio Magistro Thavernicorum nostrorum, Dominico Palatino, Magistro Lamperto Judice Curiae nostrae, Petro filio Kompoldt, Magistro Thavernicorum Dominae Reginae, Magistro Dionysio, Comite de Zoulum, Petro filio Stephani, Magistro Agazonum nostrorum, et aliis quam pluribus Nobilibus Regni nostri Comitatus tenentibus, et honores.

XXXI.

Stephanus Comes Saxonum Ladislai IV. Hungariae Regis privilegiales ob viarum discrimina transcribi curat. Anno Domini 1314.

Ex autographo in tabulario f. familiae Görgö habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, significamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem; Quod Comes Stephanus filius condam Comitis Eliae, personaliter ad nostram prasentiam accedens, exhibuit literas privilegiales sub duplici Sigillo quondam Domini Ladislai, Illustris Regis Hungariae, petens Nos cum instantia, quatenus easdem literas propter discrimina viarum, et impacati temporis importunitatem ad suas

*

causas exequendas, secum deferre non praesumeret, sub sigillo nostro rescribi dignaremur: quarum literarum tenor talis est.

Ladislaus Dei gratia etc. V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 225.

Ad condecentes itaque ejusdem Comitis Stephani petitiones, velut justas, easdem literas de verbo ad verbum rescribi fecimus, et nostro sigillo consignari. Datum Feria quarta proxima ante Festum Margaretae virginis. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo quarto.

XXXII.

Christianus, filius Filo, Belae IV. Regis privilegium curat rescribi Anno Domini 1314.

Ex autographo apud Popradienses habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus significamus universis, quibus expedit, tenore praesentium memoriae commendantes: Quod Christianus filius Filo de Secek ad nostram personaliter accedens praesentiam, exhibuit nobis privilegium Domini Belae, felicis recordationis, Regis Hungariae, petens cum instantia, quatenus propter casualia infortunia, incendii videlicet et furti, propter etiam discrimina viarum, necesse fuerit, quo deberet ad causas secum ferre, non praesumit idem privilegium, sub nostro sigillo de verbo ad verbum rescribi faciamus, cujus tenor talis est:

Bela, Dei gratia Hungariae etc. V. Diploma V. pag. 8.

Agnoscentes igitur ipsius Christiani petitiones fore justas et condignas, videntesque ipsum Privilegium non abrasum, non cancellatum, neque in aliqua sui parte vitiatum, idem de verbo ad verbum rescribi fecimus, et nostro sigillo communiri. Datum secunda Feria proxima post Festum beatae Luciae Virginis. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo quarto.

XXXIII.

Nicolaus Comes de Lublo certo Sculteto Nicolao de Petri villa silvam extirpari, ac in eadem villam Hophgart cum plenis, et liberis Decimis pro Ecclesia, erigi admittit. Anno Domini 1315.

E protocollo Ecclesiae Veteris-Lubló.

IN Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Amen. Cum ex mobilitate temporum, et personarum successione res posterae frequenter calumniam patiantur, commodum et necessarium est utique, ut scripturarum effi-

cacia commendentur memoriae, ut stabilitatem habeant et vigorem. Hinc est, quod nos Dominus Comes Nicolaus et Haeres de Lublow universos tam praesentes quam futuros, hujus scripti volumine volumus meminisse: Quod dilecto nostro Nicolao de Petri villa *(h. Kamjonka)* sculteto silvam quandam contulimus exstirpandam, Villam quoque, quae Hophgart *(h. Hobgárd)* nuncupatur, cum sexaginta laneis collocandam de longo prato ob aquae descensum. Si vero plures mansos sive laneos collocare potuerit, sibi licentiam damus, et plenariam voluntatem, sibi suisque haereditario jure, et suis posteris perpetuo quoque possidendam sub tali conditione, ut in tertio denario possideat Judicium, sextus vero mansus cum omni utilitate sibi libere cedet, duos mansos liberos sub suo aratro obtinebit, molendina libera quotquot indiguerit, braxatoria libera suae disposuimus servituti; nullus enim sibi, in praejudicium Villae praenotatae, aliquot molendinum sive braxatorium debet collocare; Ecclesiam liberam cum plenis et liberis Decimis, jure Scepusiensium, pro remedio animarum Villae disposuimus [a] praenotatae. Et quia nullus habeat conferre Ecclesiam, nisi Villani cum Judice Villae antedictae. [b] Insuper unum mansum liberum pro pascuis pecorum, ex utraque parte dimidium mansum disposuimus, et dedimus Villae saepe dictae. Sedecim annis libertatem habere debet Villa saepe dicta: Elapsa vero penitus hac libertate, quilibet mansus singulis annis solvet unum fertonem, et illum solvet ter in anno: Laetare solvet quatuor grossos, in Festo Sancti Martini Episcopi quatuor grossos. Ceterum vero volumus, in Festo Paschae de decem laneis unum agnum solvent: in Nativitate Christi solvent unum vas cerevisiae, quod est exemptum *(sic)* pro fertone, et unum porcum; similiter de fertone in Festo Sancti Michaelis quilibet mansus solvet unum cubulum avenae, et duo ova cum uno pullo. Et hac libertate penitus revoluta, praedictos honores Domino illius Villae singulis annis dare debent ter in anno, sicut est praenotatum. Concedimus etiam silvam liberam cum omni utilitate in piscatione et venatione, in metallorum inventione. Nos vero volumus, quando suae placuerit voluntati, vendere debeat, si sibi locus mansionis non placuerit Villae autem dictae; nullus enim ipsum in venditione in aliquo debeat impedire in necessitate vendendi, veniendi. Insuper vero praedicto nostro Judici Nicolao cum omnibus suis in Villa manentibus, liberam tabernam concedimus, fabrum, sutorem, carnificem, [c] pistorem, et unumquodque opus manuale, dimitti-

a) Hinc ratio institutarum Decimarum patet, prout et illud, quod Scepusienses omnes Decimas praestabant.

b) Exercebant igitur jus Praesentae.

c) Ita compellabantur laniones etiam in Jure Hungarico.

musque liberos sine censu. Hujus rei testes sunt: Dominus Vigandus Plebanus de Lublow, et Frater suus Dominus Gotthardus Comes de Jula, Thylmanus scultetus de Pudlin (*Podolin*). Hentce scultetus de Lublow et Jurati ibidem, videlicet Henricus Bavarus Bona, Conradus in Monte, Heldebrandus Hempel. In hujus testimonium hanc paginam nostri sigilli munimine fecimus communiri. Acta sunt haec in Lublow. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo quinto.

XXXIV.

Gerlacus Comes cum filiis suis portionem suam possessionariam, Thamasfalvae habitam, Quintoforensibus pro 153. Marcis denariorum Regalium perennaliter vendit. Anno Domini 1317.

Ex capitulari transumpto, ibidem habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus, praesentibus ac futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in Salutis largitore. Quoniam humana labilitas, ob sui (*h*)ebi(*e*)tudinem extra limites memoriae facile trahitur, et movetur, necessarium est, gesta temporalia pere*mp*nari cautione authentica literarum, ne oblivionis nebula obnubente, aequitatis veritas suffocetur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod discretis viris Comite Gerlaco, filio quondam Maynhardi, de monte Sancti Georgii *(Szepes-Szombat)*, una cum filiis suis, Johanne videlicet, Henchmanno, Gerlaco, Nicolao, Peturmanno, Chystlno *(sic)* et Stephano ex una parte, Johanne villico, et Andrea filio Herbordi de Sancto Ladislao (*Csötörtökhely*), pro se et tota Universitate de eadem ..... ex altera coram nobis personaliter constitutis; praedictus Comes Gerlacus et filii sui, antedicti confessi sunt oraculo vivae vocis, quod totam portionem ipsorum possessionariam, quam in Thamasii*) *(Tamásfalu)* habere dignoscuntur, videlicet terram ad duorum aratrorum sufficientem, metis praedictorum civium contigue junctam, singulis annis in Festo beati Martini Confessoris cum dimidio fertone auri, Castellano Scepusiensi cum pensa Regali servituram, cum utilitatibus et pertinentiis suis universis, quibus eam ipsi possederunt, vendidissent praefatis

*) Sub nomine Thamasii olim (1278) in Scepusio duae villae videlicet Major -- et Minor — „Thomási“ exstiterunt (v. Suppl. Anal. P. I. 122, 126), quarum Minor-Thomási in antiquis documentis sub hungarico nomine „Kysthomási“ occurrens (v. Ibidem ad annum 1292, pag. 356) jam pridem evanuit. — Confer superius Diploma XXX. pag. 41.

civibus de Sancto Ladislao pro centum et quinquaginta tribus marcis denariorum Regalium, plene habitis ab eisdem et receptis, in filios filiorum jure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam, pariter et habendam. Praeterea idem Comes Gerlacus et filii sui praenotati confessi sunt se aliqua instrumenta seu literas, super eadem portione possessionaria emanatas, non habere, et si quas haberent literas, vel instrumenta, apud se nequiter reservata, illa essent viribus penitus caritura. Cujus quidem portionis possessionariae metae, ut ambae partes retulerunt, hoc ordine situantur: Quod prima ejus meta incipit circa publicam stratam, quae transit de Sancto Ladislao directe contra molendinum de Lethon, *(h. Letánfalu)* et ibi est una terrea meta, a qua ascendit versus orientem per collem elevatum Terrae Thamasii, et per illum collem venit ad metam Klethen terream, deinde descendit directe versus meridiem, et ibi sunt in una linea tres metae terreae contiguae limitibus et Terrae magni Arnoldi *(h. Arnótfalu)*, et suorum sociorum; deinde a tertia meta terrea descendit versus orientem usque in rivulum Micheleth *(Mecsedel)*, in superiori parte pontis, qui malus dicitur vel corruptus; ad spatium unius sagittae jactus descendendo in eodem rivulo supra pontem memoratum, descendendo in eodem rivulo ab ipso ponte, extendit se ad spatium jactus duarum sagittarum; deinde in fine prati, rivulo adjacentis, transit ultra rivulum per altum sulcum et elevatum ad viam publicam, quae transit de Chymigio (*h. Sümegh*) et circa limites ejusdem Chymigii reflectitur ad meridiem versus lapidem Refugii, *(hung. Menedékkö, germ. Zufluchtsstein)* revertens super rivulum Mycheleth praenotatum, cujus fluxus, crepidinem circumgirando, descendit in fluvium de Lethon, praecedentem ipsum fluvium ascendendo usque ad situm molendini Comitis Gerlaci: deinde transit ultra pratum Thoplica usque ad metas filiorum Edus *(h. Hadusfalu)*, a quibus procedit circa limites et Terram Lethon, versus septentrionem usque ad metam terream de Lethon [a] quae est erecta ab illa parte prati; a qua transit directe ultra pratum, supra metam terream, quae est similiter de Lethon ab ista parte prati in opposito collocata, declinans versus orientem; et ibi sunt tres metae terreae in una linea, in ascensu similiter ad Lethon pertinentes, a quarum ultima revertitur ad priorem metam, sitam circa viam publicam in oppositum molendini de Lethon, et sic metae concluduntur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesens nostrum concessimus privilegium, nostri pendentis sigilli munimine roboratum. Datum Octavo Idus Maji. Anno Domini: Millesimo trecentesimo decimo septimo.

---

a) Circa villam Lethon uberiora acta vide Suppl. Anal. P. I. pag. 50, 121, 143, 221.

XXXV.

Carolus Hungariae Rex, Comiti Bethleem promittit, fore eidem omnes reddendas possessiones a Matthaeo Trenchiniensi occupatas. Anno Domini 1317.

Ex apographo.

NOS Carolus, Dei gratia Rex Hungariae etc. tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: quod Comes Bethleem, filius Dragh, fidelis noster, pro se, ac Dionysio, et Petro fratribus suis uterinis, ad nostram accedens praesentiam, nobis declarare curavit: quod in Comitatibus Nitriensi et Tren*ch*iniensi possessiones haberent haereditarias, videlicet Raitsam et Szeltcsan, Apathy, Lipolnok, item Berencs, Linky nominatas; per Matthaeum, filium Petri de Tren*ch*en, infidelem nostrum, cum omnibus utilitatibus suis occupatas; petens a Nobis cum instantia, ut, si divino adjutorio partes illas nostro regimini poterimus subjugare, eidem restituere dignaremur, et quod easdem in praejudicium ipsorum, si qui forsitan essent petitores, non conferemus. Nos igitur, qui ex officio suscepti regiminis unumquemque in suo jure conservare debemus, promisimus eisdem, ut recuperatis partibus illis, possessiones illorum praedictas eatenus, quatenus fore ipsorum dignoscuntur, restituemus; et reddemus eisdem, nec cuipiam in praejudicium ipsorum conferemus. Datum sub Castro Adriani tertio die Festi beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo septimo.

XXXVI.

Idem Rex, Stephano Comiti Saxonum etc. in recompensationem servitiorum, manutentionem in possessionibus promittit. Anno Domini 1317.

Ex autographo, apud J. familiam Görgő existente.

KAROLUS, Dei gratia Hungariae etc. Rex. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod Nos consideratis fidelitatis et servitiorum meritis Comitis Stephani, Comitis Terrestris de Scepus, et Arnoldi filiorum Eliae, item Comitis

Gyulae [a] filii Hanus fidelium nostrorum, quibus Nobis in negotiis nostris, expeditionibus, et agendis [b] specialiter in conflictu nostro, quem contra Demetrium filium Nicolai, item filios Omodei, condam Palatini, et totam potentiam Matthaei de Trenchin, aemulos et infideles nostros in Ruzgun *(h. Rozgony)* [c] habuimus: *) iidem Stephanus, Arnoldus et Gyula Comites, in conflictu eodem, in conspectu nostrae Majestatis viriliter dimicantes, cum effusione sanguinum ipsorum, non parcentes rebus et personis, multipliciter studuerunt complacere; et in ipsa pugna Jordanus frater eorum extitit interhemptus: volentes suis servitiis, et pro morte praedicti Jordani, fratris eorum, et pro effusione sanguinum ipsorum occurrere Regio cum favore, licet ipsi respectu suorum servitiorum multo plura a Nobis habere mereantur; tamen in recompensationem suorum servitiorum promisimus eisdem, quod eos in possessionibus, a Praedecessoribus nostris Regibus Hungariae, et a Nobis obtentis, et demum per Nos confirmatis iisdem quas videlicet nunc ipsi possiderent, perpetuis temporibus indemnes manutenebimus, et in filios, et in filiorum suorum haeredes conservabimus, Regia authoritate mediante, sine praejudicio juris alieni, eosdem et universas possessiones ipsorum a Judicio et Jurisdictione Comitis et Castellani nostri de Scepus, pro tempore constituti, in omnibus articulis causarum penitus eximentes, de gratia speciali. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus duplicis sigilli nostri roboratas. Datum per manus discreti Magistri Johannis, Albensis Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii, et Archidiaconi Kükülöensis, dilecti et fidelis nostri. [d] Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo septimo. Pridie Idus Novembris. Regni autem nostri anno similiter decimo septimo.

XXXVII.

Philippus, Comes de Scepus, et de Ujvár, Villam S. Nicolai statuit filiis Bethlem, ipsorumque haeredibus in perpetuum. Anno Dni 1318.

Ex autographo in archivo Jaszoviensi fasciculo V. Nr. 20. habito.

NOS Magister Philippus, Comes Scepusiensis et de Comitatu Vjvar, Judex vice-personae Domini Regis, et Comes Thomas Vice-Castellanus de Scepus, et Comes Nicolaus, Vice-Judices memoriae commendantes, signi-

a) V. Suppl. Anal. P. I. 395.
b) Quivis servitiorum labor, signanter ad Regem spectans, sub hoc vocabulo intelligitur,
c) Vicus non procul a Cassovia.
*) Uberiora quoad pugnam ad Rozgony habitam, nec non Scepusitas in illa partes Caroli contra Mathaeum Trencsén tenentes et dimicantes vide „Magyar Történeti Életrajzok" Csák Máté auctore Antonio Pór. Bpest 1888.
d) In Diplomate ejusdem Regis de anno 1313 Thomae, Archiepiscopo Strigoniensi dato, perinde subscriptus legitur. Schmitth T. I. Episc. Agrien. pag. 248.

ficamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem: Quod secundum tenorem priorum literarum nostrarum causa, quae vertebatur inter Urbanum ex una parte in figura nostri Judicii, ex altera vero inter Ivan filium quondam Bethleem, Petrum, ac Bethleem fratres ejusdem, et Urbanum filium Nicolai, super Villa Sancti Nicolai [a] quam praedictus Urbanus impediverat, ut eadem possessio antedicti Ivan haereditaria non fuisset, et super eundem Ivan idem Urbanus quinquaginta marcas acquisivit Sabbato proximo ante Dominicam Invocavit [b] cum peremptorie comparuisset coram nobis, eundem Urbanum secundum juris Ordinem semel, et secundo, ac tertio interogavimus de sua assertione, et nihil respondit, et contra praedictos filios Bethleem in tota causa praefata remansit in judicio. In secundo vero termino praedictus Ivan, et Fratres ipsius tenebantur coram nobis cum commetaneis ipsorum, et vicinis circumsedentibus, excepta Villa Kebocz [c] et nobilibus; sub decem lanceis constitutis, Sabbatho proximo post diem Cinerum, contra eundem Urbanum comprobare, quod praedicta Villa Sancti Nicolai cum suis utilitatibus, et pertinentiis ipsorum sit possessio haereditaria, et non Urbani, unde praedictus Ivan, et Fratres sui in praedicto termino, cum praedictis personis Nobilium commetaneorum, et vicinorum praedictam possessionem suam esse comprobarunt, et hoc cum Conventus Fratrum Beatae Virginis Ecclesiae Scepusiensis*) fide, ipsorum in literis destinata, affirmarunt; quod eadem possessio praedictorum Ivan, et Fratrum suorum esset haereditaria, et a praedecessoribus ipsorum fuerit acquisita, praedicti autem Nobiles perstiterunt super eo, quod eadem possessio ipsius Ivan, et Fratrum suorum sit, Sacramentum; praedictus vero Urbanus in dicto termino nec venit, nec aliquem pro se mittere curavit. Unde cum semel, et secundo, et tertio, secundum Juris ordinem, requisivissemus, qui pro eodem Urbano astaret, nullus pro ipso respondit; unde eundem Urbanum, contra praedictos filios Bethleem, in dicta causa remansisse; unde supra dictam possessionem statuimus eisdem filiis Bethleem, et ipsorum haeredibus tanquam haereditariam, jure perpetuo pacifice possidendam. Datum termino praenotato. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo octavo.

---

a) Sive Miklósfalu, in olim ita dicto parvo comitatu sita.

b) Ita incipit Missa, Dominica proxima Quadragesimae. Modus hic per principium Missae, certas designandi Dominicas, apud majores nostros in usu fuit. V. Suppl. Anal. P. I. pag. 10; unde colligas, magna in veneratione apud eos augustissimum hocce Missae Sacrificium fuisse. Sic quoque notabant Sanctorum Festa, quibus Diplomata signabant.

c) Fortassis Kissótz (h. Kisócz).

*) Intelligitur Conventus Ordinis Cisterciensium B. Mariae de Scepusio alias Schavnik.

XXXVIII.

Compositio litis, ratione metarum Répás inter Henricum, Praepositum de Scepus, et Stephanum, Comitem Provincialem obortae. Anno Domini 1319.

Ex apographo.

NOS universi Jurati, caeterique Saxones de Scepus, memoriae commendantes, significamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem: Quod cum inter discretum Virum, Magistrum Henricum, Ecclesiae beati Martini Praepositum ex una parte, et inter Comitem Stephanum Provincialem ab altera, super quadam terrae particula litis contentio super metis Répach *(sic)* oriretur, proborum virorum arbitrio partes utraeque ad talem pacis concordiam devenerunt: quod inter eos metae terreae sunt erectae. Datum in Civitate Leucha, in Festo SS. Tiburtii, et Valeriani. Anno Domini Millesimo trecentesimo decimo nono.

XXXIX.

Privilegium super metarum, possessionum Sygra, Szent-Margytha, Olsawicza et Blassinowpataka, reambulatione. Anno Domini 1321.

Ex autographo apud Ladislaum Horvath Kissevich habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod nos literas Serenissimi Domini nostri Karoli, Dei gratia Regis Hungariae reverentissime recepimus in haec verba: Karolus Dei gratia Rex Hungariae. Fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepus, salutem et gratiam. Dicitur Nobis in personis Petri et Dominici filiorum Danus de *Sygre* a) quod eadem pessessio eorum Sygre, Blas*yneu*pataka *(h. Podprocs)*, Szent-Margytha *), nec non Ols*o*wicza apud manus eorundem habita, reambulatione et metarum erectione plurimum indigerent: super quo fidelitati vestrae firmiter praeci-

a) V. Suppl. Anal. P. I. 39, 315, 368, 449.

*) Szent-Margytha non confundenda cum Margitfalva vulgo Margeczan villa ad Hernadum in Scepusio. Dicta haecce villa Szent-Margytha vulgo Margeczani, de qua in supracitato documento est sermo, qua villa exigua exstitit jam olim in sylvis hodie ad proprietatem incl. comitum Csáky Szepes-Mindszentii habitantium pertinentibus, et nomen suum traditione referente, a quodam in dicta regione olim existente Sanctae-Margarithae dicato monasterio accepisse videtur.

pientes, mandamus per praesentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Bar [b] filius Pangratii de Polyank, aut Dionysius filius Woycha de Sygre, seu Mathias filius Myke .... vel Conradus de Gargow, aliis absentibus homo noster, ad facies praedictarum possessionum vicinis et commetaneis eorundem universis, legitime inibi convocatis et praesentibus accedendo, reambulet easdem per suas veras metas et antiquas, novas circa veteres, ubi necesse fuerit, erigendo, reambulatas, ac ab aliorum possessionibus separatas et distinctas, statui faciat eisdem Petro et Dominico eo jure, quo ad ipsos dinoscuntur pertinere, perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, citet eosdem contra eosdem Petrum et Dominicum in nostram praesentiam ad terminum competentem : tandem seriem ipsius possessionariae reambulationis cum cursibus metarum, totiusque facti processus, et si necesse fuerit nominibus contradictorum et citandorum, ac termino assignato Nobis fideliter rescribatis. Datum Budae Feria Sexta proxima post Octavas Festi Corporis Christi. Anno ejusdem Millesimo trecentesimo vicesimo primo. — Nos igitur praeceptis Serenissimi ejusdem Domini nostri Regis humiliter obedientes, ut tenemur, nostrum misimus hominem, pro testimonio fide dignum, videlicet Magistrum Beke, fratrem et Concanonicum nostrum, una cum Pangratio filio Bartholomaei, homine suo antedicto, ad praemissa exequenda: Qui demum redeuntes, nobis concorditer retulerunt; quod idem homo Regius, dicto testimonio nostro praesente, feria secunda, proxima post Festum nativitatis beati Johannis Baptistae, ad facies dictarum possessionum Szent-Margytha, Olsawicze, et Blasynowpatak, ac Feria quarta post immediate sequente, ad faciem dictae possessionis Sygre, vicinis et commetaneis earundem universis, et specialiter Comitibus Nicolao, Detrico, Chonk et Zeurus filiis Hanus de Scéphkfalva, item Magistro Pethen, ac Petro, Johanne et Stephano, filiis quondam Comitis Stephani de Zeek, Judice, juratis et civibus de Kyrchdorf [c] et de Kaldenbach [d] *(h. Kolbach)*. Domino Henrico Praeposito dictae Ecclesiae nostrae, et nobilibus de Gargow *(h. Görgő)* Stephano et Arnoldo filiis Eliae [e] Hilbrando filio Laurentii de Herkovich *(h. Harakócz)*, ac Judice Juratis et civibus de Olaszi, et aliis, quorum interest universis, legitime inibi convocatis et praesentibus accedendo, reambulasset easdem

b) Paulo inferius Pangratius filius Bartholomaei scribitur.
c) V. Suppl. Anal. P. I. 94.
d) Ibidem pag. 441.
e) Omnes Landgraffii Provinciae Scepus erant.

per suas veras metas et antiquas, novas in locis necessariis erigendo; reambulatasque, et a dictorum vicinorum possessionibus separatas, statuisset easdem praenotatis Petro et Dominico filiis Danus eo jure, quo ipsis dinoscuntur pertinere, perpetuo possidendas, nullo penitus contradictore existente. Cursus vero metarum Possessionum Szent-Margytha, Olsowycza, et Blasynowpataka dinoscerentur esse tales: prima meta inciperet, a parte meridiei, in loco, ubi fluvii, Kemenow et Zedlnyk vocati, convenirent in unum, et in eodem fluvio Kemenow ascenderet penes montem Szent-Margythahegy usque caput ejusdem fluvii, et ad duas metas superius caput seu ortum ipsius situatas; de quibus metis ad occidentem ascenderet directe ad quamdam magnam vallem in dictum fluvium Zedlnyk, ubi essent duae terreae metae, et abhinc transiens, in valle et fluvio directe ascenderet versus occidentem, quasi ad fodinam — — vulgariter Keczköreokes *(sic)* nominatam, circa, quam essent duae terreae metae, inde in quodam Beercz *(Bércz, mons)* per modicum spatium transiens descenderet ad quandam parvam metam ad duos fontes, circa sese in propinqvo scaturientes. Hinc quasi inter plagas occidentis et septentrionis in latere ejusdem Beercz, in quodam intermedio magnum spatium currens, pertransit quandam .... parvam in eodem Beercz a parte occidentis ... ad caput ejusdem, et currens aliquantum, pervenit ad duas terreas metas; quae quidem metae a ... ipsam possessionem Szent-Margytha a possessione ... Praepositi separarent. De quibus metis .... directe ad unum fontem proximiorem fluvio .... ciense vocato, et per cursum ipsius fontis Olsawicza Vize praedictum, ubi essent duae terreae metae, quem fluvium pertransiens, ascenderet quemdam montem directe versus septentrionem ad duas terreas metas, in summitate montis ejusdem situatas, et ab eis directe versus ipsam plagam septentrionis transiens, descenderet ad fluvium, Tarcza vocatum, ubi essent duae terreae metae, quae quidem metae ipsam possessionem Olsavitza a terris possessionis Repach separarent. Et in eodem fluvio Tarcza circa silvas Magistri Johannis, filii Rycolphi descenderet usque locum, ubi quidam rivulus Hederkuta vyze a parte meridiei currens, caderet in fluvium Tarcza vocatum, et inibi intrans rivum eundem, ascenderet in ipso ad caput ejusdem. De cujus quidem rivuli capite versus meridiem in latere ejusdem Beercz, ascenderet ad caput cujusdam fontis, Dumankuta appellati; inde insiliens quandam viam, per quam cives et alii de Suburbio *(Szepes-Váralja)* ligna ducere sunt consueti, et in eadem currens ad meridiem perveniret ad quemdam alium fontem, penes eandem viam adjacentem, de quo in eadem via per plures terreas metas,

ex utraque parte ejusdem viae situatas, adhuc in eadem via versus dictum castrum, seu meridiem declinando descenderet per magnum spatium, transiens ad terras possessionis Jabulaney *(sic, h. slavis Jablonov, hung. Almás)* ad duas terreas metas, sitas circa viam saepe dictam, in opposito cujusdam alterius fontis, Dumankut*a* nominati, circa praedictum rivum Zed*e*ln*i*k scaturientis; de quibus metis flecteretur directe ad occidentem, et descenderet ad rivulum, Blasynow*p*ataka nominatum, in cujus ripa, a parte orientis sita, esset terrae meta; dehinc pertransiens ipsam ascenderet per planitiem cujusdam Beer*ch (Beercz)* seu montis ejusdem, ubi essent duae metae terreae, hinc descenderet ad caput dicti fontis D*o*mankut*a*, et de ipso insiliens in fluvium, Zedln*i*k antedictum, in quo fluvio descenderet versus meridiem ad primam metam, et sic metae terminantur. Cursus vero metarum praedictarum, ipsam possessionem Sygre, a praedictis possessionibus distinguentium, dinoscerentur esse tales. Prima meta inciperet in quodam .... rivuli, Sygrycze *(sic)* vocati, in duabus metis terreis saliret ad meridiem, et in medio ac in longum — — cujusdam vallis ascenderet ad summitatem — et in eadem summitate essent duae metae terrae; abhic declinando, ad meridiem, pertransiret, et veniret ad duas metas terreas; inde prosiliret inferius, et caderet in — longitudine unius Beercz per — — — in latere cujusdam Beercz a parte orientali; in eadem via eundo veniret ad — de Sygre in Olsowam* *(h. Olsavka)* praedictam, et eandem viam pertransiens, in proximo veniret ad duas metas terreas, de quibus currit ad duas metas terreas, in extremitate terrarum populorum de villa Latina *(Szepes-Olaszi)* positas, et sic terminarentur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam; praesentes concessimus pendentis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum die Dominica proxima post Quindenas dicti Festi Nativitatis beati Johannis Baptistae, Anno Domini praenotato.

---

*) Olsowa non confundenda cum Olsawitza (Olsavicza), de qua superius sermo est. „Olsava" est hodierna O l s a v k a, admodum exigua possessio, cuius campus etiam nunc — 1888 — campum possessionis Zsegra in loco, in praeattacto documento commemorato attingit.

XL.

Philippus Drugeth, Comes de Scepus et Ujvár, Stephano de Parva-Lomnicz colonos in suam silvam inducere cum liberis decimis et nonis liberaque Parochi electione admittit. Anno Domini 1322.

Hoc Privilegium die 12, Martii, 1664 a D. D. lustratoribus Regni Poloniae in arce Lubló productum est.

NOS Capitulum Scepusiense memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: quod Providus Jacobus scultetus de Villa Jacubina [a] nostram veniens in praesentiam, exhibuit et praesentavit nobis literas, scilicet olim Magistri Philippi, Comitis de Scepus et de Ujvár annuentiales, in pergameno patenter editas, sigilloque dicti Comitis authentico pendenti consignatas; petens Nos idem Jacobus scultetus instanter, ut tenorem eorundem transcribi, et transumi, praesentibusque literis nostris, similiter patentibus, inseri facere dignaremur: Quarum tenor sequitur in haec verba: In Nomine Domini. Amen.

Quoniam res gestae oblivionis incursu facilius ab humana labantur memoria, ne ea, quae fiunt in tempore, cum fuga discedant temporis; necessarium est, ipsa testimonio testium, ac serie literarum commendari. Hinc est, quod nos Magister Philippus, Comes de Scepus et de Ujvár, universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris manifestum esse volumus, salutem adoptando, ad quos praesentis paginae dicta contigerit pervenire: Quod Stephanus, filius Petri, de Parva-Lomnicz *(Kis-Lomnicz)*, ad nostram accedens praesentiam, pro silva quadam, more et jure Teutonicorum extirpanda, postulavit; silva vero ex parte superiori a villa, quae Novum-Lublov *(h. Uj-Lubló)* dicitur, juxta aquam, quae Lublow nuncupatur, se extendit; quam eidem Stephano supra dicto, praehabita deliberatione et consilio maturo concessimus, more aliorum scultetorum jure haereditario possidendam, et silvam jam dictam, usque supra montem, qui Tymnicz vocatur, pro tot mansis sive laneis Teutonicorum, quot ibidem fieri possunt, extirpandam, et in agros commutandam; quorum latitudo, et longitudo terminos suos ex omni parte, finaliter sine ulla diminutione conservabit. Villam vero in eadem silva Stephanisham *(Jakubján)* nominamus, cujus Incolae, sive Jobbagyones pacifice sine censu libertatem juxta ritum novalium [b] sedecim annis, qui

a) Hodie Jakubján germanis Jakobsau, ad Neo-Lubloviensem parochiam spectans filialis.
b) Intellige extirpaturas.

ibi convenerint, obtinebunt. Transacto autem termino libertatis, videlicet sedecim annorum, omnes et singuli ibidem congregati de quolibet manso cum laneo in Festo beati Martini Episcopi dimidium fertonem puri argenti, et alium dimidium fertonem in Festo beati Georgii Martyris, omni occasione sejuncta, nobis pro censu, vel terragio tenebuntur. Insuper incolae praenotatae villae nostrae Ecclesiam cum liberis Decimis et Nonis, et eligendi Plebanum quemcunque voluerint, liberam habeant facultatem: item piscationem cum aliis utilitatibus in silvis, in pratis, in pascuis perpetualiter possidebunt libere, et quiete, item unum mansum pro viis pecorum, ac pecudum suorum libere, et sine censu conservabunt. Item in Civilibus secundum jura Cypsensia (sive Saxonica) se habebunt; Stephano vero sculteto nostro, et suis posteris seu haeredibus tres mansos liberos contulimus, molendina, braxatoria, quibus indiguerit, libera, et integra conservabit; ita tamen, quod in illa haereditate nullus, praeter ipsum scultetum, et suos successores debeat, vel audeat aliqua molendina, vel braxatoria comparare. Item sextum denarium de censu, sive de terragio, et omnia praenumerata saepe dictus Stephanus scultetus cum haeredibus perpetualiter libere possidebit. Item de judiciis, quidquid infra fertonem provenerit, in usum supra dicti sculteti cedet absolute: quidquid ultra fertonem fuerit, nobis duae partes, sibi tertia remanente. Memoratus etiam scultetus omnia judicia item in ipsa villa per se, sicut est homicidium, furtum, sanguinis effusio, nec non violentia, falsa moneta, et his similia, quae sine nostro Comite, aut officiali judicabit; de quibus etiam judiciis nobis duae partes, et tertia pars sibi cedet, quemadmodum est superius expressum. Ut igitur singula praemissa perpetuae firmitatis robur valeant obtinere, nec queant negari per quempiam posterorum, praesentes literas supra, memorato sculteto, et ejus villanis nostri sigilli munimine dedimus roboratas. Datum in Arce Lublow *(Lublóvár)*, Feria quarta quatuor temporum post Dominicam Invocavit. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo secundo.

Nos itaque justis et legitimis petitionibus memorati Jacobi sculteti favorabiliter inclinati, praesentes literas non abrasas, non cancellatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, de verbo ad verbum transcribi, et transumi, praesentibusque literis nostris inseri petendo, eidem Jacobo sculteto, communi justitia suadente, sub sigillo nostro autentico pendenti, duximus extradandas, et concedendas. Datum ipso die beati Joannis Baptistae. Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

XLI.

Carolus Hungariae Rex privilegium Andreae Regis, quo mediante silvam Jacobo Praeposito Scepusiensi, ac ejusdem Capitulo donavit, confirmat Anno Dni 1322.

Ex autentico transumpto V. Capituli Scepusiensis.

CAROLUS, Dei gratia Rex Hungariae etc. Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum a Nobis petitur, quod justum est et honestum, decet Majestatem Regiam facilem praebere consensum, et his praesertim, quae videntur sanctae Matris Ecclesiae commodis humiliter convenire: Quod discretus vir Magister Joannes Praepositus Ecclesiae Scepusiensis, dilectus nobis et fidelis, ad nostram accedens praesentiam, suo et Ecclesiae suae nomine exhibuit nobis quoddam privilegium Domini Andreae, quondam Illustris Regis Hungariae inclytae recordationis, super donatione ejusdem silvae inter fluvium Poprad et Alpes Scemene *) existentis, per eundem ipsi Ecclesiae Scepusiensi factae, confectam, et habitam: supplicans nostro Culmini humiliter et devote, ut ipsum privilegium ratum habere, et ad firmiorem sui, ac Ecclesiae suae juris conservationem, nostro privilegio de benignitate Regia confirmare dignaremur, cujus tenor est talis:

Andreas Dei gratia Rex Hungariae etc. V. Dipl. 1293. Suppl. Anal. P. I. 363.

Nos siquidem justis et legitimis petitionibus ejusdem Domini Praepositi, favorabiliter inclinati, suae devotionis obtentu, praedictum Privilegium non abrasum, non cancellatum, nec aliqua sui parte vitiatum de verbo ad verbum praesentibus inseri, diligenti examinatione praehabita, verum, justum, riteque emanatum reperientes, in omnibus suis clausulis approbamus, acceptamus, ratificamus, et eidem Scepusiensi Ecclesiae, de Praelatorum et Baronum nostrorum consilio et consensu, ac de plenitudine Regiae potestatis et certa scientia, praesentis scripti patrocinio valituras perpetuo, confirmamus. In cujus confirmationis et approbationis memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales, duplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum per manus discreti viri

*) Hodie „Siminy“ juga montium ex parte orientali limites comitatum inter Scepus et Sáros constituentia. Vide Special Karte etc. Ungarn. Zone 9. Col. XXII. 1880.

Magistri Ladislai Praepositi Albensis, aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti, et fidelis nostri. Anno Dni Millesimo trecentesimo vigesimo secundo. Octavo Idus Junii. Regni autem nostri similiter anno vigesimo secundo.*) Venerabilibus Patribus et Dominis: Boleslao Strigoniensi [a] ejusdemque loci comite perpetuo, Fratre Ladislao Colocensi, aulae nostrae Cancellario, Ecclesiarumque earum Archiepiscopis; Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jaurinensi, Georgio Veszprimiensi, Fratre Petro Boznensi, Zagrabiensi sede vacante, Jwanka Varadiensi, Andrea Transilvano, Chanadino Agriensi, [b] Henrico Wesprimiensi, Joanne Nitriensi, et Laurentio Vaciensi, Ladislao Quinque-Ecclesiensi Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis Baronibus Philippo [c] Palatino, de Scepus et Vywar Comite, ac Judice Cumanorum, Demetrio Magistro Thavernicorum nostrorum, et Comite T/hrenchiniensi, Thoma totius Slavoniae, Paulo Bano de Machow, et Comite Sirmiensi de Walko, et de Budrugh, et de Varanna; Lamperto Judice curiae nostrae, Dionysio Dapiferorum, et Wladislo Agazonum nostrorum Magistris, Nicolao Comite Posiniensi, et aliis quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores. [d]

---

*) Hocce documentum testatur, Magistrum Joannem praepositum Ecclesiae Scepus donationem sylvae per Andream II. Jacobo praeposito factam, per Carolum regem „octavo Idus Junii" (6-a Junii) „1322" confirmari curavisse. — Ne autem hac in re haud exiguam praeteriisse videamur circumstantiam sufficiat adnotasse, apud Wagner Anal. Scepus. P. III. pag 24. cum provocatione ad P. I. pag. 312. contineri memoratum Joannem praepositum Boznensem etc Domiuica „Invocavit" (die 13-a februarii) MCCCXXIII= 1323 fuisse in praepositum Scepusiensem, per Capitulum Scepusiense electum, praejacens vero diploma Caroli regis annnm 1322 praeseferre.

a) E genere Ducum Tostensium oriundus. V. Nicol. Schmitth. Compend A. Episc. Strigon. T. I. pag. 170.

b) Filius Comitis Thomae, fiIii Pancratii de Thelegd de genere Chanad e Praeposito Varadiensi, unanimi Canonicorum voto, pro Pastore viduatae Ecclesiae, deinde per Theophitum, Strigoniensis Ecclesiae Praepositum, e concessione Boleslai Archiepiscopi consecratus, ac in sede Agriensi confirmatus fuit. Electio ejus num recta fuerit, consule Cl. Adam. Kollar Híston. Diplomat. Juris Patronatus; item Nicol. Schmitth Tom. I. Epp. Agrien. pag. 254.

c) Philippus Drugeth sive Danger de Homona, Comes Scepusiensis et Abaujvariensis, qui recte hoc anno factus est Regni Palatinus. Idem Tom. I. Episc. Agrien. pag. 253. Cf. Catalogos in Corp. Jur. Hung. Tom. II. Is Regi Carolo Roberto plurimum fidelis fuit, de quo alias.

d) V. Compend. A. Epp. Strigon. I. pag. 172.

XLII.

Philippus Drugeth de Homona, ad mandatum Caroli Regis Stephani Comiti Saxonum etc. turbine belli possessiones occupatas, confestim reddere jubet. Anno Dni 1323.

Ex autographo in tabulario fam. familiae habito.

KAROLUS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex, Princeps Salermitanus et Honoris ac Montis Sancti Angeli Dominus: Universis Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, praesens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum notitiam tam praesentium, quam futurorum harum serie volumus pervenire, quod accedens ad nostrae Serenitatis praesentiam Comes Stephanus filius Eliae, pro se et Elia, ac Arnoldo filiis Arnoldi, fratris sui, exhibuit Nobis literas magnifici viri Philippi Palatini, Comitis Scepusiensis et de Ujvár patentes testimoniales, restitutionem quarundam possessionum eorundem, quas idem Palatinus occupaverat, et abstulerat ab eisdem, per Nos eisdem factam, continentes fidelitatum, servitiorumque ipsorum cum sanguinis sui effusione et specialiter propter mortem Jordani fratris ejusdem Stephani et Patris Eliae et Arnoldi praedictorum, coram nostrae Majestatis oculis pro attolentia nostri regiminis, in bello, quod cum Matthaeo filio Petri, notorio infideli nostro prope Cassa habuimus inter*h*emti, petens a Nobis humili precum instantia, ut juxta testimonium earundem literarum, ipsam restitutionem nostram, possessionum suarum, ratam habere, et nostro dignaremur privilegio roborare: Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Philippus, Judex Cumanorum, Comes de Scepus et de Ujwar, tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporaliter literarum patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod cum Nos ex mandato Caroli, Dei gratia Illustris Regis Hungariae Domininostri possessiones Comitis Stephani filii Eliae [a] videlicet Thout gergew,*) quae possessio Domini Regis fuit, Két-R*epa*s, Topor*ch*, Senwald, *(h. Schönvald, alias Pusztovecz)*

a) V. Suppl. Anal. P. I, 194.

*) Tót-Görgö, h. simpliciter Görgö prope Leutschoviam. In oppositione ad Német-Görgő, h. Toporcz. Possessiones utraeque inde ab antiquo, ut notum, ad familiam Görgey spectabant.

praedium) *Stén*-Margitta, Richwald, *Stén*-Peter, Bender in dimidietate, et Kis-Tuպrch *(h. Kis-Toporcz, slavis Toporčik, 'diversorium)* similiter in dimidietate, et alias possessiones eorundem acquisitas, et emptitias, quas ipsi Stephanus et Elias secundum humanitatem eorum libertatis congregaverant, et possidebant, occupaveramus, occupatasque detinebamus, tandem Stephanus et Elias supradicti, propter fidelia servitia eorum, similiter effusionem sanguinum suorum, et morte pro ipso Domino nostro, possessiones memoratas, per nos occupatas, eisdem reddere postularunt: Et cum nullum bonum sit irremuneratum, et nullum malum impunitum, petitionibus eorundem Stephani et Eliae justis et licitis attendens Dominus noster Rex, in nostra praesentia eisdem Stephano et Eliae, ob merita servitiorum suorum fidelia, possessiones supra dictas, in filios filiorum eorundem, et haeredes, haeredumque suorum successoribus reddidit, et restituit, perpetuo possidendas, tenendas pacifice et habendas. Et nos similiter eodem modo et eadem plenitudine ipsi Stephano et Eliae possessiones ante dictas, et omnes alias ad eosdem pertinentes, cum omnibus utilitatibus suis reddimus, et restituimus, in filios filiorumque suorum perpetuo possidendas, tenendas, pariter et habendas. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem literas nostras praesentes concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Assumimus etiam, eisdem omnia praedicta, mediantibus literis Domini nostri Regis confirmare. Datum in Lewche *(h. Lőcse)* Sabbatho proximo ante Dominicam Invocavit. Anno Dni Millesimo trecentesimo vicesimo tertio.

Nos itaque tenore literarum praefatarum plenius intellecto, fidelitatibusque et servitiis ejusdem Comitis Stephani et fratrum suorum, et specialiter morte Jordani, fratris ejusdem Stephani, in servitio nostro, in bello praedicto, per Nos cum Matthaeo infideli nostro, prope Cassa *(h. hung. Kassa, lat. Cassovia)* inito, nec non morte Arnoldi, in expeditione nostra juxta Zagrabiam defuncti, in nostram memoriam revocatis, memoratas possessiones, per Nos eisdem restitutas prout tenor praescriptarum literarum Palatini evidenter testatur, Thout gergew, Két-Repas, Toporch, Senwald, *Stén*-Margita, Richwald, *Stén*-Peter, Bender in dimidietate, ac alias possessiones eorundem acquisitas, et emptitias, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis, eisdem Comiti Stephano et Eliae, et Arnoldo praedictis, nec non eorum haeredibus, haeredumque suorum successoribus, praefatam nostram restitutionem, eis factam, ratam habentes, et acceptam, perpetuamus, et praesentis scripti patrocinio perpetuo confirmamus, per eos et eorum haeredes, haeredumque suorum successores tenendas, habendas, et irrevocabiliter possidendas. In cujus rei memoriam,

perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas privilegiales, duplicis Sigilli nostri novi et authentici munimine roboratas. Datum per manus Discreti viri Ladislai Albensis Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo tertio. Secundo Idus Julii, Regni autem nostri similiter vicesimo tertio. Venerabilibus in Christo Patribus Boleslao Strigoniensi, Fratre Ladislao Colocensi Archiepiscopis, Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jaurinensi, Georgio de Sancto Irenaeo, Ladislao Quinque-Ecclesiensi, Fratre Petro Bosniensi, Iwanka (sive Joanne) Waradiensi, Aureo Transsylvano, Chanadino Agriensi, et Henrico Vesprimiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo Palatino, Comite Scepus et de Ujwar, Demetrio Magistro Thavernicorum nostrorum, Comite Bachiensi et Trenchiensi; Lamperto Judice Curiae nostrae, Comite de Sonouk, Nicolao Bano de Mochow comite Sirmiensi de Walkow et de Budrug, Mikh (Michaele) Magistro Thavernicorum Dominae Reginae, consortis nostrae carissimae, Comite de Saarus et de Pochlok, Desev, Judice Curiae ejusdem, Dominis Regnicolis, Blasio Magistro Agazonum nostrorum, Nicolao Comite Posoniensi, et Nicolao Comite Somogyensi, ac aliis quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

XLIII.

Metales literae Castrorum Lublo et Palocha. Anno Dni 1323.

Ex archivo imperiali ac regiae camerae aulicae, fasc. 88-o no 7-o.

EXCELLENTISSIMO Domino suo Carolo, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, orationes in Domino debitas, et devotas. Regiae Majestatis Vestrae literas debito cum honore, recepimus, hanc seriem continentes: Carolus, Dei gratia Rex Hungariae, fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Cum Nos Castra Lublo et Paloucha *(h. Palocsa, in Sárosiensi comitatu)* vocata, Magnifico viro, Philippo Palatino, Comiti Scepusiensi et de Ujwar, dilecto et fideli nostro, pro fidelibus servitiis ejusdem, dudum contulerimus, cum appertinentiis et utilitatibus suis universis perpetuo possidenda, Fidelitati vestrae mandamus, praecipientes firmiter per praesentes, quatenus visis praesentibus mittatis unum ex vobis virum idoneum et fide dignum pro testimonio, coram quo Johannes filius Johannis, de genere Thecule, vel Simon filius Demetrii de eodem

Genere, si alterum abesse contingat, homine nostro, accedendo supra faciem castrorum praedictorum et terrarum, ac villarum pertinentium ad eandem, reambulet easdem per metas veteres et antiquas, convocatis commetaneis et vicinis earundem, et ipsa castra et terras reambulatas statuat praedicto Philippo Palatino, perpetuo possidenda, et erigendo novas metas juxta veteres, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, ad nostram praesentiam, contra eundem Philippum Palatinum, legitime evocandos; et post haec diem citationis, nomina citatorum, et terminum assignatum cum cursibus metarum, et totius facti seriem Nobis fideliter rescribatis. Datum in Vissegrad Feria sexta proxima ante Festum beati Georgii Martyris. Anno Dni Millesimo trecentesimo vicesimo tertio.

Nos itaque Celsitudinis Vestrae mandatis in omnibus, ut tenemur, obedire cupientes, una cum praedicto Johanne filio Johannis, de genere Thecule, homine vestro, Magistrum Nicolaum, notarium nostrum et scholasticum, pro testimonio misimus fide dignum, ad praedicta exequenda: Qui demum ad nos redeuntes, concorditer retulerunt, quod super faciem Castri Palou*ch*a *(h. Palocsa)* vocati, et terrarum ac villarum, ad ipsum pertinentium accedendo, convocatis vicinis et cometaneis ipsas secundum metas veteres et antiquas taliter reambulassent, videlicet, quod prima meta incipit ex illa parte cujusdam Heremitae versus Poloniam, inde procedit, transeundo fluvium Poprad, et ascendit in montem, vulgariter Pezzér-Javor dictum; inde procedit ad caput cujusdam fluvii, Mussina *(Muszyna)* vocati, et usque ad illam metam reambulationi et statutioni nullus contradixisset; a capite vero praedicti fluvii Mussina procedendo, pervenit ad quemdam montem, Chorgo vocatum, a quo monte descendit ad caput cujusdam aquae, Grakovich vocatam, et in eadem aqua descendit ad fluvium, Tar*ch*a *(h. Tárcza)* nominatum, et in ipso fluvio ascendendo vadit usque ad locum, ubi quaedam aqua Zolouk vocata, cadit in Tar*ch*am, et ibidem salit de fluvio Tar*ch*a, et ascendit in ipsa aqua Zolouk, quousque pervenitur ad possessionem ad villam, Zolouk *(h. Alsó-Szalók, in Sárosiensi comitatu)* dictam — pertinentem, et usque ad hunc locum a capite dicti fluvii Mussina, non reambulationi sed statutioni Magister Kokoss, Johannes et R*y*colphus filii R*y*colphi contradixissent. Deinde in aqua Zolouk, jam dicta, venitur usque ad caput ejusdem aquae, Magister Thomas Castellanus de Scepus statutioni pertinentium ad Villam Zolouk contradixisset; deinde a capite aquae Zolouk transit ad caput cujusdam aquae, Kyus-Tar*ch*a (*h. Kis-Tárcza*) vocatae, inde ascendit ad quemdam montem, Zemene (*h. Simeny*) vocatum; inde descendit ad caput cujusdam aquae,

Lyblo *(h. Lubló)* dictae, in qua descendit ad fluvium Poprad, et in eodem fluvio descendit ad locum, ubi quaedam aqua, Verespotok nuncupata cadit in Poprad, et in eadem aqua Verespotok ascendit ad caput ipsius aquae, unde vadit ad caput cujusdam aquae, Obrochina vocatae, et in eadem aqua descendit versus locum Heremitoris, *(h. Mnisek, ad Popradum)* revertendo ad priorem metam. Cui quidem cursui metarum a capite aquae Zolouk praedictae usque ad finem metarum, jam dictarum, nullus contradixisset, excepto, quod a fine possessionis Zolouk, ubi devenitur ad metas filiorum Hanus, praedicti filii Ricolphi, secundum cursum metarum, in suis privilegiis seu instrumentis expressarum, ac deinde a metis filiorum Hanus ad caput fluvii Tarcha, a quo proceditur ad montem Zemene, unde versus orientem descendendo itur ad caput aquae, Lubetin dictae, et in ipsa aqua descenditur ad fluvium Poprad, et in ipso fluvio Poprad descendit usque ad quoddam pratum, Mussina vocatum, ubi duo rivuli cadunt in Poprad, ibique in inferiori rivulo ascendit usque ad caput cujusdam aquae, Mussina vocatae, ipsi statutioni contradixissent. Idcirco praefatos contradictores, videlicet Kokoss, Johannem et Rycolphum filios Rycolphi, nec non Magistrum Thomam, Castellanum de Scepus, in Vigilia beati Matthaei Apostoli et Evangelistae, contra praescriptum Philippum Palatinum, ad vestram specialem citavimus praesentiam, octavas beati Clementis Papae proxime venturas, eisdem pro termino assignando, coram vestra Celsitudine comparendi. Datum in Festo Sanctorum Martirum Mauritii et Sociorum ejus. Anno Millesimo trecentesimo vigesimo tertio. (L. S. clausi).

XLIV.

Nicolaus Kun cum fratribus suis alteri Nicolao indulget, sub certis libertatibus, libera item Ecclesiae decima et electione Plebani, in suam silvam inducere populos. Anno Dni 1326.

Ex autographo apud Quintoforenses habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, significamus, quibus expedit universis: Quod Nicolaus filius Ladislai de Dobschina [a] ad nostram personaliter accedens praesentiam, exhibuit nobis privilegium honorabilium virorum, videlicet Capituli Eccle-

a) Unde nomenclata sit ita haec civitas, v. Bucholz M. S. p. 130. quod citat cl. Christian Genersich P. I. pag. 115.

siae Agriensis sub tenore infrascripto, nobis supplicando, ut idem privilegium sub nostri sigilli testimonio rescribi faceremus ad cautelam, qui quidem privilegii tenor talis est:

Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesens scriptum inspecturis, Capitulum Ecclesiae Agriensis salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Nicolaus, dictus Kun, Ladislaus et Joannes Magistri, Comitis Benedicti filii Detrici, pro se et pro Petro fratre ipsorum ad nostram personaliter accedentes praesentiam, proposuerunt viva voce, quod quandam silvam ipsorum densam, prope metas terrae Scepusiensis existentem, in qua solummodo adhuc Nicolaus filius Ladislai de eadem terra Scepusiensi, pro sola sessione sua extirpationem fecisset, cum suis utilitatibus omnibus dedissent, et contulissent, et coram nobis contulerunt eidem Nicolao filio Ladislai, in libertate Teutonicorum de Corpona, in ipsam silvam populos congregandos, et in eandem silvam congregatos, et in dicta libertate ibidem residere volentes, conservare, prout inferius series ipsius libertatis, et cursus metarum ipsius silvae lucide exprimuntur, videlicet hospites, qui per procurationem ipsius Nicolai, causa commorandi in ipsam silvam congregabuntur, a die notationis praesentium, infra sedecim annos nullam collectam eisdem solvere teneantur; elapsis autem his sedecim annis, unusquisque hospitum commorans in portione sua, quae more Teutonico Laan dicitur magnum, sedecim grossos ipsi solvere tenebuntur. Item de una terra Laan pro muneribus suis in Pascha Domini unum grossum, et in Festo Michaelis Archangeli *(29. Septembris)* alium grossum sibi solvere tenebuntur. Decimae vero frugum et aliorum minutorum [b] salvae Ecclesiae remanebunt. Item elapsis dictis sedecim annis, tertia pars tam collectarum, quam munerum, nec non judiciorum, de ipsis hospitibus provenientium, eidem Nicolao et suis haeredibus de Banya, omnium metallorum, inibi existentium, similiter tertiam partem libere percipere et possidere commisissent, dantes eisdem in qualibet villa, inibi aedificanda, duas Laanas terrae, domum braxatoriam, et molendina absque aliquo tributo usque ad vitam eorum conservare. Item Sacerdotem Parochialem, quem ipsi volunt, liberam habeant recipiendi et eligendi facultatem [c]. Praeterea, si processu temporis idem Nicolaus, vel sui haeredes urgentibus aliquibus necessitatibus eorum universa aedificia sua, in dictis silvis vel villis constructa, de se alienare, liberam habeant vendendi, seu cuicunque legandi fa-

b) Intellige decimas minores.

c) Jus itaque suum, quod a Rege obtinuit, in ipsos derivavit.

cultatem. Cursus vero metarum ipsius dictae silvae, quibus ab aliis terris circumvenitur, et distinguitur, sicut praedicti filii Comitis Benedicti, et idem Nicolaus nobis expresserunt, hoc ordine praetenduntur: Quod prima meta incipit inibi, ubi fluvius Dobschina cadit in fluvium Sajo, unam metam terream, super qua reflectitur versus Chetnek ad partem meridionalem, et eundo directe, venit ad aliam metam terream, super qua reflectitur in magnitudine unius terrae Laan ad occidentalem partem, et tendit ad unum collem, id est Hibel (*recte Hügel, collis)*; et girando per totum, et eundo directe magno spatio, jungit caput ejusdem Dobschina fluvii, de quo reflectitur ad plagam aquilonalem, et eundo directe per .... ad eandem venit super fluvium, Gelnetz (*h. Göllnicz*) vocatum, et descendendo in meatu ejusdem fluvii Gelnetz, infra iterato directi, jungit priorem metam, unde inceperat, et ibi terminatur. Ceterum dicti filii Comitis Benedicti, se ad hoc et eundem Petrum fratrem ipsorum, ad suos haeredes coram nobis obligarunt, quod si processu temporis aliquis dictum Nicolaum et haeredes ejusdem in praemissis et ratione praemissorum molestare vellet, eosdem suis laboribus et expensis contra quoslibet illaesos conservare tenerentur. In cujus rei testimonium, ac instantiam ipsorum filiorum Comitis Benedicti, praesentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Praesentibus tamen Magistro Petro Praeposito, Nicolao Lectore, Martino Cantore, Joanne Custode, Dominico de Ujwar, Valtero de Borstés *(sic)*, Laurentio de Kemény, Petro de Zemlén, alio Petro de Zemlén, Davide de Zaboulaz, Stephano de Heves, Joanne de Borszod Archidiaconis, et aliis multis. Anno Dni Millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Regnante Carolo Illustri Rege Hungariae, Boleslao Strigoniensi, Ladislao Colocensi, Archiepiscopis, et Dno nostro Venerabili P. Chanadino Dei gratia Episcopo Agriensi existentibus.

Nos itaque justis ac legitimis petitionibus ejusdem Nicolai annuentes, videntesque praedictum privilegium in aliqua sui parte non vitiatum, ipsum de verbo ad verbum rescribi, et praesentibus inseri fecimus, nostroque pendenti sigillo roborari. Datum in Festo Corporis Christi Anno ejusdem Millesimo trecentesimo trigesimo.

XLV.

Jula Comes Saxonum de Scepus, litem inter Quillermum Abbatem de Schawnik et Popradienses oppidanos, causa Altznoviensium exortam, pacifice componit. Anno Dni 1326.

Ex autographo apud Popradienses habito.

NOS frater, Quillermus dictus, Abbas Monasterii beatae Mariae de Scepus, totusque Conventus ejusdem Loci, *(h. lat. Castrum Schavnik, hung. Savnik kástély)*, notum fieri volumus, quibus expedit universis: Quod cum lis et contentio dudum orta fuisset, inter nos et populum de Poprad pro quadam particula terrae: considerantes nos et populus praedictus; quod pro re tam modica non esset conveniens, ut rixa inter nos diutius perduraret, viris providis, discretis et honestis pro parte nostra commisimus, tanquam arbitris fide dignis, causam nostram, deliberatione habita, sopiendam cuidam viro, Religioso Fratri Guidoni, Ordinis sancti Antonii, magistro et commendatori in Drawcz *(h. Dravecz)* Comiti Richaldo Stojan, et Menhardo sculteto nostro de Kubach: praedictus vero populus de Poprad ex alia parte unanimi et pari voluntate causam suam commiserunt viro discreto Gerardo, Plebano de Müllenbach, nobili viro, Comiti Julae, tunc temporis existente Comite Germanorum, *(Saxonum de Scepus)* ac honesto viro Johanni Judici de Leucha (Leutschovia) qui tanquam viri providi pacis et concordiae vinculum inter nos et praedictum populum de Poprad solidare cupientes, zelo Dei ferventes, et omnem discordiam et scrupulum inimicitiae amovere volentes, taliter ordinarunt: Quod Jobbagiones nostri de Alczenow propter bonum pacis et concordiae, praedicto populo de Poprad tres fertones puri argenti, ponderis Scipsiensis *(sic)*, omni occasione in justa prorsus moneta, singulis annis in Festo beati Martini Episcopi et Confessoris solvere tenebuntur. Quodsi in solutione praelibata nostri praefati Jobbagiones de Alczenow *(sic)*, die et termino praefixo deficerent, ex tunc populus praedictus de Poprad per hominem nostrum praesentem et assistentem habet recipere, impignorare pro pretio praetaxato. Et si, quod absit, contingeret, quod saepe nominatus populus de Poprad, propter defectum dictae solutionis eisdem non factae, aliquod damnum incurreret; nos praedicti Abbas et Conventus Jobbagiones nostros, superius nominatos, debemus et tenemur ad hoc cogere, quod ipsi de dictis tribus Fertonibus expensis, quam primo, si interfuerit, secundum aestimationem proborum virorum, Deum prae oculis

habentium, reddant justitiae, complementum. Et ut haec ordinatio, per modum compositionis inter nos et ipsum populum de Poprad praedictum, facta robur obtineat firmitatis, nostro duplici sigillo de communi consensu et assensu nostri Conventus, praesentem paginam mandavimus roborari. Datum et actum Feria tertia ante Ascensionem Domini. Anno Dominicae Incarnationis Millesimo trecentesimo vigesimo sexto.

XLVI.

Idem Jula amicam super Alcznow initam compositionem confirmat. Anno Domini 1326.*)

Ex autographo apud Popradienses habito.

NOS Jula, Comes Saxonum, Jurati et universi Judices de Cyps, memoriae commendantes, significamus, quibus expedit universis, praesentibus protestantes: Quod, cum lis et contentio dudum orta fuisset inter viros Religiosos, Abbatem, et Conventum Ecclesiae Sanctae Mariae de Cyps (Schawnik) et populum e *Poppart* a) pro quadam particula terrae: ipsae vero partes considerantes, quod pro re tam modica non esset conveniens, ut rursus inter ipsos altercatio perduret, viris providis et discretis ac honestis pro parte Domini Abbatis et Conventus, coram quibus fide dignis, scilicet viro Religioso Fratre Guidone, ordinis Sancti Antonii magistro, et commendatore in Drawcz *(h. Dravecz)*, Comite Nicolao Stojan, et Menhardo sculteto ipsorum de Kubach: Judices vero et populus de *Poppart* ex alia parte unanimi et pari voluntate causam suam commiserunt viro discreto Dno Echardo (Gerardo praecedenti Diplom.) Plebano de Mulenbach *(h. Müllenbach)*, nobili viro, Comiti Julae, tunc temporis existenti Comiti Terranorum ac honesto viro Johanni de Lewcha: qui tanquam viri providi, pacis et concordiae vinculum inter ipsas partes, solidare cupientes, zelo Dei ferventes, omnem discordiam et scrupulum inimicitiae ab ipsis partibus amovere volentes, taliter ordinarunt: Quod Jobbagiones Abbatis, et Conventus de Alczenow, propter bonum pacis et concordiae, praedicto populo de *Poppart* tres fertones fini argenti, ponderis Cypsiensis, omni occasione in justa moneta singulis annis in Festo beati Martini Episcopi et Confessoris solvere tenebuntur. Si vero in soluti-

*) Confer Wagner Anal. Scep. P. I, 404., 405.

a) h. Poprad oppidum e XVI. hodiernis (1806) Scepusiensibus unum.

one praelibata praefati Jobbagiones Abbatis de Alczenow die, et termino praefixo deficerent, quod tunc populus praedictus de *Poppart*, per hominem Abbatis praesentem et assistentem habet recipere, et impignorare per pretium praetaxatum. Et si, quod absit contingeret, quod saepe dictus populus de *Poppart* propter defectum dictae solutionis, eis non factae, aliquod damnum incurrerit, ipsi praedicti Abbas et Conventus Jobbagiones ipsorum, superius nominatos, debent et tenentur ad hoc cogere: quod ipsi de dictis tribus fertonibus, expensis et dampnis, si intercesserint, secundum aestimationem praelibatorum virorum, Deum prae oculis habentium, ut reddant justitiae complementum. Nec praetermittendum: Quodsi praedicti populi de *Poppart* Domino Abbati et Jobbagionibus suis aliquam violentiam intulerint in ejus jurisdictione, et per experientiam veritatis, ex tunc ordinatio praescripta irrita est et inanis. In cujus rei testimonium praesentem literam sigillo nostrae Provinciae concessimus roborare. Datum Feria tertia proxima post Ascensionem Domini Millesimo trecentesimo vicesimo sexto.

XLVII.

Literae metales Possessionum Lompnicza *(Nagy-Lomnicz)*, Zabsfalva et Martzinfalva. Datum Anno Dni 1326.

Ex autographo in tabulario J. familiae de Berzevicze habito.

SERENISSIMO Domino suo Carolo, Dei gratia Illustri Regi Hungariae. Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus orationes in Domino debitas ac devotas. Recepimus literas Comitis Alexandri, Judicis Curiae vestrae, hunc tenorem continentes. Honorabilibus viris, et discretis amicis suis, Reverendis Capitulo Ecclesiae beati Martini de Scepus: Comes Alexander, Judex Curiae Domini Regis, amicitiam paratam cum honore. Discretionis vestrae amicitiae notum facimus, quod videlicet cum habita possessionaria divisione mediantibus nostris literis privilegialibus, inter Magistros Johannem, Nicolaum, et Petrum, filios Andreae, filii Polyan [a] Actores, Kakas [b] Johannem et Ricolphum, in causam attractos, per hominem Domini Regis, praesente vestro testimonio, reambulationes, et novarum metarum erectiones in quibusdam possessionibus, prout in dictis nostris privilegialibus literis

a) Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 128.
b) Sive Kokos, de quo supra.

videbitis contineri, fieri debeat; vestram amicitiam petimus per praesentes, quatenus visis praesentibus, vestrum hominem, pro testimonio fide dignum, transmittatis, in cujus praesentia Jacobus, filius Jordani, vel Paulus, filius Pausch, homo Regius, reambulandas possessiones juxta continentias dictorum Privilegiorum nostrorum reambulet, et ubi necesse fuerit, novas erigat metas, juris ordine observato; et post haec totius facti seriem cum cursibus metarum Domino nostro Regi fideliter rescribatis. Datum in Alto Castro, in quindena beati Martini Confessoris. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Nos itaque petitionibus praefati Comitis Alexandri acquiescentes, ut tenemur, cum praedicto Jacobo, filio Jordani, homine vestro, discretum virum Magistrum Mathiam, nostrum Concanonicum, pro testimonio fide dignum, duximus destinandum, ad praemissa exequenda. Qui quidem homo noster cum eodem homine vestro nobis dixerunt, ad nos demum redeundo, quod ipso praesente, idem Jacobus, homo vester, in crastinis beati Nicolai Confessoris proxime praeteritis, possessiones Lomnicza, Zabschfalva, et Martzinfalva vocatas, reambulassent; metae vero earundem duarum possessionum Lomnicza et Zabschfalva c) ut ambae partes, et idem homo vester cum homine nostro nobis concorditer, retulerunt, hoc ordine distinguuntur:

Quod prima meta earum incipit a parte meridionali circa metas Saxonum de villa Isaac (*h. Zsákócz*) super duas vias, quae ad modum crucis disponuntur, et in eadem via transit versus Zabschfalvam praenotatam, ubi super quendam monticulum planum est una meta terrea, deinde transit per modicum terrae spatium versus occidentem, et ibi est una terrea meta, a qua transit versus aquilonem usque fluvium Poprad, et ibi est tertia meta terrea, et in fluvio Poprad modicum ascenderet usque ad quoddam fossatum, et in eodem fossato ascendit usque ad montem versus aquilonem, et in fronte ejusdem montis descendit ad montem Kaff, et eundem montem circumeundo, transit ad modicum spatium versus orientem, ubi est meta terrea; deinde ascendit versus aquilonem usque ad quandam viam, et ibi est terrea meta, et in eadem modicum descendit versus orientem, et ibi est meta terrea, a qua ascendit versus aquilonem usque ad quandam viam, et ibi est terrea meta; et circa eandem viam ascendendo, transit super quemdam montem, et de eodem monte descendit circa viam usque ad antiquas metas finales: deinde tendit versus occidentem in latitudine duorum

c) Jam dudum desiderabatur.

jugerum, secundum mensuram villarum praedictarum, et ibi est nova terrea meta; et in eadem latitudine inter eandem novam metam et fluvium, Feketeviz vocatum, ascendit usque ad montes niveos, *(h. Carpatici)* et ibi metae dictarum villarum terminantur. Metae autem possessionis, Martzinfalva vocatae, sicut iidem nobis recitarunt, sic situarentur: quod prima ejusdem meta incipit in quadam aqua magna, *Lompnich* vocata, et in eadem aqua descendit usque ad terream metam, ubi exit in magna aqua *Lompnich* versus occidentem directe; qua vadendo quidem est aqua parva *Lompnich* vocata, et in ipsa ascendit usque ad caput ejusdem, et ibi metae villae Martzinfalva praedictae terminantur. Datum in Vigilia beati Thomae Apostoli. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo sexto.

XLVIII.

Willermus, Comes de Scepus et Ujvár occupata bona reddit Mariassianis. Anno Dni 1328.

Ex autographo apud eosdem existente.

NOS Magister Willermus[a] Comes de Scepus et Ujvár, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod, cum Nos ex praecepto et mandato Domini nostri Caroli Dei gratia Illustris Regis Hungariae, Possessiones quorundam nobilium, in Comitatu Scepus existentium, fecissemus recaptivari, inquirentes, quali titulo ipsas possessiones habeant, et possideant, inter quas etiam quasdam possessiones Comitis Joannis et Michaelis, filiorum Marcus, et Stephani filii Marcus Szent-Michal-Ur, *Lisquan* *) *Wagendrüzel* etc. vocatas, in praedicto Comitatu existentes, fecissemus recaptivari, et postmodum praedictis nobilibus supra dictas possessiones ipsorum haereditarias fore asserentibus, commisimus, ut ii nobiles cum vicinis et commetaneis praeatactarum possessionum, caeterisque nobilibus ejusdem Comitatus in Octava Festi Purificationis Virgini Gloriosae coram honorabili Capitulo Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, praesente magistro Petro, Castellano nostro de Scepus, velut etiam homine ipsius fide digno comprobare debuissent, secundum Regni consuetudinem approbatam, utrum videlicet praenotatae possessiones ipsorum sint? et fuerint haereditariae?

a) Etiam Guilielmus, sive Wilhelmus scribebatur. V. Corp. Jur. Hung. in fine pag. 219.

*) Leszkovján, germ. Steckensdorf.

tandem praedicti Comes Joannes, Michaël ..... in quadam congregatione nostra Sabbatho proximo post Dominicam Ramis Palmarum in praedicto Comitatu Scepus, circa, Ecclesiam Sancti Martini facta, consurgentes de medio universorum exhibuerunt literas praedicti Capituli coram nobis ac quibusdam juratis assessoribus, et aliis nobilibus, una nobiscum in Judicio assidentibus. — Unde nos ex relatione supradictorum Juratorum et nobilium certificati, praescriptas possessiones scientes et intelligentes ipsorum fore haereditarias, et a tempore, cujus memoria in contrarium non extat, per progenitores eorundem habitas et possessas, easdem remisimus, et resignavimus, pacifice possidendas et tenendas. In cujus rei testimonium praesentes nostras literas, annuente justitia, eidem duximus concedendas. Datum quarto die Congregationis nostrae antedictae, loco praenotato. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo octavo.

XLIX.

König Karl I. bestätiget auf das Bitten des Grafen Jula den Zipser-Sachsen ihre Freyheiten. Anno Dni 1328.

Aus der ächten in der Stadt Bela aufbewahrten Handschrift.

KAROLUS, von Gottes Genoden der Lande von Hungern, von Dalmacia, von Croatia, Rame, von Servie, von Galliczie, von Lodomerie, von Bulgarie etc. ein Kunig, und ein Fyrst von Salereiten, und des ehrlichen Berges Sancti Angeli ein Herr, allen Gottes Hulde, beden, den gegenwärtigen, und zukünftigen, dy unser Schrifft ansehen, unsern Gruss. Zu der Gewald der Kuniglichen Majestät geherend, dass sie alle alte Handfesten sollte verneuern, auf dass sie vnforzeret bleiben, dy do vor gnodiglichen seyndt verlyhen, und gegeben. Daran wir thun zu wyssen, dass do ist kommen vor unser Majestet Groff Jula, ein Richter des Zyps Landes, und hat uns beweyset unsere alle bryffliche Handfesten auf den Unterscheidt der Freytumb und Gesesse, und hat gebeten, dass wir yn auch befestigen wollen mit unseren neuen Sygell, welches Bryffs Lauth von Worte ist also:

Karolus Dei gratia etc. V. Diplom. 1312. pag. 39.

Darum hoben Wyr die vorgeschrybene bryffliche Handfesten beschauet, und hoben sie befonden wohrhoftig, und hoben angesehen die Bette des vorgenanten Groff Jule, und hoben sie angenommen, und mit dem Rodthe aller Byschoffe und Landtherrn unsers Landes, hoben Wyr unseren Getreuen

myt unsern neuen Insygel, dass zweyerley zu beden Seiten ist, befestyget, alle obbeschrybene Artikel und Stucken. Gegeben durch die Hende des ehrsamen Meisters Endress (Andreas) Probist zu Weissenburg yn Sybenbürgen unsers Sales Unterkanzler. In dem Johr nach Christi Geburth Eintausend dreyhundert acht und zwanzig, und in dem Johr unsers Reichs am 28. Johre. In Gegenwärtigkeit der Ehrwürdigen Vetter und Herrn: Boleslaus Erzbischoff zu Gran, und Bruder *Láslo* (Ladislaus) von Kolocz, beede Erzbischoff, und Bischoff Johannes von *Naytra*, Georgius von Serim (Sirmiensi), Bruder Petrus aus Bossen (Bosniensi) Nicolaus von Roob, Benedictus von Czanadin, *Láslo* von Fünfkirchen. Iwanka von Waradin, Heinrich von Wesperin, Czanadinus von Erla, Andreas von Siebenbürgen (Transylvano) Ladislaus von Agram (Zagrabiensi) der ehrwürdigen Bischoff; und vor dem Grossmächtigen Herrn Demetrio, unserem Tarnocker-Meister, Groff von Bach, und Trenchin, Thoma Woywoda von Siebenbürgen, und Groff von Zonok, Micha *(Michaël)* ein Ban ganz windischen Landes (totius Sclavoniae) Paul Ban von Machow, Groff von Walko, und Ludrog, Johannes Bangbaus Sohn Tharnockmeister der Frawen Kunigin, unserer geliebsten Hausfrauwe, Dionysio, unsern Speismeister, Stephano unserem Bechermeister, und Nicolao Groff von Presburg und andere viel Edle Leute, die hoben Ehre von uns.

L.

Idem Rex confirmat venditionem portionis possessionariae, quam Comes Gerlacus Thamasii habuit, et cum consensu filiorum suorum Quintoforensibus perennaliter vendidit. Anno Dni 1328.

Ex autographo apud eosdem habito.

CAROLUS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, ac montis Sancti Angeli Dominus: Omnibus Christi fidelibus, praesentibus et futuris, notitiam praesentium habituris, salutem, in quo resident sempiternae salutis incrementa. Solet a Principe confirmari, quod licite postulatur: Quia, sicut juris est, occupata indebite in statum debitum revocare, sic est aequitati consonum, obtenta legitime Regio patrocinio roborare. Proinde cunctorum serie harum notitiae volumus pervenire; quod Johannes villicus, et Andreas filius Herbordi de Sancto Ladislao *(Csütörtökhely)* [a] suo,

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 392, 398.

et universorum cohospitum suorum de eadem, ad nostram accedentes praesentiam, exhibuerunt Nobis, et praesentarunt quasdam literas privilegiales Capituli Scepusiensis, super emptione cujusdam possessionariae portionis, in Thamasii *(Tamásfalu)* habitae, per Comitem Gerlacum, et filios suos eis venditae confectas; petentes a Nobis prece subjectiva, ut super dicta venditione et emptione, easdem ratas haberemus, et ad majoris rei evidentiam nostro dignaremur Privilegio confirmare, quarum tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Diplom. XXXIV. pag. 46. Nos igitur visa serie praescriptarum literarum Privilegialium dicti Capituli, et inspecta diligenter veritate, justis petitionibus eorundem Johannis et Andreae favorabiliter inclinati, easdem in nulla sui parte vitiatas, de verbo ad verbum praesentibus insertas, supra dictae portionis possessionis venditione et emptione acceptamus, ratificamus, approbamus, de consilioque Praelatorum et Baronum Regni nostri, infra notatorum, perpetuo valere, et pere*mp*naliter permanere, praesentis privilegii nostri patrocinio confirmamus. In cujus confirmationis memoriam perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales, duplicis sigilli nostri novi et authentici munimine roboratas. Datum per manus discreti viri Magistri Endre, Albensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti, et fidelis nostri. Anno Dni Millesimo trecentesimo vigesimo octavo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: Boleslao Strigoniensi, Locique ejusden Comite perpetuo, et Fratre Ladislao Collocensi, aulaeque nostrae Cancellario, Archiepiscopis. Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Syrmiensi, Ladislao Quinque-Ecclesiensi, Ivanka Varadiensi, Fratre Petro Bosnensi, Laurentio Vaciensi, Andrea Transylvano, Henrico Vesprimiensi, aulae Dominae Reginae, Consortis nostrae carissimae Cancellario, Chanadino Agriensi, et Ladislao Zagrabiensi Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus et devote. Magnificis Baronibus: [b] Demetrio Magistro Tavernicorum nostrorum, Comite Bachiensi et Trenchiniensi, Thoma Vojvoda Transylvano, et Comite de Zonuk, Myk Bano totius Sclavoniae et Comite Symegiensi. [c] Paulo Bano de Mahou, Comite Syrmiensi de Walku

b) Post mortem Philippi Drugeth 1327 (Wagn. P. III. pag. 206.) dignitas Palatinalis tantisper vacabat; ideo nulla hic Palatini mentio fit.

c) Num R. P. Nicol. Schmitth circa suum Nicolaum (Mikh) qui Mladino Bano, quem Rex Carolus magistratu movisset, metam attigerit, incertum est, siquidem ille Nicolaum Comitem Vesprimiensem fuisse referat, hic vero Comes Symegiensis scribatur. (V. Tom. I. Episc. Agrien. pag. 263 not. B.)

et de Bodrugh, Comite Johanne filio Babanik, Magistro Tavarnicorum, et Desew, Judice curiae dictae Dominae Reginae, Dionysio Dapiferorum, Stephano Agazonum nostrorum magistris, Nicolao, Comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, Regni nostri Comitatus tenentibus et Honores.

LI.

Idem Rex jubet Edustornya magistro Petro Gallico Vice-Castellano de Scepus et Lublo cum adpertinentiis statui. Anno Dni 1329.

Ex autographo apud civitatem Igló habito.

KAROLUS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Sallernitanus et Honoris Montis S. Angeli Dominus: Omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ut donationes Regum perpetua firmitate solidentur, literarum solent testimonio perhenari. Inconcussum quippe permanet, quod de Regio patrocinio fuerit roboratum. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; Quod, cum Magister Wyllermus Comes de Ujwár et de Scepus, dilectus nobis et fidelis nostro Culmini humiliter supplicando, quandam terram seu possessionem, Edustornya *(h. Hadusfalu)* vocatam, in Comitatu Scepusiensi existentem, asserendo ipsam nostrae collationi pertinere, Magistro Petro Gallico, Vice-Castellano suo de Scepus et de Lyblow, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postulasset, cujus petitioni ex certa scientia admittere cupientes, fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae beati Martini de Scepus, ut sub ipsorum testimonio Petrus filius Danus [a] vel Comes Conradus, homo noster, praefatam possessionem vicinis et cometaneis suis convocatis, per veteres metas reambulando, si nostrae collationi pertinere invenient, statuant praedicto magistro Petro perpetuo possidendam, dum modo non fuerit contradictum; contradictores autem, si qui fuerint, contra eundem ad nostram citaret praesentiam, ad terminum competentem, et post haec totius facti seriem nobis fideliter rescriberent per nostras literas mandassemus. Tandem idem Capitulum, fideles nostri Nobis rescripserunt in haec verba:

a) V. Suppl. Anal. P. I, 449.

Excellentissimo Domino suo Karolo, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, orationes in Christo tam debitas, quam devotas. Literas Vestrae Serenitatis honore, quo decuit, recepimus in haec verba.

Karolus Dei gratia Rex Hungariae, fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Noveritis, quod Magister Villermus Comes de Ujwár et de Scepus, dilectus nobis et fidelis ad nostram accedens praesentiam, terram sive possessionem, Edustornya vocatam, in Comitatu Scepusiensi existentem, cum silvis ad eandem portinentibus, asserens eam de jure ad nostram collationem pertinere, Magistro Petro Gallico, Vice-Castellano suo de Scepus et de Lyblow, a nobis dari et conferri perpetuo postulavit. Verum quia Nobis de qualitate, et quantitate dictae possessionis, et utrum nostrae collationi pertineat nec ne, veritas non constat, Fidelitati vestrae mandantes praecipimus per praesentes, quatenus mittatis hominem vestrum pro testimonio fide dignum, quo praesente Petrus filius Danus, vel Comes Corardus (*Conradus*) de Gargow, homo noster, praefatam possessionem seu terram vicinis, et co*m*etaneis suis convocatis, per veteres et antiquas metas reambulando, si invenerit nostrae collationi pertinere, statuat praedicto Magistro Petro perpetuo possidendam, dummodo non fuerit contradictum. Contradictores autem, si qui fuerint, contra eundem ad nostram citet praesentiam, ad terminum competentem, et post haec totius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum in Alto Castro Feria tertia post Festum Circumcisionis Domini. Anno ejusdem Millesimo trecentesimo vigesimo nono.

Nos itaque mandatis Vestrae Serenitatis obedientes humiliter, ut tenemur, cum praedicto Comite Petro, homine vestro, Johannem Presbyterum, Ecclesiae nostrae Vicarium, hominem nostrum, ad praedicti mandati vestri executionem, pro testimonio misimus fide dignum; qui nobis dixit ad nos demum redeundo, quod ipso praesente praedictus Comes Petrus, homo Vestrae Celsitudinis, sexta Feria proxime praeterita praedicta, possessionem Edustornya vocatam, coram co*m*etaneis et vicinis videlicet populis de Symigio (*Szepes-Sümegh*) item filiis Gyurk, item nobilibus de Matthyasfalva, item Paulo filio Urbani cum fratre suo, item Fratribus de Lapide Refugii, item populis de villa Compositi [b] item filiis Edus, Herbordo, Elia, Ugrino et Egidio proclamatione facta forensi, ibidem comparentibus, per veteres

b) Hung. Kápostafalva, germ. Kabsdorf, slav. Hrabusice.

metas et antiquas reambulatam, ad Vestrae Majestatis collationem pertinentem statuisset praedicto Magistro Petro Vice-Castellano de Scepus et de Lyblow, cum silvis et aliis pertinentiis suis universis, perpetuo possidendam, nullo contradictore penitus existente. Cursus vero metarum ejusdem possessionis, prout idem homo vester et noster, nobis concorditer retulerunt, hoc ordine distingvuntur: Quod prima ejus meta incipit a plaga orientali, ubi aqua Lesnicha cadit in aquam Harnad *(h. Hernad)*, deinde in eadem aqua Lesnicha transit supra versus meridiem usque ad locum, ubi Bananpataka cadit in Lesnicha, ubi sunt duae metae terreae, et de Lesnicha faciens saltum, versus meridiem ascendit supra unum montem, Magosheg *(Magoshegy)* vocatum, ad unam lapideam metam, a qua descendens versus meridiem, de monte, cadit in aquam Dubnicha, ubi est una terrea meta, et de ipsa aqua faciens saltum versus meridiem, cadit in aquam Gilnich *(h. Gölnicz)*, ubi sunt duae terreae metae, et in eadem aqua Gilnich ascendens per magnum spatium, pervenit ad duas terreas metas, a quibus directo tramite transit ad Kassu deinde transit ad caput aquae Bela, descendens cadit in aquam Harnad, et in eadem aqua Hernad *(sic)* descendit ad primam metam, et ibi praedictae possessionis metae terminantur. Datum Sabbatho proximo post Octavas Purificationis Virginis gloriosae, Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Nos itaque ex tenore praescriptarum literarum dicti Capituli, fidelium nostrorum, super statutione dictae possessionis, dicto magistro Petro legitime facta, recepta hujusmodi veritate, consideratis fidelitatibus, et fidelium servitiorum meritis dicti Magistri Petri, quibus per dictum magistrum Wyllermum Dominum suum, nobis extitit laudabiliter commendatus, eandem possessionem cum omnibus suis utilitatibus, et pertinentiis universis, silvis videlicet et aliis de consilio Praelatorum et Baronum Regni nostri infrascriptorum, sub metis suprascriptis, ex certa scientia, eidem Petro, et per eum suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus dedimus, donavimus, et contulimus jure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam, pariter et habendam. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales, duplicis Sigilli nostri novi et authentici munimine roboratas. Datum per manus Discreti viri magistri Endre o) Albensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo nono. Tertio

o) Sive Andreas.

Idus Maji, Regni autem nostri, similiter vicesimo nono. Venerabilibus in Christro Patribus et Dominis: Fratre Ladislao Archi-Episcopo Colocensi, sede autem Strigoniensi vacante, Nicolao Jaurinensi, Georgio Sirminensi, Fratre Petro Bosnensi, Benedicto Chanadiensi, Ladislao Quinque-Ecclesiensi, Henrico Vesprimiensi, Andrea Transylvano, Chanadino Agriensi, Ladislao [d] Zagrabiensi, et Andrea Electo Varadiensi Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Joanne Palatino, et C. seu Judice Cumanorum [e] Demetrio Magistro Tavernicorum nostrorum C. Bachiensi, et Trenchiniensi, Paulo Judice Curiae nostrae, Thoma Vajwoda Transylvano et C. de Zonuk, Michaele Bano totius Sclavoniae, Joanne Bano de Machow C. Sirmiensi, Valkov, Bodrug, et de Baranya. Magistro Wilhelmo *(sic)* C. Scepusiensi et de Ujvár. [f] Joanne Magistro Tavernicorum Dominae Reginae Consortis nostrae charissimae, Deseő Judice curiae ejusdem, Stephano Judice Agazonum nostrorum, Dionysio Magistro Dapiferorum nostrorum, Nicolao Comite Posoniensi, alliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

LII.

Willermus Comes de Scepus et Ujwár scultetiam ad Castrum Lublo spectantem, cuidam Nicolao confert. Anno Dni 1329.

Ex autographo quod coram D. D. lustratoribus regni Poloniae in Arce Lublo Anno 1664, die 12 Martii productum est.

OMNIBUS Christi fidelibus, praesens scriptum inspecturis, Magister Villermus, Comes de Scepus et de Uywar salutem in omnium Salvatore. [g] Ne memoriae injurietur oblivio, et res gestae clarae praesentibus, obscurae non reddantur futuris, patrocinio literarum consuevit roborari. Proinde ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam harum

d) Sigismundus Terrarius P. II. l. 1. cap. XIII. refert, hunc Ladislaum in Episcopatu Zagrabiensi successisse B. Augustino, postquam ad Lucerinam Ecclesiam translatus fuisset.

e) Joannes hic Philippi Drugeth de Homona frater erat. eV. Vet. Catalogus Palatinorum Regni Hung. expositioni coincidit.

f) Hinc confirmatur, quod supra dictum est, Palatinatus videlicet dignitatem fere annue renovatam fuisse, siquidem et antedicto Joanni alter successit,

g) Idem Willermus, de quo plura, Anno 1334 Palatini dignitatem, quam Pater, Patruusque summa cum laude gesserant, obtinuit, quam tamen circa annum 1341 una cum muuere supremi Comitis Scepusiensis dimissit. Wagner. Anal. Scep. P. III. pag. 207.

serie literarum volumus pervenire: Quod nos scultetiam, quam Nicolaus de Luche cujusdam possessionis nostrae, Ewer vocatae, ad castrum nostrum Lublo vocatum, pertinentis, pro sua pecunia de Hanus priore sculteto nostro de eadem comparavit, eidem Nicolao cum omnibus utilitatibus et usibus suis, videlicet cum duabus curiis, quod vulgo Lan dicitur, cum molendino et brassatorio, ac cum omnibus, ad scultetiam pertinentibus concessimus, jure perpetuo in filios suorum filiorum possidendam, tenendam habendam, tali modo: Quod in territorio ipsius possessionis seu villae Ewer (*h. Nagy-Eőr*) vocatae, sexaginta curias, Lan vocatas vulgariter constituendi habeat facultatem. Addentes, quod quicunque ad eandem possessionem causa commorandi venerint, et in domibus seu aedificiis paratis descenderint, habentes terras arabiles puras et extirpatas, duorum annorum perfruantur libertate. Quicunque vero in vacua sessione descenderint, aedificia de novo extruxerint, et terras usui ipsorum sufficientes in silvis de novo extirpare laboraverint, sedecim annorum a die adventus plene computatorum, more consueto perfruantur libertate. Omnia autem jura seu consuetudines tam praedictus scultetus, quam sui successores ac etiam populi in praedicta possessione commorantes, plenarie habeant, sicut in Liblio *(h. Ó-Lubló)* vel in aliis nostris possessionibus, ad praedictum nostrum Liblio pertinentibus, est consuetum: et nos praemissa omnia inviolabiliter promisimus conservare. In cujus rei memoriam praesentes literas nostras privilegiales eidem Nicolao sculteto duximus concedendas. Datum in villa Liblio Feria quinta, proxima ante Festum Mariae Magdalenae, Anno Dni Millesimo trecentesimo vigesimo nono.

LIII.

Carolus, Hungariae Rex ordinat, ut Quintoforenses a solo terrestri ipsorum Judice judicentur. Anno Dni 1330.

Ex instantia 13 oppidanorum 1790 SS. et OO. Regni exhibita.

CAROLUS, Dei gratia Rex Hungariae, dilecto sibi et fideli Magistro Vilermo, Comiti Scepusiensi et de Ujwar, salutem et gratiam. Cives nostri fideles de Scepus, pro parte totius communitatis civitatum nostrarum Scepusiensium; ad nostrae Serenitatis accedentes praesentiam, conquesti extiterunt nostrae Majestati: Quod, quia concives et cohospites ipsorum de

Quintoforo, quod ad Sanctum Ladislaum [a] *(h. Csütörtökhely)* nuncupatur, quandam haereditatem seu particulam a nobilibus extraprovincialibus, erga censum cum auro persolvere debentibus, pretio comparassent, Vice-Castellanus (sive Vice-Comes) de Castro Scepusiensi eos judicio suo stare compelleret, contra formam libertatis eorundem. Unde cum iidem cives nostri privilegium nostrum, continens ipsorum libertates [b] Celsitudini nostrae exhibuerint, in cujus tenore inter cetera videramus expresse contineri, ut in omnibus et quibuslibet causis eosdem Judex ipsorum Terrestris (scil. Comes Saxonum) mediante nostro Comite deberet judicare: Volumus, et vestrae fidelitati firmiter praecipientes, mandamus per praesentes, quatenus pro eo, quod iidem hospites nostri de Quintoforo ipsam particulam a praedictis nobilibus extraneis pretio compararunt [c] per praedictum Castellanum vestrum Scepusiensem non permittat inquietari, contra praemissam libertatem eorundem. Nos enim ipsos fideles hospites nostros in libertatibus eorum inviolabiliter volumus conservare et aliter cum iis pro nostra declaratione non facturi. Datum in Wissegrad in Dominica Judica. Anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo.

LIV.

Joannes, Abbas Schawnikiensis Caroli et Andreae Regum privilegia ad instantiam Thomae, Canonici Scepusiensis resribit. Anno Dni 1330.

Ex genuino transumpto.

NOS Johannes, Abbas et Conventus Monasterii Virginis gloriosae, Ordinis Cisterciensis de Scepus, memoriae commendantes significamus, quibus expedit tenore praesentium universis: Quod discretus vir Dominus Thomas, Canonicus Ecclesiae beati Martini de Scepus, pro se et suis fratribus venerabilibus Capituli ejusdem Ecclesiae, ad nostram personaliter accedens praesentiam, exhibuit nobis privilegium Domini Caroli, Dei gratia Illustris Regis Hungariae, sub suo duplici sigillo, et tenore infrascripto confectum,

---

a) V. Suppl. Anal. P. I, 392—398. ubi simpliciter Villa S. Ladislai vocatur, et primo in Diplom. Caroli Regis de an. 1312 Quintoforum, seu Quintum forum ex eo, quod libertatem habuerit, singula hebdomada feria quinta forum suum celebrandi, scribi coepit. Bene vocatur exinde teutonico idiomate Donnersmarkt, slavico Štvrtok.

b) V. Diplom. 1312.

c) Item 1328.

nobis supplicando, ut idem privilegium sub nostri sigilli testimonio rescribi faceremus ad cautelam. Cujus quidem Privilegii tenor talis est:

Carolus, Rex Hungariae etc. V. Diplom. 1322. pag. 57.

Andreas, Rex Hungariae, etc. Suppl. Anal. Scep. I. pag. 363.

Nos itaque justis et legitimis praefati Domini Thomae petitionibus inclinati, videntesque praedictum privilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte vitiatum, de verbo ad verbum rescribi, et praesentibus inseri fecimus, nostroque sigillo consignari. Datum Feria secunda, proxima post Festum beati Johannis Baptistae. Anno Dni Millesimo trecentesimo tricesimo. (L. S. pend.)

LV.

Menhardus Plebanus de villa Svevi privilegiales super haereditate Chetena de novo curat rescribi. Anno Dni 1331.

Ex autographo capitulari.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus universis, quibus expedit, praesentium per tenorem: Quod accedentes ad nostram personaliter praesentiam discretus vir Dominus Menhardus, Plebanus de Villa Svevi *(h. Svábócz)*, exhibuit nobis quasdam literas privilegiales, petens nos cum instantia propter discrimina viarum et propter alia pericula, quae hominibus contingere possunt, ut easdem de verbo ad verbum rescribi faceremus. Cujus quidem privilegii tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini etc. V. Diplom. 1292 et 1308 pag. 17. 29.

Nos itaque petitiones praedicti Domini Menhardi Plebani de Villa Svevi, justas fore considerantes, et consonantes eorum juribus, videntesque idem privilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte vitiatum, sub testimonio nostri sigilli de novo rescribi fecimus, et cum pendentis sigilli nostri munimine roborari. Datum Feria quarta proxima ante Resurrectionem Domini, Anno Incarnationis ejusdem, Millesimo trecentesimo tricesimo primo.

LVI.

Carolus Hungariae Rex Capitulo Scepusiensi mandat, ut Szomolnokiensibus circumcirca terram duorum milliarium assignet. Anno Dni 1332/8. Produxit Wagner mance P. I. p. 200.

Ex autographo apud Szomolnokienses habito.

NOS Carolus Dei gratia Rex Hungariae, memoriae commendantes, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis. Quod cum nos Civitati nostrae Schmulnuchbanya vocatae [a] *(h. Szomolnokbánya)*, more aliarum civitatum nostrarum, eadem libertate fruentium [b] pro commoditatibus usibus, et utilitatibus Hospitum nostrorum universorum, in ipsa commorantium, et in futurum congregandorum in eadem, ex innata Regibus pietate, quae in multitudine populorum decoratur, et extollitur, terram ubique circum circa *(sic)* ipsam nostram Civitatem adjacentem, et quorumlibet possidentium et utentium, manibus titulo qualicunque au*ff*erentes et retrahentes, in spatio duorum milliarium ubique pergirando, perpetuo contulissemus, approbataque Regni nostri consuetudine requirente, fidelibus nostris, Capitulo videlicet Ecclesiae Scepusiensis, ut ipsi eorum mitterent hominem idoneum pro testimonio, coram quo Farkasius filius Foy de Vigman, famulus magistri Thomae, filii Petri Castellani de Csonkaku *(sic)* fidelis et familiaris, nostri vice, et nomine ejusdem Domini sui, homo noster, ad faciem praefatae Civitatis nostrae accedendo, vicinisque et co*m*etaneis eorum quibuslibet legitime convocatis, reambularet universum territorium ejusdem juxta latitudinem, seu spatium undique duorum milliarium, metas novas ubique erigendo, reambulationeque et separatione metarum ac vicinorum quorumlibet possessionibus factis, ipsum territorium praenominatis hospitibus nostris de eadem, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis, ipsum spatium terrae duorum milliarium contingentibus, contradictionibus quorumlibet obstare non valentibus, perpetuo possidendam; ita tamen, quod si quidcunque juris intra territorium dictae Civitatis se habere allegarent, eisdem ad edocendam nostram Celsitudinem de juribus ipsorum certum terminum assignarent, et Nos ipsis in aliis partibus Regni nostri terras, seu possessiones meliores vel pares ipsorum condigna recompensatione, per modum concambii de benignite Regia pro dictis terris eorum conferemus, scribentes dedissemus in

a) Suppl. Anal. P. I. pag. 209, 302, 331, et 453.
b) Saxonicarum scilicet in Scepusio.

mandatis, et demum totius facti seriem cum cursibus metarum nobis fideliter rescribere deberent. Tandem idem Capitulum fideles nostri, nobis rescripserunt in hunc modum :

Excellentissimo Domino suo Carolo Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus : Fidelitatis obsequium ad omnia genera mandatorum cum orationibus in Filio Virginis gloriosae. Literas vestrae Serenitatis honore, quo decuit, recepimus in haec verba :

Carolus Dei gratia Rex Hungariae fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Cum Nos Civitati nostrae Schmulnuchbanya vocatae, more aliarum civitatum nostrarum, eadem libertate fruentium, pro usibus et utilitatibus hospitum universorum in ipsa commorantium, terram ubique circum circa ipsam Civitatem nostram adjacentem, et quorumlibet possidentium et utentium titulo qualicunque manibus au*ff*erendo, et retrahendo, in spatio duorum milliarium undique pergirando duximus perpetuo conferendam, fiidelitati vestrae firmiter praecipientes, mandamus : quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Farkasius filius Foy de Vigman, famulus magnifici Thomae, filii Petri Castellani de Csonkak*y*, et de Gezthus, fidelis et familiaris, nostri vice et nomine ejusdem Domini sui, homo noster, ad faciem territorii praefatae Civitatis nostrae accedendo, vicinis et commetaneis quibuslibet legitime convocatis, reambulet territorium universum ejusdem juxta latitudinem seu spatium undique duorum milliarium, novas metas ubique erigendo ; reambulatione autem, et metarum separatione a possessionibus aliorum vicinorum factis, statuat ipsum universum territorium praenominatis hospitibus nostris, contradictoribus quibuslibet non obstantibus, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis ipsum spatium terrae duorum milliarium contingentibus, perpetuo possidendum. Si qui vero aliquid juris intra hujusmodi territorium Civitatis nostrae se habere allegaverint, eos ad edocendam nostram Majestatem de juribus ipsorum, certum terminum eisdem assignando, transmittat, ut ipsis in partibus aliis possessiones vel terras meliores, vel pares ipsorum possessionibus visis juribus, et rationibus eorundem evidentibus, recompensatione condigna per modum concambii, pro suis possessionibus de Regia benignitate conferamus. Et post haec totius facti seriem cum cursibus metarum nobis fideliter rescribatis. Datum in Wissegrad tertia Feria proxima post Dominicam Circumdederunt. Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo secundo.

Nos igitur Vestrae Serenitatis parendo mandatis ut tenemur, una cum homine vestro Farkassio, filio Foy de Wigman, transmisimus discretum virum Dominum Thomam, unum ex nobis hominem nostrum, ad hujusmodi reambulationis et statutionis negotium exequendum, Qui ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod accessissent ad faciem territorii Civitatis Schmulnuchbanya vocatae, et convocatis commetaneis et vicinis jam dicti territorii, ipsum in latitudine, seu spatio duorum milliarium undique circum circa praenominatam Civitatem Schmulnuchbanya reambularunt, idemque territorium metis distinxissent a territoriis vicinorum, ac metas erexerunt, et assignarunt infra scriptas. Prima meta terrea est in rivulo Pagonia *(sic)* vocato, qui rivulus vulgariter Mochildis *(sic)* dicitur, in loco ubi idem rivulus cadit in fluvium Bolda, et istum rivulum, qui Mochildis dicitur, protenditur sursum usque in scaturiginem sive in caput, haec est meta versus Jazou *(Jászó)*, deinde extenditur ad montem Kiskaku *(sic)* usque in caput, ubi est meta secunda terrea, et extunc vergit versus occidentem ad unum fluvium, qui fluit sub monte, qui dicitur Dirna, et ibi est meta terrea, et transiens fluvium Chirnich nuncupatum, qui fluit de Qverceto supra villam ibi adjacentem; et ab eo monte qui Dirna appellatur, protenditur usque ad Confragium, quod vulgariter Win*th*prech dicitur, quod ab illa parte montis Platani continetur, ubi via currum transit versus Krasznahor, et ab eodem confragio, quod Winthprech dicitur, protenditur usque ad montem Boum, qui O*ksh*enberg vulgariter nuncupatur, et ibi est meta terrea; et ab eodem monte vadit usque in Wag*ii*ndri*z*el *(h. Merény)*, ubi tangit fluvium Gylnich, et Wagiindrizel ad rivulum vadit, qui nominatur ad Svaidleres usque ad montem, qui dicitur Platanus, versus terram Scepusiensem ex illa parte fluvii, qui vulgariter Kupperbach appellatur, ubi iterum est meta terrea et ibi rivuli confluunt in spatio, quod Zunzel teutonice dicitur, quidem ad *Svaidleres* *(h. Svedlér)* nominatur, et de *Svaidleribus* circum verticem montis, sive deorsum in descendendo vadit usque in rivulum, qui appellatur purus rivulus, usque in caput, et idem purus rivulus, qui fluit per villam, quae dicitur ad Heremitam o) extunc extenditur ab eodem puro rivulo in rivulum Rugen, in loco, ubi cadit in Gylnichiam; et ex illa parte Gylnichiae habetur unus lapis, et ab eodem lapide protenditur sursum usque in caput, ubi est scaturigo, sive ortus illius fluvii, qui dicitur Pyonya *(sic)* sive fluvius Mechildis *(sic)* nominatur, et sic, ut dixerunt, reambulantes signaverunt metas terri-

o) Remete, h. Szepes-Remete, germ. Einsiedel, slav. Mnišek.

torii Civitatis *Schmulnuchbanya* memoratae, ipsumque signatum, praenominatus Farkassius, homo vester, coram Domino Thoma, homine nostro praedicto, statuerit, more libertatis aliarum civitatum, civibus saepe dictae Civitatis perpetuo possidendum; universis autem, quibus videtur irrogari injuria in praemissis, ad ipsis satisfaciendum Octavas beati Georgii Martyris proxime futuras remiserit, ad *v*estrae praesentiam Regiae Majestatis. Datum Feria tertia proxima post Dominicam, qua cantatur Reminiscere. Anno Domini Millesimo trecentensimo trigesimo secundo.

Nos siquidem ex praedicta rescriptione praefati Capituli Ecclesiae Scepusiensis, modo praetacto informati, cognoscentes, praefatum territorium, seu terram duorum milliarium circum circa undique juxta Civitatem habitum seu existens, absque medio aliquali pro eo, quia nullus Regnicolarum nostrorum, in ipsis Octavis beati Georgii Martyris, aut postmodum hucusque de suo jure nostram Majestatem edocuerunt, accessit, ad nostrum jus Regale pertinere ipsum territorium, seu terram sub metis et terminis praeassignatis eatenus, quatenus nostrae collationi de jure pertinere dignoscitur, et quemadmodum merita dictarum rescriptionum literarum suffragantur veritati, ipsi Civitati nostrae de Schmulnuchbanya, et per conseqens fidelibus hospitibus de eadem cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis perpetuo praesentium literarum patrocinio possidere et habere, confirmamus promittentes, ut dum praesentes nobis fuerint reportatae, in formam nostri Privilegii redigi faciemus. Datum Budae in Octavis beati Georgii Martyris Anno Millesimo trecentesimo trigesimo tertio. Et cum Nos adhuc secundario pro tranquiliori et utiliori commodo eorundem hospitum, et ampliatione dictae Civitatis nostrae Schmulnuchbanya invigilare intendentes specialiter quasdam possessiones, intra praedictas metas Civitatum nostrarum Schmulnuchbanya vocatarum existentes, videlicet tres, *Sveidler* vocatas, et unam Remet*h*e nuncupatam, earundem Civitatum nostrarum hospitibus per discretum virum Dnum Paulum Plebanum de Zeleus Capellanum, et hominem nostrum ad hoc specialiter transmissum, sub testimonio Capituli Ecclesiae Scepusiensis eidem Capitulo scribentes, statuere committendo, mandassemus. Tandem idem Capitulum super praemissis nobis rescripsit in haec verba:

Excellentissimo Domino suo Carolo, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, orationes in Domino perpetuas cum fidelitate. Literas *s*erenitatis Vestrae debita cum reverentia recepimus in haec verba:

Carolus Dei gratia Rex Hungariae [d]. Fidelibus suis Discretis viris, Capitulo Ecclesiae Sancti Martini Confessoris de Scepes, salutem et gratiam. Noverit Fidelitas Vestra, quod invigilantes super eo, ut montanae nostrae — Schmulnuchbanya et Gylnuchbanya [e] vocata, non destruantur, sed recuperentur possessiones infrascriptas, in metis ipsarum Montanarum existentes, videlicet: tres *Sveidler* vocatas, quae erant Nicolai et Georgii, filiorum Corradi *(sic)*, et filii Thomae, filii Franck, ac Laurentii filii Nicolai: item possessionem Remethe vocatum, quae erat similiter praedictorum Nicolai et Georgii filiorum Corradi, ac Laurentii filii Nicolai praenominati, eisdem Montanis seu Civitatibus nostris, jure perpetuo, et irrevocabiliter dedimus, donavimus et contulimus ex certa scientia. Assumpsimus autem praedictis nobilibus in concambium dictarum possessionum eorum, seu pro possessionibus suis dare possessiones tales, sicut decet, et convenit, prout consuetudo Regni nostri, ab antiquo approbata, exposcit et requirit. Quapropter fidelitati vestrae, firmiter praecipiendo, damus in mandatis, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo Paulus Plebanus de Zeleus, specialis Capellanus noster, homo noster, ad facies dictarum possessionum trium Sveidler et Remethe vocatarum, accedendo, convocatis vicinis et commetaneis eorundem universis, et praesentibus reambulet, easdem per veteres metas et antiquas, novas metas juxta veteres, ubi necesse fuerit, erigendo, reambulatasque cum omnibus utilitatibus earum, et pertinentiis universis, non obstantibus quorumlibet contradictionibus, eisdem Montanis seu Civitatibus nostris statuat perpetuo possidendas. Et post haec seriem ipsius reambulationis cum cursibus metarum nostrae Majestati fideliter rescribatis. Datum in Wissegrad, in Festo Nativitatis beati Johannis Baptistae. Anno Dni Millesimo trecentesimo trigesimo octavo.

Nos itaque praeceptis Celsitudinis Vestrae humiliter ut tenemur, obedientes, una cum praedicto Paulo Plebano de Zeleus, speciali Capellano et homine vestro, nostrum transmisimus hominem, unum ex nobis, virum idoneum, Dominum Becke, fratrem et Concanonicum nostrum, ad praemissa exequenda. Qui demum redeuntes, nobis concorditer retulerunt, quod in Octavis praedicti Festi Nativitatis beati Johannis Baptistae, proxime praeteriti, ad facies supra dictarum possessionum, videlicet trium Sveidler et Remethe vocatarum, vicinis et commetaneis, earundem universis convocatis et praesentibus, acce-

d) Wagner Anal. Scep. P. I. pag. 203. mance habet.

e) Gelnitz h. Gölniczbánya.

dendo, dictus Dnus Paulus homo vester, coram dicto Dno Becke homine nostro, reambulasset easdem per veteres metas et antiquas, reambulatasque cum omnibus utilitatibus earum, et pertinentiis suis, cum metis et limitibus suis eisdem Montanis, seu Civitatibus suis Schmulnuchbanya et Gylnuchbanya, absque quorumlibet contradictione, statuisset perpetuo possidendas, prout supra dicti Nicolaus et Georgius filii Corradi, et filius Thomae filii Franck, ac Laurentius filius Nicolai easdem possederunt. Datum Feria sexta, proxima post praedictas Octavas Festi Sancti Johannis Baptistae. Anno Domini praenotato

Itaque Nos petitionibus eorundem fidelium hospitum nostrorum tanquam juri consonis, Regiaeque commissioni condignis, prout praebendo auditum favorabiliter annuentes, tum praescriptas literas nostras patentes, super generali sequestratione dictae Civitatis confectas, tum etiam praeanotatas dicti Capituli Scepusiensis Ecclesiae literas, super legitima reambulatione et statutione praenotatarum trium possessionum *Sveidler*, et quartae *Remethe* vocatarum, ipsis Hospitibus nostris de Schmulnuchbanya factas, emanatas, et plenam earundem continentiam pro rato habentes et accepto, approbamus, et ipsis fidelibus Hospitibus nostris de Schmulnuchbanya, quoad eorum partem, et portionem devenire debentem, cum ipsarum quarumlibet juribus, utilitatibus et pertinentiis universis, simul cum quod libertatis articulo eorum, in aliis specialibus literis patentibus inserto, qui de verbo ad verbum talis est: Quod Hospites ejusdem Civitatis nostrae a modo ut antea singulis annis, in termino consueto, quem voluerint in medio ipsorum, more aliarum Civitatum nostrarum praedictarum, Judicem eligendi et suscipiendi, liberam et securam habeant facultatem; qui omnes causas emergendas, inter ipsos plena authoritate praesentibus eis concessa, juris ordine valeat terminare juxta cursus limitationis ejusdem praetactos, de consilio Praelatorum, et Baronum infra scriptorum, ex certa scientia praesentis scripti patrocinio pro eisdem nostris fidelibus Hospitibus, novi et autentici duplicis Sigilli nostri tertii appensione perpetue valituras, confirmamus. In cujus rei testimonium evidentius, et stabiliorem firmitatem, praesentes concessimus Privilegiales nostras literas, dicti duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis viri, Magistri Tatamerii, Albensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Octavo Calendas Junii, Anno Dni Millesimo trecentesimo trigesimo octavo. Regni autem nostri anno similiter XXXVIII-o Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Chanadio [f] Strigoniensi Archiepiscopo, Colocensi sede vacante, Ladislao

f) De Telegd, qui supra.

Quinque-Ecclesiensi, Andrea Transsilvano, Ladislao Zagrabiensi, Andrea Varadiensi, Nicolao Agriensi, Fratre Rodolfo Vaciensi, Jacobo Chanadiensi, Messkone g) Fratre Vito Nitriensi, Petro Sirmiensi, Laurentzio Bosnensi, Colomano Jauriensi, et Fratre Paulo Albensi de Nandor, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris: Willermo Drugeth, Palatino, et Judice Cumanorum, honore Tavernicatus nostri vacante, Thoma Waywoda Transylvano, et Comite de Zonouk, Paulo Judice curiae nostrae, Mychow, Paulo Magistro Tavernicorum Dominae Reginae, Consortis nostrae charissimae, Oliverio Judice curiae ejusdem, Dionysio Dapiferorum, et Stephano Agazonum nostrorum Magistris, ac Nicolao Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

LVII.

Casimirus Rex Poloniae confirmat Martino scultetiam in Szafflar, quam Zbigneus Praepositus Cracoviensis eidem donaverat Anno Dni 1334.

Ex autographo coram Galiciana commissione producto.

IN Christi nomine Amen. Quod magnifica Principum decrevit auctoritas, ratum et firmum debet permanere. Nos igitur Casimirus, Dei gratia Rex Poloniae notum fieri volumus, quibus expedit universis: Quod Martinus, scultetus noster de Szafflar, accedens ad praesentiam nostram, nobis humiliter supplicavit, ut privilegium scultetiae suae ibidem de Szafflar dignaremus confirmare; cujus privilegii tenor erat talis:

In Nomine Domini Amen. Cunctorum perit memoria, nisi servatis authenticis, et testimonio fide dignis literis acta legitime fuerint insignita. Nos igitur Zbigneus, Inclyti Regni Poloniae Cancellarius et Praepositus Cracoviensis, notum fieri volumus, quibus expedit universis: Quod consideratis fidelibus et inspectis servitiis, quae nobis Leopoldus, noster fidelis minister exhibuit, et in futurum praestante Domino se promisit impensurum, ubi valet de jure et honore eidem Lepoldo, et per ipsum suis legitimis successoribus scultetiam nostram in Szafflar quam emimus justa nostra pecunia, scientibus multis probis viris et honestis illius territorii cum libero molen-

---

g) Sive Miecaslao.

dino, taberna, duobus laneis, sexto denario census revindicati, et cum omnibus aliis juribus, quae ad jus Teutonicum Magdeburgense pertinere dinoscuntur, dedimus et tradidimus jure haereditario in perpetuum possidendam; nihil penitus juris in ipsa scultetia, prout alii sculteti ipsam possidebant pro nobis reservando. Dantes sibi plenam potestatem, dictam scultetiam cum universis juribus, quae in antiquo privilegio continentur, et prout ipsam alii sculteti possederunt, vendendi, tenendi, commutandi et donandi cui voluerit honesto tamen viro, qui ad hoc valuerit, pro lubitu suae voluntatis. In cujus rei testimonium praesentes literas sibi dari mandavimus, nostri sigilli munimine consignatas. Actum et datum in Cracovia, sub anno Dni Millesimo trecentesimo trigesimo quarto. In die beati Aegidii Confessoris. Testes hujus donationis sunt isti: Dnus Johannes Plebanus novae civitatis in Dunajecz, Dytko, Advocatus novae civitatis ibidem in Dunajecz, Nicolaus scultetus in Waxmund, Guntherus scultetus de antiquo Telonio, Leopoldus colonus ibidem de Szafflar et alii plures fide digni.

Nos igitur ipsius petitionibus inclinati, suprascriptum privilegium cum omnibus suis clausulis gratum et ratum habentes, sibi Martino et ipsius veris successoribus et haeredibus confirmamus. In cujus rei testimonium praesentibus nostrum sigillum duximus appendendum. Datum in Cracovia Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo quarto, in die Exaltationis Sanctae Crucis sub testimonio Domini Zbignei Cancellarii Cracoviensis.

LVIII.

Carolus Rex Hungariae Edustornya tangens privilegium confirmat. Anno Dni 1335.

Ex autographo Igloviae habito.

NOS Karolus, Dei gratia Rex Hungariae Memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Magister Nicolaus filius Simonis, Vice-Castellanus de Scepus et de Lyblow, fidelis noster, ad Serenitatis nostrae accedens praesentiam, quoddam privilegium nostrum, Sigillo nostro mediocri in partibus Transalpinis deperdito, consignatum, super collatione cujusdam terrae seu possessionis, Edustornya vocatae, in Comitatu Scepusiensi habitae, quondam Magistro Petro Gallico, filio ejusdem Simonis, fratri suo uterino Vice-Castellano dictorum Castrorum, pro ejusdem Magistri Petri praeclaris meritis per nostram Majestatem facta,

confectum, infrascripti tenoris nobis praesentavit; petens humili cum instantia, ut ad tuitionem suique juris conservationem tenorem ejusdem transcribi et transum*pt*i faciendo, appositione novi Sigilli nostri consignari facere dignaremur: Cujus privilegii tenor talis est:

Karolus, Dei gratia etc. V. Diplom. 1329. pag. 74.

Nos igitur justis petitionibus ipsius Magistri Nicolai, fratris condam dicti Petri Gallici, Regio cum favore inclinati, tenorem praetacti privilegii nostri de verbo ad verbum praesentibus transum*pt*endo, appositione nostri novi Sigilli consignavimus ad cautelam. Datum in Vissegrad in Festo beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

LIX.

Idem Rex (Carolus) magistro Ricolpho silvam Mussinafeő, ob praeclara merita perpetuo confert. Anno Domini 1337. *)

Ex autographo in tabulario fam. familiae Berzeviczy habito.

OMNIBUS Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris praesens scriptum inspecturis, Capitulum Ecclesiae Agriensis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: Quod Magister Ladislaus filius Ricolphi de Tarkő pro se et pro eodem Ricolpho Patre, et Laurentio fratribus suis, ad nostram personaliter accedendo praesentiam, exhibuit nobis literas Serenissimi Principis, ejusdem Domini nostri Regis Caroli, felicis recordationis, tenoris et continentiae infrascripti; petens nos humili precum instantia, ut nos ob majorem rei evidentiam et cautelam uberiorem, totam formam earundem, nostris literis privilegialibus inseri, nostroque sigillo autentico et pendenti communiri faceremus, quarum quidem literarum nobis exhibitarum tenor talis est:

Carolus Dei gratia Rex Hungariae etc. memoriae commendantes, tenore praesentium significamus universis quibus expedit: Quod accedens ad praesentiam nostrae Serenitatis Magister Ladislaus, filius nobilis viri Magistri Ricolphi, aulae nostrae miles strenuus, suo et praeattacti Magistri Ricolphi Patris sui, nec non Clementis et Laurentii fratrum suorum uterinorum fidelia servitia et praeclara merita, quae ipsi semper nostrae Majestati cum suprema fidelitate exhibuerunt, fideliter famulantes et studuerunt per ea se nobis efficere gratiosos, rememoratam silvam in confinio Polonorum in vi-

*) Conf. Wagner Dipl. Comitatus Sarosiensis. pag. 337.

cinitate silvae ipsorum, in Comitatu de Saarus a) supra quendam rivulum Mussinapatak existentem, Mussinafeő vocatam, ad nostram collationem pertinentem, a nobis sibi et dicto Patri suo, ac Johanni Clementi et Laurentio nec non aliis fratribus suis dari perpetuo et conferri postulavit. Nos autem eorum servitia laude digna memoria retinentes, volentesque eos Regiae dilectionis gratia prosequi, memoratam silvam et praedictum rivulum usque ad caput ipsius rivuli, ipsi magistro Ricolpho et eorum filiis quibuslibet supra nominatis, jure quo ad nostram collationem pertinere dinoscuntur *(sic)* aliorum juribus salvis in eisdem remanentibus, de Regia gratia perpetuo donantes contulimus. Datum in Vissegrad in Quindenis Epiphaniarum Domini, anno ejusdem Millesimo trecentesimo trigesimo septimo.

Nos igitur legitimis et congruis postulationibus eorundem magistri Ricolphi et filiorum suorum ac instantiae annuentes, praefatas literas Regales in nulla sua parte vitiatas, de verbo ad verbum transcribi, transcriptumque, earundem nostris literis privilegialibus inseri fecimus pro cautela supra dicta. In cujus rei testimonium perpetuamque stabilitatem praesentes contulimus sigilli nostri authentici et pendentis munimine roboratas, et Alphabeto intercisas. *) Praesentibus tamen Nicolao Praeposito, Joanne Lectore, Alexandro Cantore, Johanne Custode de Borsod, Davide de Zabolch, Petro de Heisses, Dominico de Basva, Andrea de Panlota, Georgio de Taucha Archidiaconis, et aliis multis in dicta Ecclesia nostra vitam ducentibus, et Deo

a) Sáros.

*) Singularem diplomatum speciem constituunt sic dicta Cyrographa, Kirographa. Veteribus siquidem moris erat, — dummodo diploma aliquod in pluribus iisque autenticis exemplaribus extradandum accideret, protographum in una eademque membrana pluries describendi, vacuumque spatium inter unum alterumque exemplar diplomatis in eadem membrana discripti intercedens litteris initialibus alphabeti signandi et explendi, litterasque has in medio forficibus vel alio instrumento dissecandi ita, ut sectione facta, dissectarum litterarum alphabeti equidem superior pars in inferiori parte unius exemplaris diplomatis, inferior vero pars litterarum in superiori parte alterius exemplaris diplomatis, appareret. Sic orta est haec c h a r t a r u m p a r i u m juxta Schwartner „chartarum pariclarum" species, quae in patriis documentis nomine „litterae alphabeto intercissae", vel „per modum alphabeti intercisae" insignita apud nos (in Hungaria) jam sec. XII. in usu occurit. Ordinarie tres primae litterae alphabeti A, B. C, occurrunt inter duo exemplaria diplomatis in una eademque membrana descripti: quamvis hinc inde in quibusdam cyrographis numerus litterarum nimis auctus existat, sic e. g. in I. Tom. operis „Monumenta Ecclesiae Strigoniensis" auctore Knauz pag. 193. sequentes novem. A, B, C, D, E, F, G, H, J, pag. 255. vero A, B, C, D, E, F, G, I, K, leguntur et T. II. Nro 90. Tab. V. A, B, C, de anno 1279. Nro 687. Tab. V. A, B, C, D, de anno 1310. etc. etc. Apud extraneos haud raro ipsum verbum „cyrographum" vel aliud signum ponebatur inter exemplaria et ratione habita sectionis cyrographa talia aut c h a r t a e p a r t i t a e, dummodo ad lineam rectam facta est sectio, aut „c h a r t a e i n d e n t a t a e, i n d e n t a t u r a", dummodo dentatim secabantur — audiunt. (Vide: Bevezetés a magyar oklevéltárba stb. Horvát Árpád. Budapest, 1880. 30. l.)

jugiter famulantibus. Datum in Festo Sancti Sylvestri Papae et Martyris, anno Dni Millesimo trecentesimo quadragesimo nono. Regnante Ludovico, Dei gratia Illustri Rege Hungariae, Strigoniensi et Colocensi sedibus am babus vacantibus a) et Dno nostro Venerabili Patre N. (Nicolao II.) Dei et sedis Apostolicae gratia Episcopo Agriensi existentibus.

LX.

Ludovicus I. Hungariae Rex, Podolinum ad statum liberarum civitatum evectum, a jurisdictione Comitum Parochialum et Castellanorum de Lublo eximit. Anno Dni 1343.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Lndovicus, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae etc. memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod Discretus vir, Dominus Petrus Plebanus Ecclesiae beatae Virginis de Podolino, et Ugrinus de eadem ad nostrae Serenitatis accedentes praesentiam, voce et nominibus eorundem hospitum fidelium nostrorum de eadem Podolino, nostram humiliter flagitarunt Majestatem, ut eosdem hospites nostros de Podolino a Judicio et jurisdictione Comitum Parochialium et Judicum Nobilium ac Castellanorum quorumlibet, specialiter Castellani de Libló *(Lubló)*, Regali pietate, ad instar aliarum Civitatum nostrarum Capitalium annumerantes, aggregantes et deputantes excipere, et eximere dignaremur. Nos itaque, qui ex innata Regibus pietate, cunctorum Nobis subjectorum petitiones admissione dignas, ad exauditionis gratiam admittere debemus, petitionibus eorundem fidelium Hospitum nostrorum de Podolino, nostrae Majestati per Dominum Plebanum et Ugrinum consocium eorundem porrectis, Regali pietate inclinati, eisdem Hospitibus nostris de Podolino fidelibus, duximus concedendum, ut ipsi ad instar aliarum Civitatum liberarum nostrarum Capitalium ex nostra annuentia gratulantes, de Judicio et Jurisdictione Comitum Parochialium, specialiter Castellani de Liblo penitus et per omnia exempti sint et habeantur. Itaque universis Comitibus Parochialibus et Judicibus Nobilium, specialiter Comitatus Scepusiensis et Castellanorum, et maxime Castellano de Liblo constitutis et in futurum constituendis, firmo Edicto Regio mandamus, quatenus dictos

a) Cum hoc Diploma referat isto anno ambas sedes, sive Strigoniensem et Colocensam vacasse; indubium exinde evadit, quod tam Chanadinus de Telegd Archi-Episcopos Strigon., quam Stephanus Colocensis hoc vel priore adhuc anno viam carnis ingressi fuerint. Cf. Nicol. Schmitth Compend. A.-Episc. Strigon. Tom. I. pag. 189.

*

Cives nostros et hospites fideles de Podolino, contra formam praemissae gratiae nostrae, eisdem per nostram Majestatem datae et concessae, in nullo perturbare et aggravare, vel quoquo modo graviter offendere pertimescant, facere non praesumant in praemissis.

Praesentes autem, cum Nobis reportatae fuerint, in formam nostri Privilegii redigi faciemus. Datum in Vissegrad in Octava Festi Paschae Domini. Anno ejusdem Millesimo trecentesimo quadragesimo tertio.

LXI.

Joannes filius Urbani, rectam possessionum suarum medietatem, in Villa Urban habitam, Jordano filio aeque Urbani, pro media octava marca grossorum denariorum Scepusiensium vendit. Anno 1343.

Ex genuino Capituli transumpto.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod Joanne filio Urbani, filii Urbani de villa Urbani, ab una parte, ac Jordano filio Urbani supra dicti, avi Joannis supradicti ab altera, in nostri personaliter constituti praesentia, idem Joannes oraculo vivae vocis est confessus: quod rectam medietatem possessionum suarum, in praedicta villa habitarum, ad ipsum jure haereditario et successionis pertinentium, cujus aliam medietatem juxta continentiam aliarum literarum nostrarum filiis Pauli filii Urban de eadem vendidisset, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis ac juribus, ad ipsum pertinere dinoscitur, praefato Jordano filio Urbani pro octava dimidia marca grossorum denariorum numeri Scepusiensis *) ab eodem plene habita et recepta, vendidisset, et vendidit coram nobis sibi ac per eum suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus jure perpetuo et irrevocabiliter pacifice et quiete possidendam, tenendam et habendam. Datum Feria sexta, proxima ante Festum Pentecostes. Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo tertio. (L. S. dorsaliter appressi.)

---

*) Marca (argenti gravis ponderis) Scepusiensis juxta antiguum in Hungaria vigentem computum continebat 48. sic dictos latos grossoss (v. Andreas Michnay und Paul Lichner. Ofner Stadtrecht etc. Pressburg, 1845. pag. 288). Unius lati grossi valor aequabat $7^1/_2$ denarium. Denarius aequivaluit hodiernis 6. crucigeris Austr. val. in Schedis bancalibus. Notandum tamen latum grossum communiter a 7. denariis computatum fuisse. (V. Salamon Ferencz. Budapest története. III. k. Budapest, 1885. pag. 85 etc. etc.)

LXII.

Literae Compositionales inter Paulum, Mathiam et Hank de Suchfalva, super habita terra in Pechunyae et villa Chanta. Anno Dni 1343.

Ex genuino capitulari transumpto.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod, cum juxta continentiam literarum magnifici viri Domini Nicolai Palatini et Judicis Cumanorum prorogatoriarum, Egidius filius Ladislai, et Paulus filius Michaëlis ab una, ac Mathias filius Detrici, et Hank filius Andreae de Suchfalva ex altera parte, in Octavis Festi beati Adriani confessoris sex probos viros communiter, pro arbitrio coram nobis adducere debuissent, et qui quidem ipsi arbitri una nobiscum visis partium instrumentis et literis causalibus arbitrarentur inter ipsas, eaedem partes acceptare, eo cum obligamine mediante, quod, si qua pars arbitrum hujusmodi non acceptaret, vel ad ipsum arbitrum non accederet, vel per suos arbitros arbitrium non faceret, contra partem ipsum arbitrum non acceptantem in decem marcis absque judiciaria convictione, ante litis ingressum persolvendis, convinceretur. Tandem ipsis Octavis advenientibus, eaedem partes suos arbitros, videlicet Laurentium filium Joannis, Gerardum filium Hanus[a] Hank filium Detrici, Ladislaum filium Petri, Nicolaum filium Laurentii, et Edusa filium Ambrosii communiter adduxerunt coram nobis. Qui quidem arbitri, visis instrumentis et literis causalibus earundem una nobiscum, maximeque literis privilegialibus nostris in Octavis Festi beati Joannis Baptistae, Anno Dni Millesimo trecentesimo tertio emanatis, in quibus reperiebatur, quod constituti coram nobis personaliter Pechk cum filiis suis Conrado, Ladislao et Oliverio, Folk cum filiis suis Matthaeo, Joanne et Folk, item Dobak, Pouka; Ladislaus et Blasius filii Chanta ex parte una, Detricus Balistarius ex altera; praefatus Pechk extitisset confessus; quod ex consensu et bona voluntate filiorum suorum Conradi, Ladislai et Oliverii antedictorum, tertiam partem suae Terrae duorum aratrorum Pechunyae[b] vocati, ipsum haereditarie contingentem, ac aliam tertiam partem ejusdem Terrae Pechunye, quam in Concambio pro quadam tertia parte Terrae duorum aratrorum in villa Chanta *(h. Csencsicz)*, in qua Terra quidem rivulus currit, Mortunpataka vocatus, sibi cedente affine suo Folk antedicto, obtinuisset, praedicto Detrico Balistario pro 42 marcis argenti, plene ab eodem habitis, vendidisset sibi, et suis haeredibus perpetuo possidendas. Cui quidem venditioni Folk cum

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 299.

b) Pechy-Ujfalu, h. Pécs-Ujfalu in comitatu Sárosiensi.

filiis suis antedictis, Dobak cum filio suo, Michaël, Pouka, Ladislaus et Blasius filii Chanta, consensum praebuissent, et assensum, obligassentque se idem Pechk cum filiis suis Conrado, Ladislao et Olyverio, quod quandocunque praefatum Detricum aut haeredes ipsius ratione praescriptae Terrae aggravare, seu impetere niteretur quispiam, ipse et iidem filii sui eos expedire tenerentur propriis laboribus et expensis; hoc adjecto, quod omnes literas, quas praedicti Pechk et Folk, ac filii Chanta super terra Pechunye praedicta confectas habere dinoscentur ad manus memorati Detrici resignassent, et si quas alias habuissent, cassas omnibusque viribus carituras, cum aliis, in crastino Festi beati Johannis Baptistae, anno Dni Millesimo trecentesimo decimo sexto emanatis, in quibus reperiebatur, quod constituti coram nobis personaliter Dobak cum filio suo Michaële, Pouk, Ladislao, Blasio filiis Chanta parte ab una, ac Detricus Balistarius parte ab altera, iidem Dobak et Michaël, Pouk, Ladislaus et Blasius confessi extitissent quod quandam possessionem, Pechunye vocatam, videlicet duorum aratrorum tertiae partis dimidiam, ipsos contingentem propter anni tunc ..... caristiam et sumptus necessarios, venditioni exposuisset, ac eandem Detrico praenotato pro undecim marcis fini argenti plene habitis ab eodem, cum omnibus utilitatibus vendidisset sibi et haeredibus suis perpetuo possidendam. Cui venditioni Matthaeus, Johannes et Folk, Pechk cum filiis suis Conrado, Ladislao et Olyverio, coram nobis consensum praebuissent, obligassentque se etiam iidem Dobak et Michaël Pouk, — Ladislaus, et Blasius ac suos Successores; quod quicunque demum Detricum aut suos haeredes, ratione praescriptae particulae possessionis atte*mp*tare, molestare seu impetere niteretur; ipsi et haeredes ipsorum ipsum Detricum et haeredes ipsius expedire tenerentur; hoc adjecto, quod omnes literas, quas saepedicti filii Chanta, filii Pechk, et filii Folk, super terra praefata confectas habere dinoscentur ad manus dicti Detrici resignassent, et si quas alias habuissent, et ubicunque exhiberent, cassae essent et inanes inter dictas partes, propter bonum pacis et dilectionis diuturnae volentibus partibus taliter arbitrati extitissent: quod supra dicti Egidius filius Ladislai, et Paulus filius Michaëlis, dictas portiones possessionarias, in dictis literis privilegialibus contentas, pro sexaginta tribus marcis .... terminis et sub poenis infra scriptis, videlicet die dominico proximo post diem mediae quadragesimae pro viginti una, ac die Dominica proxima post Festum Nativitatis Virginis gloriosae similiter pro viginti una, ac in Octavis Festi Sancti Martini Confessoris, terminis sese proxime subsequentibus, similiter pro viginti una marcis coram nobis, a

supra dictis Mathia et Hank redimere teneantur, tali vinculo mediante: Quod si primum terminum insolutum praeteriret, extunc cum suis proximis et consanguineis omnibus, quorum interest, coram nobis per eos adductis ipsas portiones possessionarias dictis Mathiaſ et Hank et suis haeredibus perpetuare deberent. Si vero secundum terminum in solvendo negligerent, extunc prima pecunia perdita fore censetur, et ut praescribitur, perpetuare easdem portiones ipsis teneantur; si vero tertium terminum solvere intermitterent, extunc primae pecuniae, prioribus duobus terminis solutae, similiter perditae censentur, et nihilominus easdem portiones eisdem, ut praemittitur, perpetuare tenentur. Ita tamen, quod si praedicti Paulus et Egidius, ut praemittitur, terminos solutionis negligerent, seu praeterirerent, ac ad ipsam perpetuationem faciendam, cum eorum proximis venire non curarent, extunc nostras literas perpetuatorias, non obstante eorundem absentia, nos eisdem Mathiae et Hank, suisque successoribus dare teneamur, hoc expresso: quod omnes literas, quas iidem Mathias et Hank qualitercunque super eisdem portionibus possessionariis confectas, habere dinoscerentur, earumque virtute easdem tenuissent hucusque, praecipueque dictas literas privilegiales, et eas, quas eaedem literae privilegiales ipsis dedisse nominant, ad manus communes in praevio termino suprascripto, dare teneantur; et si quas sibi reservarent, inanes prorsusque viribus cariturae habentur. Huic autem arbitro Blasius filius Chenta, et Stanislaus filius Pouk, coram nobis personaliter comparendo, suum benevolum consensum praebuerunt, pariter et assensum, vinculo se sponte submittentes eisdem; hoc non praetermisso, quod dicti Mathias et Hank sata hyemalia in dictis portionibus existentia, et sata aestivalia seu vernalia sere liberam habeant facultatem, et cum perceptione foeni ibidem provenientis, obtinere, rubetisque et indaginibus uti competenter, non tamen desolare. Datum in dictis Octavis beati Martini Confessoris. Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo tertio.

LXIII.

Ludovicus, Hungariae Rex ad supplices Andreae Quintoforensium praehabitas libertates confirmat. Anno Dni 1434.

Ex instantia oppidorum Scepusiensium. 1790.

NOS Ludovicus, Dei gratia Rex Hungariae, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Andreas a) filius Herbordi, civis de Sancto Ladislao, de Comitatu Scepusiensi, in sua et aliorum civium seu Hospitum universorum de eadem personis, ad nostrae Majestatis accedens praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas Serenissimi et Magnifici Principis Domini Caroli, quondam Inclyti Regis Hungariae, beatae memoriae nostri Genitoris carissimi, posteriori suo sigillo super libertatum praerogativis eorundem civium et Hospitum, per eundem Dominum Carolum, Patrem nostrum, concessis, eidem consignatas tenoris infrascripti, petens et supplicans Nobis in persona eorundem prece subjectiva, ut tenorem earundem de verbo ad verbum nostris patentibus literis inseri faciendo, easdem confirmare dignaremur: Quarum tenor talis est:

Nos Carolus, Dei gratia Rex Hungariae etc. Wagner P. I. pag. 201.

Igitur Nos supplicationibus praefati Andreae, Hospitis nostri de praefata villa Sancti Ladislai, sua et universorum cohospitum suorum in personis Nobis porrectis, favorabiliter inclinati, tenorem praescriptarum literarum Paternarum de verbo ad verbum praesentibus transponendo, praedictas libertatum eorundem praerogativas, prout per praefatum Dominum Carolum, Patrem nostrum carissimum, rite et legitime datae sunt, et collatae, praesentium patrocinio confirmamus. Praesentes autem, dum Nobis reportabuntur, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum in Vissegrad in Dominica Judica. Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

a) Idem certe fuerit, qui in sequenti Diplomate Comes Terraneus, seu Saxonum scribitur.

LXIV.

Andreas, Comes Saxonum, eidem Regi supplicat, ne certam terram a Quintoforensibus auferri patiatur.

Ex apographo edidit Wagner P. I. pag. 208. aliquantum mance.

SERENISSIMO Domino suo Ludovico, Illustri Regi Hungariae, fideles sui: Andreas, Comes Saxonum, Jurati, et universi Judices cum tota communitate hospitum de Cyps, tam debitum quam paratum servitium, ad omnia suae Majestatis Regiae beneplacita et mandata: Vestrae Regiae Majestati, quae nobis est spes et solatium speciale et refugium singulare, praesentibus innotescat, quod concives et amici nostri, vestri fideles populi de Sancto Ladislao *(h. Csötörtökhely)*, quandam terrae particulam, prope metas et limites eorundem, sitam . . . ad aestimationem quatuor aratrorum cum mensura Regali pro se et suis haeredibus rite et rationabiliter, emptionis titulo compararunt; de qua quidem particula cum auro singulis annis servierunt Vestrae Regiae Majestati, quod notorium nobis est, et porrectione nostrae fidei complectimur, et protestamur, quod terrae particula est ipsis populis de Sancto Ladislao privilegiis Regalibus tum Regum, et litera Capituli de Sancto Martino in Cyps *(h. Szepeshely)* confirmata; modo magister Thomas, Castellanus in Cyps *(arcis Scepus)* et vice-Comes *(comitatus Scepus)*, honorabilis viri Domini Thomae, magistri Thavernicorum Curiae vestrae, eandem Terrae particulam conatur, et nititur auferre alienareque a Vestris fidelibus de Sancto Ladislao, et suis usibus applicare, et in ipsam villam locare suo nomine, et fundare, in praejudicium irrecuperabile vestrorum fidelium et gravamen, et perpetuam loci ejusdem desolationem; quae terrae particula est melior omnibus haereditatibus dictorum populorum: quae si auferetur ab eis, dicta Civitas penitus destrueretur. Quapropter Vestrae Celsitudinis Magnificentiam precibus humillimis exoramus, quatenus divinae retributionis intuitu, et nostrae humilis petitionis respectu, praescripto Domino Thomae dare dignetur firmissimis in mandatis, quod memoratam terrae particulam populis de Sancto Ladislao relinquat liberam et salvam eo, quod dicti populi ipsam rite, et rationabiliter emptionis titulo compararunt, eosdem in suo jure, et libertate, quam habuerunt temporibus a primaevis, misericorditer conservantes; pro quo sortietur mercedem ab Altissimo copiosam, et a nostra parvitate gratiarum uberes actiones. (Dies et annus desideratur.)

LXV.

Ludovicus I. Rex, filiis Botiz et Marci liberam tribuit facultatem, in propriis eorundem possessionibus fodinas quaerendi, salvis juribus regalibus. Anno Dni 1344.

Ex autographo in tabulario fam. familiae Máriássy existente.

NOS Ludovicus, Dei gratia Rex Hungariae, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit, universis: Quod Magister Jacobus filius Nicolai, filii Botiz a), Nicolaus et Stanislaus filii Johannis, fratris ejusdem Botiz, et Marcus filius Stephani, filii Marc*us*, ad nostram accedentes praesentiam, significare Nobis oraculo vivae vocis curarunt, quod in possessionibus suis aurifodinae sperarentur inveniri; supplicantes super hoc nostro Culmini, ut si ipsae fodinae auri aut argenti possent inveniri aut jam inventae extitissent, extunc eosdem libertate Nobilium Regni nostri in quorum possessionibus montana habentur, permitteremus pacifice gaudere: Unde cum Nos antiquam et approbatam Regni nostri libertatem, Regia pietate, ex debito officio conservare velimus, ad humilem et instantem petitionem eorundem Magistrorum Jacobi, Nicolai, Stanislai et Marc*us* annuimus; ut ubicumque in possessionibus ipsorum, aut intra metas aliquarum possessionum suarum, fodinae auri vel argenti invenirentur, aut inventae extitissent, proventus nostros Urburales Nobis plene et integre, juxta consuetudinem montanam administrare debent: ipsi autem ea libertate, qua ceteri Nobiles Regni nostri, in quorum possessionibus montana habentur, gaudent, perpetuo gaudeant, et fruantur pacifice et quiete, ita quod tam Civitates montanisticas conservandi, quam et possidendi pro portionibus de nostris Urburis, videlicet tertiam partem accipiendi in terris ipsorum, modo praemisso, juxta libertatem Regni nostri jure montano liberam habeant facultatem: salvis tamen juribus nostris Regalibus, inibi remanentibus. Datum in partibus Transylvanis, in nostro descensu prope locum Berethlem vocatum, Sabbatho proximo post Festum beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

---

a) V. Supplem. Anal. P. I. pag. 98, 134, 290.

LXVI.

Idem Rex (Ludovicus I.) Capitulo Scepusiensi committit, ut pro parte Nicolai, Budensis Plebani, in Rokus et Nyrer metas reambulet. Anno Dni 1344.

Ex authographo in tabulario J. familiae Berzeviczy habito.

LUDOVICUS, Dei gratia Rex Hungariae, fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Dicit Nobis vir discretus, Nicolaus Plebanus beatae Mariae Virginis de Buda, qualiter quondam Comitis Andreae filii Polan [a] quaedam possessiones ipsius Rokus *(h. Rokusz)* et Nirer *(hung. Nagy-Eőr, germ. Nehre)* vocatae, in Comitatu de Scepus existentes, apud manus suas habitae, metarum reambulationibus et renovationibus, ac ab aliorum possessionibus separationibus et distinctionibus plurimum indigerent: super quo fidelitati vestrae firmiter praecipiendo committimus; quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente magister Jacobus filius Dionysii, Castellanus de Dunavicz (*h. Nedeczvár*), vel Nicolaus filius Ponka, altero absente, homo noster, ad facies praedictarum possessionum accedendo, vicinis et commetaneis suis legitime convocatis et praesentibus, reambulet ipsas per veras metas et antiquas, novas juxta veteres, ubi necesse fuerit, erigendo, reambulatasque et ab aliorum possessionibus separatas et distinctas, relinquat ipsas eidem eo jure, quo ad ipsum dinoscuntur pertinere, perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum: Contradictores vero, si qui fuerint, citet eosdem contra eundem ad nostram praesentiam ad terminum competentem. Et post haec diem et locum citationis, nomina citatorum et terminum assignatum, cum cursibus metarum Nobis fideliter rescribatis. Datum Budae Feria sexta, proxima post Octavas Festi beati Michaëlis Archangeli. Anno Dni Millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

LXVII.

Fassionales super divisione bonorum per J. familiam Görgő inita. Anno Dni 1347.

Ex autographo apud eosdem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit, universis: Quod constituti coram Nobis personaliter nobiles viri, Comes Andreas filius

a) V. Supplem. Anal. Pars. I. pag. 339. de Lomnicza (Nagy-Lomnicz) et Berzevicze (in comitatu Sárosiensi) praedicatum habens, cujus ante nominatus filius Nicolaus favore Regis Ludovici I. e Budensi Plebano in Praepositum Scepusiensem anno Christi 1347. evectus est. V. Wagner Anal. Scep. P. III. pag. 34 et paulum infra Diplom. LXXIII. videbimus, ab ipso praejudiciosum tribus Parochiis contractum initum esse.

Stephani de Gargow [a] cum filiis suis Johanne et Nicolao pro se, et Andrea filio ejusdem Comitis Andreae [b] parte ab una, ac Comes Arnoldus et Elias, filii Arnoldi [c] de eadem, similiter pro se, ac Johanne filio ejusdem Eliae [d] ac Johanne, filio ejusdem Arnoldi, in aetate tenera constitutis, ab altera, talem divisionem possessionariam, perpetuo in suas posteritates universas duraturam, se ipsos fecisse, sunt confessi: Quod possessio Nagy-Rép*a*s cum molendino secundum cursus metarum suarum, item quaedam montana, vulgariter Urbura vocata, in Igloháza [e] habita, cum universis utilitatibus et pertinentiis earundem cessissent, et cesserunt Comiti Andreae et filiis suis praenotatis; possessio vero *n*agy-Topor*ch* et Senewad *(h. Schönwald)*, et medietas Kis-Topor*ch* secundum metas et cursus earundem, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis earundem cessissent, et cesserunt Eliae et Arnoldo, et filiis eorum praenotatis. Item una linea villae, Új-Rép*a*s nuncupatae, a parte silvae versus septentrionem sitae, cum decem laneis terrae, et omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis, Eliae et Arnoldo, ac filiis ipsorum praedictis, hoc expresso: quod, quia dicta linea septentrionalis major et melior existit, ideo de inferiori parte ejusdem lineae tantum addere debet alteri lineae praedictae, quod una alteram in valore non excedat: Usus vero silvarum ipsis partibus sit communis; item molendinum in eadem Új-Rép*a*s situm, eidem Eliae et Arnoldo, et filiis eorum debeant remanere cum medietate molendini, infra ipsam villam habiti, cum utilitatibus ipsorum universis: reliqua medietate ejusdem molendini, Andreae et filiis suis praenotatis remanente. Hoc adjecto, quod neutra partium possit quempiam suorum Jobbagyonorum, in alterutrum molendinorum praemissorum, compellere ad molendum, sed omnes liberam facultatem habeant molendi, in quocunque voluerint molendinorum praemissorum, ne quisquam possit aliud molendinum in metis villarum earundem, absque communi consensu partium construere praedictarum; obligaruntque se mutuo partes praedictae, quod, si unquam processu temporum, quod absit, dicta Possessio Új-Rép*a*s, in parte vel in toto ab aliquo repeteretur, et tunc ipsae partes communibus expensis illam tenentur defendere. Et si quid detrimenti altera partium in ipsa perciperet juris ordine, vel vis illatione, eotum altera partium sibi tantundem de sua

a) V. superius Dipl. nro XX. pag. 26.
b) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 223, 339.
c) Ibidem pag. 79.
d) Ibidem pag. 193.
e) Lat. Iglovia, hung. Igló.

portione, ibidem habita, reddere teneretur: reliquas vero haereditates quaelibet partium suis laboribus et expensis teneatur defensare. Possessiones vero in Gargow praedictas, et in monte, vulgariter Hegy *(sic)* dicto, habitas, quaelibet partium, prout antea possedit, in antea possidebit.[f] Praeterea Curiam Comitis Jordani[g] et pratum, Bolle vocatum, in metis Tout-Gargow *(Tót-Görgő)*, et molendinum in Gargow[h] supra dicta, quae dictis Eliae et Arnoldo, et filiis eorum cesserunt, habenda cum media Curia, in qua nunc Arnoldus de eadem commoratur, quae est vicina Campanatori, quae cessit Andreae et filiis suis praenotatis. Terras vero alias arabiles cultas et incultas, prata et Jobagiones eaedem partes sicut prius possidebunt. Haereditates vero quaslibet per eundem Comitem Andream alienatas, obligatas, vel amissas, idem Andreas vel sui haeredes duntaxat habeant facultatem requirendi. Assumpserunt partes etiam praedictae praedictos filios suos, cum ad annos quindecim pervenerint, coram nobis adducere, ad ratificandum et roborandum seu perpetuandum nostris literis mediantibus omnia et singula supra dicta. Et ne ipsis Partibus praemissa retractandi ulla occasio relinquatur, mutuo se obligarunt, quod si unquam aliquis eorum ipsam divisionem et ordinationem seu concordiam infringere attentaverit, parti alteri, ipsam ratam servanti, trecentas marcas fini argenti, absque portione judiciaria deponere teneatur, eo ipso, omnes insuper literas divisionales, prius inter eorum Praedecessores emanatas, cassas et inanes dimittentes. Praesentes, cum nobis reportatae fuerint, in formam nostri Privilegii redigemus. Datum in die Conversionis Sancti Pauli Apostoli. Anno Dni Millesimo tercentesimo quadragesimo septimo.

LXVIII.

Wolmarus Plebanus Quintoforensis per modum testamenti fatetur, quae, qualiave adfiliata eidem Ecclesiae loca, praestare teneantur. Anno Dni 1349.

Ex autographo apud Quintoforensem Ecclesiam habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Honorabilis vir, Dominus Wolmarus, Plebanus Ecclesiae beati Regis

f) Id est: in perpetuum, qui terminus frequenter in Diplomatibus pro eo sumitur.
g) Fuit is etiam XXIV. Regalium Scepusii civitatum Comes, vulgo Landgraffius dictus.
h) Nullum hodie ibidem existit.

Ladislai de Quintoforo *(Csötörtökhely)*, Strigoniensis Diaconus [a] coram nobis personaliter constitutus, deposuit in hunc modum. Cum Mundi conditio sit caduca, et nunquam in eodem statu permanens; itaque hominis caligine oblivionis circumsepta, et caducitate mortalitatis obruta, non valeat, neque possit, praesertim in contractibus inter Ecclesias, in augmentum Cultus nominis Divini, sunt legata, sine testimonio scripturae authenticae posteris, seu Successoribus suis memoriae commendare. Eapropter ego Wolmarus, Plebanus Ecclesiae beati Regis Ladislai de Quintoforo, Strigoniensis Diaconus, coram vobis Honorabilibus viris Reverendis Capituli Ecclesiae Scepusiensis confiteor, et significo, debita Ecclesiae meae, in et Successoribus meis Plebanis, ex parte ordinationis et conscriptionis, inter Ecclesiam meam praedictam, ac Ecclesias seu Capellas filiales Ecclesiae meae subjectas, praetextu filiationis factae, debentia; et Testamenta, Legata, eidem Ecclesiae meae perpetuo, ut infra, et ut post decessum meum Ecclesia mea, et sui Ministri per nefarios homines et inimicos Ecclesiae Dei, ac detractores Patrimonii Christi non frustretur debito et Testamento; pradictis supplico Vobis, qualiter attente, Vos ipsa debita et Testamenta dignemini facere rescribi, sub testimonio Sigilli vestri, ob perpetuam memoriam praemissorum. Forma autem debiti et Testamenti praenotati haec est. Hospites de Villa Thomae *(h. Tamásfalu)* in Festo Sancti Martini Confessoris *(11-a Novembris)* annis singulis Plebanis Ecclesiae meae de dicto Quintoforo dare sunt obligati unam dimidiam grossorum et eidem Ecclesiae meae tria talenta*) cerae. Item Nobiles [b] de Bethlenfalva, in Festo Purificationis *(2-a Februarii)*, similiter annis singulis medium numerum grossorum Plebanis, et duo talenta cerae Ecclesiae Sancti Ladislai praedictae. Item Universitates Villae Scevnik *(h. Schavnik)* in Festo Paschae Domini, similiter annis singulis, medium numerum grossorum, et Ecclesiae Sancti Ladislai talenta **) cerae, vel unum

---

a) Quia inferius dicitur: „Plebanis Ecclesiae meae de dicto Quintoforo dare sunt obligati" ideo censeo, Wolmarum istum Strigoniensem Archi-Diaconum fuisse, cui Plebani Quintoforenses ea tempestate ita, quemadmodum Krompachienses, Praeposito eotum Budensi de Viridi Campo Strigoniensi, aut Olaszienses ipsi Archiepiscopo subjecti, nec non ab omni Scepusiensium Praepositorum subjectione exempti fuerant.

*) Talentum, centum libras, quiquaginta libras, seu etiam libram et marcam interdum significat. (Vide: Lexicon manuale ad scriptores mediae et infimae latinitatis etc. auctore L'Abbé Migne etc. Parisiis, 1858. pag. 2163). In quaestionato documento abs dubio librae intelligendae sunt.

b) Non igitur ab omni onere in Scepusio liberi, quia obligati ad specificata fuisse, diserte scribuntur.

**) Quot talenta cerae? in documento expresse non occurrit, ast Rupp 8. talentorum facit mentionem.

Stone *) grossorum. Item Incolae de Vidernik pro Plebanis Ecclesiae Sancti Ladislai, ementes duo jugera terrae arabiles in Territorio Quintofori . . . . . perpetuo eisdem, et in Festo Sancti Michaelis Archangeli Ecclesiae eidem solvere tenentur annis singulis duo talenta cerae. Item populi de Gulta **) apud Sanctum Andream c) in Festo Purificationis, Plebanis medium numerum grossorum solvere, et in Festo Sancti Ladislai Ecclesiae suae candelam, et sex talenta cerae praestare annis singulis tenentur. Item Communitas Villae Marsini d) ***) Plebanis medium numerum grossorum, et Ecclesiae tria talenta cerae, in die mediae Quadragesimae dare sunt obligati. Et Hospites de Villa Vulmani (alibi lego Bulmani) in Festo Sancti Joannis Baptistae, et in Festo Nativitatis Christi annis singulis Plebanis quartum dimidium Stone, et Ecclesiae tria talenta cerae tenentur. Item populi de Pikfalva e) in media Quadragesimae viginti sex grossos Plebanis, et Ecclesiae duo talenta cerae, ac Hospites de Vilkfalva f) in media Quadragesimae alterum dimidium Stone Plebano, et Ecclesiae duo talenta cerae, semper annis singulis dare et solvere tenentur indilate et absque retardatione ac subterfugio aliquali. Item Hench-

*) Relate ad vocem „Stone“ hocce in documento pluries occurrentem, ne forte ex male intellecta vocis hujus significatione difficultas quaedam oriri videatur, necessariam duximus provocationem ad opus celebris auctoris Jacobi Rupp „Magyarország Helyrajzi története“ intitulatum. Hic enim in citati operis parte terram Scepus attingente, transumptis datis ex Act. Jesuit. Scepus. fasc. 7. Nro 8. hoc idem documentum, quamvis in fracto in hungarica versione adducit, et vocem „Stone“ cum „ferto“-ne genere numorum illius temporis 12 grossos, juxta nostrum circa 5 fl. Austr. val. efficiente traducit. Ferto siquidem 12 = grossis, 1 grossus = $7^1/_2$ denaris; 1 denarion = 5—6 xris in moneta Austr. val.; denique IV fertones efficiebant 1 marcam. (Vide: Szepesvármegye a Mohácsi vész előtt Hradszky Józseftől. Szepes-Váralján, 1888. 74, 76 és 77 ll.)

Haud improbabilis opinio, descriptorem documenti errorem incurrisse, scribendo „stone“ pro „ferto“-ne. Alludendum etiam censemus vocem „ferto“ certam pecuniae summam a sacerdote Ecclesiae legandam significare. — Notandum adhuc vocem „stone“ in lingua anglica lapidem et pondus 14. librarum significare: ast explicatio talis hic locum obtinere non potest. Putemus igitur, auctoris (Rupp) memorati sententiam utpote contextui apprime congruentem, esse assumendam.

**) Gulta. Fors „Sulta“ (h. Hozelecz) possessio in Scepus — quae ratione habita et loci et contextus optime quadrat. (Confer: nomenclationes locorum terram Scepus attingentium, prouti haec decursu saeculorum, pro diversitate temporis in usu fuerint, apud Hradszky József. Szepesvármegye Helységnevei. Lőcsén, 1887. pag. 70.)

c) Forte sub nomine Gulta bene intelligeretur hodiernum praedium Komarow dictum, quod possessioni S. Andreae prorsus vicinum est. (Ita Schmauk).

d) Nefors Marsilii curia, de qua supra in Diplomatae XXX. sub t. pag. 41. mentio est, hic intelligitur.

***) Marsini — verosimiliter villa Marsily, hodie Machalfalu. (Confer: Szepesi Emlékkönyv a magyar orvosok és természetvizsgálók 1888. aug. 23—28-án Tátrafüreden tartott XXIV. vándorgyülésének alkalmából szerkesztették: Dr. Demkó Kálmán, lőcsei főreálisk. tanár; Dr. Roth Samu, lőcsei főreálisk. igazgató; Sváby Frigyes, Szepesvárm. levéltárnoka. Császka György, szepesi püspök úr ő nagyméltósága költségén nyomatott. Szepesváralján, 1888. 323. l.)

e) Seu Pikócz, hodie Filialis ad Matrem Ecclesiam Abrahamfalvensem spectans, et ab ea $^1/_2$ hora distans.

f) Seu Vilkócz, hodie ad Ecclesiam Durandensem spectans Filia.

manus de Villa Sagittarii *) tria jugera terrae suae arabilis, relicta *(vidua)* Friderici, unum pratum retro Ecclesiam Sancti Ladislai, et unum jugerum, sub monte patibuli situatum. Domina Coldus relicta Theodori filii Coblini, unum jugerum terae, retro proximum lapidem; uxor vero Coblini filii Ceslini, Euphrosina vocata, unum jugerum contra Villam Machal *(h. Mahalfalu)*, intra metas dicti Quintofori adjacentem: Item Joannes Judex unum Macellum seu Sedem, in qua carnes vendunt, et aliam Sedem similiter Tilmanus, filius Volqvini, in dicto Quintoforo, ac Domina Gertrudis relicta Lodomiri, Curiam suam, contra Kismanum sitam, Plebanis Ecclesiae Sancti Ladislai praedictae, pro Missa beatae Virginis in Ara sua, in dicta Ecclesia Sancti Ladislai, in perpetuum diebus singulis legi consueta, et legenda, in perpetuum legassent, et donassent libere et absque aliqua conditione. Nos igitur annuentes, allegationes dicti Domini Wolmari fore rationi consonas et legitimas, et supplicationes ipsius justas, praedictum debitum et testamentum superius conscriptum, juxta relationem ipsius, praesentibus fideliter conscribi mandavimus, et ob perpetuam memoriam conscriptorum, praesentibus nostrum sigillum apponi. Datum Feria secunda proxima post Idus Festi Sancti Michaelis Archangeli. Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo nono. (L. S. P.)

LXIX.

Fassio perennalis Dominae Margith filiae Kosa, filii Detrici de villa Canis, intuitu haereditariae possessionis suae in Micheleth habitae ac venditae. Anno Dni 1351.

Ex apographo.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus. Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, notitiam praesentium habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporaliter scripturae patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Domina Margith filia Kosa, filii Detrici de Villa Canis [a] *(h. Hunfalu)* relicta Nicolai filii Henrici, filii Nicolai de Micheleth [b] *(h. Mecsedelfalu)* nunc consors Mathaei Hench

*) Sagittarii — a quibus possessio dicta „Schützendorf“ nomen accepit, erant milites tormenta (balistas) fabricantes et in oppugnandis arcibus illa tractantes.

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 69. n. 50.

b) Ibidem pag. 73. not. 39.

de Pyukfalva *(h. Pikócz)* et idem Matthaeus ab una, ac Paulus filius Nicolai antedicti, frater Henrici annotati, parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, eadem Dna Margith, et Matthaeus maritus suus sunt confessi ministerio vivae vocis: quod universas possessionarias portiones intra cursus metarum possessionis, ad dictum Nicolaum filium Henrici, priorem consortem ipsius Dominae, et ipso Nicolao de medio sublato, jure et secundum praerogativam libertatis connobilium eorundem Henrici, Nicolai et Pauli, ad ipsam Dnam Margith devolutas, haereditarias scilicet et emptitias, cum literalibus instrumentis, super eadem possessionaria emptione confectis, ac Curia et aedificiis, super eadem habitis, nec non omnibus et singulis suis juribus, utilitatibus et pertinentiis, quibus praedicti Henricus, Nicolausque filius suus ac Domina praedicta hucusque ipsas tenuisse dignoscuntur et habuisse, praedicto Paulo filio Nicolai de eadem Micheleth pro viginti marcis grossorum denariorum numeri Scepusiensis, ab eodem plene habitis et receptis vendidissent, et vendiderunt coram nobis, sibi, et per eum haeredibus, haeredumque suorum successoribus, jure perpetuo et irrevocabiliter pacifice et quiete possidendas, tenendas et habendas; nihil juris, nihil dominii, nihilque proprietatis sibi et suis successoribus reservando penitus in eisdem. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesens nostrum concessimus Privilegium, pendentis sigilli nostri munimine roboratum. Datum in Festo Exaltationis Sanctae Crucis. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo.

LXX.

Hermanus de Sperndorff possessionem suam eidem universitati pro 40. marcis grossorum denariorum Scepusiensium vendit. Anno 1351.

Ex autographo ibidem habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus. Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporaliter scripturarum patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Hermanus filius Jordani de Sperndorff[a] *(h. Illésfalva)* de Comitatu Scepus, in nostri perso-

a) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 96, 106.

naliter constitutus praesentia, extitit confessus testimonio vivae vocis; Quod Possessionem suam, videlicet totam unius aratri Regalis Mensurae citra continentem, intra metas infra scriptas adjacentem, de qua tamen Nobilibus Auridatoribus unum Lothonem auri, ac Dno nostro Praeposito, ratione Decimarum, ut dicebat, unum florenum annis singulis solvere fuisset consuetus et obligatus, cum omnibus suis libertatibus utilitatibus et pertinentiis universis, Universitati Civium seu hospitum de dicta Sperndorff, pro quadraginta marcis grossorum denariorum numeri Scepusiensis, ab eisdem plene habitis et perceptis vendidisset et vendidit coram nobis ipsis, et per eos haeredibus ipsorum, haeredumque suorum successoribus, jure perpetuo et irrevocabiliter pacifice et quiete possidendam, tenendam, pariter et habendam; nil juris penitus sibi et suis posteris reservando in eadem in futurum. Cui quidem venditioni Dna Elisabeth filia, et Styna neptis ejusdem Hermanni, nec non Olus filia magni Arnoldi [b] atque Judex de Krumpach ac Catharina nepos, et neptis dicti magni Arnoldi, coram nobis personaliter comparentes, consensum praebuerunt, benevolum et assensum, omni juri suo, quot in eadem terra habuerunt, renunciando. Insuper idem Hermannus filius Jordani, eosdem Hospites seu cives, ac ipsorum haeredes, ratione praedictae terrae, ab omnibus et singulis impetitoribus, et specialiter proximis et consanguineis suis, et praenominati magni Arnoldi, quovis nomine censeantur, assumsit laboribus propriis et expensis expedire, et in Dominio ejusdem terrae conservare. Cursus vero metarum, eandem terram circumquaque limitantium, prout partes praedictae nobis recitarunt, hoc ordine distingverentur. Prima inciperet a parte orientali in una terrea meta, inter terram praedictam, et possessiones dictorum civium erecta, et dehinc tenderet versus meridiem ad metas possessionis magni Arnoldi *(Arnótfalu)* ante dicti. Inde currens ad occidentem, perveniret ad terram Gerlaci, quam cives de Sancto Ladislao possiderent, ubi esset una terrea meta erecta; et abinde transiret ad metas possessionis, Michelethfalva *(Mecsedelfalu)* vocatae, ad unam terream metam, et sic metae terminarentur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis nostri sigilli munimine roboratas. Datum Feria sexta proxima ante Festum Pentecostes. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo.

---

b) V. Suppl. Anal. P. I. pag. 79.

LXXI.

Ludovicus Hungariae Rex. Lubloviensibus singularia impertitur privilegia, eorumque villam in civitatem evehit. Anno Dni 1352.

Ex autographo apud eosdem habito.

LUDOVICUS [a] Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, Honoris et Montis Sancti Angeli Dominus. [b] Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Favorabilis petitio supplicantium devotorum debet consequi effectum, in his praecipue, quae Regia Celsitudo suorum subditorum commodis utilia fore cognoverit et oportuna. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; Quod Nos attendentes Regis gloriam in subjectorum multitudine delectari, ut ab ipsis, sub certa lege fruentibus, utilitatis materia et honoris proveniat incrementum. Ad humilem instantiam fidelium civium et Hospitum nostrorum de Lublau (*Ó-Lubló*) ipsis, et eorum posteris eandem libertatem et legem, quibus cives nostri Cassenses [c] fruuntur, concedentes, Villam ipsam nostram *Luibliow*, ab eodem Castro sequestratam, in collegium et catervam aliarum Civitatum nostrarum duximus annectendam, et aggregandam, ita videlicet, quod Judicem, quem inter se unanimi voto, et pari voluntate eligere voluerint, liberam eligendi habeant facultatem, qui omnes causas, inter se emergentes, et praecipue in causis videlicet sanguinis, furti, facti potentialiter et incendii, non pro Castellano nostro de Lubliow reservatis, sed Judex una cum Juratis, pro tempore constitutis, judicabit. Collectam autem eorum taliter decernimus moderandam seu limitandam, ut ipsi et eorum successores annis singulis centum et viginti florenos, in tribus terminis subsequentibus, scilicet in Festo Nativitatis Christi quadraginta florenos, et in Festo Sancti Georgii Martyris similiter quadraginta florenos, et in Festo Sancti Jacobi Apostoli eodem modo florenos quadraginta de tota eorum Communitate Nostrae solvere teneantur Majestati; hisque persolutis ipsi ab omni servitio et jurisdictione tam civitatis Podolin, quam dicti Castri nostri, ac Castellanorum, pro tem-

a) Julii 16 Carolo patre suo vitam cum Regni Sceptro ponente, ipse die 22-a ejusdem per Metropolitam Chanadinum corona incinctus est.

b) Videlicet Gargani Montis, in Apulia siti.

c) Seu Cassovienses.

*

pore constitutorum, absoluti habeantur et exempti, exceptis molendinis, quae pro usu et conservatione dicti castri nostri, censemus fore conservanda: annuimusque insuper eisdem, ut in aquis inter metas territorii dictae civitatis piscandi habeant facultatem omni die, sine impedimento dictorum Castellanorum. Item concedimus etiam liberam tabernam propinandi vini pro usu et voto illorum. Concedimus etiam ipsis fidelibus civibus nostris, ut de rebus, eorum, in dictam civitatem nostram importantibus, et venditioni ibidem exponentibus, nullum tributum persolvant, sed de rebus exportantibus de eisdem tributum, et tricesimam solvant more consueto. Hoc etiam non praetermisso, ut, dum numerus dictorum populorum auctus fuerit, et multiplicabitur, collectam nostram Regalem, juxta ipsorum populorum excrescentiam, non tenebuntur censum augmentare. Item metae Civitatis ita distingvuntur: Prima incipit in monte qui vocatur Timnicz; ab eodem monte descendendo directe per fundum usque ad fluvium Poprad, ubi ex alia parte Poprad veniret aqua Limpnik *(Lipnik)*; in eodem Limpnik ascendendo versus plagam septentrionalem usque, ubi terminarentur metae villarum Kniszen *(Gnezda)*, Lapidis (*h. Kamjonka*), et Jerubinae (*h. Jarembina*). Abinde vertendo se ad manum dextram versus plagam orientalem directe usque ad ripam, quae veniret de villa Jerubina; in eadem ascendendo usque ad parvum rivulum, qui venit a parte dextra; in eodem rivulo ascendendo per modicum spatium inclinando se ad manum sinistram, ascendendo per silvam usque ad planitiem campi, ubi est fons scaturiens. Ab eodem fonte directe ad terram aquosam rubeam, tandem directe per montem et silvam usque ad caput rivi Krempach (*Lubló-Krempach*) a tergo tabernae; abinde per silvam in vertice ad spatium duorum milliarium versus plagam septentrionalem, quo veniret, ubi directe descenderet ad praefatum fluvium Poprad circa Hieremitam (*h. Mnisek*), ascendendo continuo in praefato fluvio, et veniret ad ripam vocatam Zalain (*h. Szulin*); ascendendo directe in eadem ripa usque ad verticem montis Platani; ex opposito Castri descendendo directe, ubi incipit aqua Forellenseiffen, ubi incipit meta cum Villa Heichen (*rectius Hainchen, h. Szadek*); descendendo in eodem rivulo usque ad planitiem, postponendo rivulum, vertendo se ad sinistram manum, ascendendo usque ad verticem montis, ubi terminantur metae villarum Hophgarten (*h. Hobgarten*), et Neulublow (*Uj-Lubló*): abinde directe usque ad montem Timnich. Sic distinguuntur metae Civitatis nostrae Lublow. In cujus memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas, nostras privilegiales, pendentis et authentici Sigilli nostri novi duplicis munimine roboratas. Datum per manus

Venerabilis in Christo Patris Dni Nicolai [a] Archiepiscopi Strigoniensis, Loci ejusdem Comitis perpetui. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, in Festo Jacobi et Philippi Apostolorum, Regni autem nostri primo. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Ugolino Spalatensi, Nicolao Jadrensi, et Elia Ragusiensi Archiepiscopis. Demetrio Varadiensi, Dominico Transsylvano, Colomanno Jauriensi, Joanne Vesprimiensi, Stephano Zagrabiensi, Regnique Slavoniae Vicario Generali, Wilhelmo Quinque Ecclesiensi, Dominico Chanadiensi, Nicolao Agriensi, Johanne Vaciensi, Petro Bosnensi, Fratre Stephano Nitriensi, Demetrio electo Sirmiensi, confirmato Demetrio Nonensi, Nicolao Traguriensi, Stephano Farensi, Valentino Makariensi, Matthaeo Sibicensi, Michaele Scardonensi, et Portina Camerensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Tinniniensi et Corbaviensi Sedibus vacantibus. Magnificis viris: Nicolao Kont Palatino, Dionysio Wajwoda Transsylvano, Comite Stephano Judice Curiae nostrae, Johanne Magistro Judice Tavernicorum nostrorum, Nicolao de Zech Dalmatiae et Croatiae, Nicolao de Gara et de Machow Banis, Petro Czudor Pincernarum, Paulo de Liszka Dapiferorum, Johanne Janitorum, et Emerico Agazonum nostrorum Magistris, ac magistro Benedicto Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

LXXII.

Responsoriae Capituli Scepus ad literas Stephani, Ducis Scepus- et Sárosiensis. Anno Dni 1352. Edidit Wagner P. I. pag. 26. mance.

Ex genuino transumpto.

SERENISSIMO Domino suo Stephano, Dei gratia Duci de Scepus et de Sár*us*, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, orationes in Domino, perpetua cum fidelitate. Literas Serenitatis Vestrae reverentissime recepimus in haec verba:

Stephanus [b] Dei gratia Dux de Scepus et de Sár*us*; fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Fidelitati vestrae firmiter

---

a) Huius antecessor fuit Nicolaus Gyletus, qui cum Elisabetha vidua Hungariae Regina, Caroli defuncti coniuge anno 1343 in Italiam una cum Vito Episcopo Nitriensi, aliisque spectatae nobilitatis viris profectus est. V. Schmitth Compend. Archiepisc. Strigon. P. I. pag. 187.

b) Fuit Caroli Roberti filius et frater Ludovici I. Regis Hungariae. V. Wagner P. I. pag. 62 not. b).

praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, coram quo Synka filius Beke de Bajor, aut Jacobus filius Johannis de Frichke, alias etiam homo noster, citet Nicolaum de Peren [a] Stephanum et Nicolaum filios ejusdem, contra Laurentium de Vitéz, ad nostram praesentiam, ad terminum competentem, et posthac diem et locum ipsius citationis, nomina citatorum, cum termino assignato, Nobis fideliter rescribatis. Datum in suburbio Scepusiensi (apud W. loco citato *syensi*) Feria quinta proxima ante Festum Sancti Demetrii Martyris. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo.

Nos igitur praeceptis Vestrae Serenitatis humiliter, ut tenemur, obedientes, nostrum misimus hominem, pro testimonio fide dignum, videlicet Johannem Subdiaconum chori nostri, una cum Synka, filio Beke, homine vestro praenotato, ad praemissam citationem exequendam: Qui demum ad Nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod in Vigilia Festi beatorum Simonis et Judae Apostolorum proxime praeteriti, idem homo Vester, dicto testimonio nostro praesente, Nicolaum de Peren et Stephanum, ac Nicolaum filios ejusdem, in possessione ipsorum, Jordan Vagassa vocata, repertos, contra Laurentium de Vitéz ante dictum, in Vestram praesentiam evocassent eosdem ad Octavas Festi Sancti Martini Confessoris proxime venturas. Datum die Dominico proximo ante Festum Divi Martini Confessoris praedictum. Anno Domini praenotato.

LXXIII.

Nicolaus, Praepositus Scepusiensis, exortas inter se, ac Saxonum Comitem ejusque Terraneos controversias componit pacifice. Anno Dni 1352.

Ex autographo in archivo oppidi Matthaeivilla existente.

OMNIBUS Christi fidelibus praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, Magister Nicolaus Praepositus Scepusiensis [b] salutem in eo, qui salvat omnes, et neminem vult perire. Ne aemula juris alieni cupi-

a) Idem Wagner P. III. 209. ipsum supremi comitis officium apud Sárosienses in plures annos produxisse, in Scepusio vero contractiori spatio tenuisse scribit.

b) Hic idem est, cujus supra Diplomate LXVI pag. 99. memini, et fuit Comitis Andreae de Villa Canis filii Polyan sive Hermani, filii Rutkerii (V. Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 233. et Diplom. XLIII.) filius, unusque ex hodiernae stirpis Berzeviczianae antenatis, in possessionibus Lumpnitz (h. Nagy-Lomnicz), et ante dicta Villa Canis seu Hunsdorff (h. Hunfalu) dominis terrestris, ubi etiam anno 1356. tumulum nactus est. V. Wagner P. II. pag. 343.

ditas, veteres suscitando lites, novas pariat quaestiones, virorum industria peritorum super his, quae pacis tranquillitate, vel aliter sunt sopita, literarum patentium concredi volunt. Proinde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod Nos attendentes, quia nonnisi pacis tempore bene colitur pacis author, et ob hoc cura suscepti regiminis, zelo quoque juris et justitiae nos inducentibus dissidiorum vepres radicitus praecidi, et litigiorum anfractus omnino subduci volentes, ortam pridem inter Nos et Terraneos seu Comitem Saxonum et Universitatem viginti quatuor Civitatum Districtus Scepusiensis, super quibusdam articulis, jus nostrum et Ecclesiae respicientibus, ac eorum litem, controversiam ac quaestionem de Consilio Fratrum nostrorum, Capituli videlicet Ecclesiae nostrae, ac mutua voluntate nostra et eorundem Terraneorum propter bonum pacis et concordiae, ac amicitiae mutuae firmitatem, taliter sopivimus, et sedavimus: Quod quilibet Civis et Incola civitatum earundem, cujuscunque status, ordinis, conditionis et sexus existat, cui opus fuerit pro injuria sibi illata, vel aliud quodlibet Judicium Ecclesiae et nostrum adire, is libere et absque ulla contradictione, nullo penitus Comite vel Judice, aut justitiario quocunque Terraneorum ipsorum requisito, possit, et debeat idem judicium nostrum adire, et adversarium suum ad ipsum nostrum Judicium citare, vel alias eundem ac cum ipso coram Nobis experiri. Et si causa seu quaestio ad Judicium nostrum et Ecclesiae principaliter pertinens deduceretur per quempiam scienter vel ignoranter, aut casualiter coram ipsis, illam non judicabunt, sed ad Nos tenebuntur remittere judicandam; hoc adjecto: quod si citans alium, repertus fuerit, post peractum judicium adversarium suum ex causa odii calumniose citavisse, et processisse contra eum, et de hoc per testes idoneos, vel aliis constare poterit legitimis documentis, tunc talis calumniator, si Clericus fuerit, vel alia persona Fori nostri, per Nos [b], si vero Laicus, per eosdem Comitem vel Terraneos pro hujusmodi calumnia puniri debebit; ne poena docente facile quis in gratiam alterius calumniose prosilire praesumat. Item si aliqua Domina, Virgo, vel Mulier fuerit vulnerata, vulnus, vel vulnera hujusmodi notificare et ostendere debebit Plebano, vel Judici Civitatis illius, in qua eam continget vulnerari, ipsique Plebanus et Judex videre debebunt, et considerare, secundum Deum et conscientiam, vulnus, seu vulnera, et eorum qualitatem. Quod si tale fuerit, vel quae si talia fuerint, quod de vita vulneratorum .... tineant [c], vel etiamsi

b) Hinc pateret, quod ejus temporis Saxonum Comes, cujus nomen hodiedum ignoratur, etiam ad Clerum spectantes causas discussioni suae subjicere voluerit, ex quo lis ista et contentio non levis inter ipsum Saxonum Comitem et praedictum Praepositum est orta.

c) Id est: factum contineat.

mutilationem alicujus membri aut ossis fracturam contineat, seu contineantur, sive etiam, si vulnus, vel vulnera hujusmodi per eosdem, Plebanum et Judicem talia esse considerentur, ut pro eis reus, secundum juris civilis exigentiam, membris, vel capite, aut alias sanguinis effusione puniri deberet, causa talis ad judicium seculare pertinebit, et ad id per eosdem, Plebanum et Judicem remittetur, hoc expresso: quod idem Plebanus terminum praefixae laesae, seu vulneratae comparendi coram Terranis debebit Nobis insinuare, et Terrani ipsi caesam hujusmodi coram officiali nostro Laico, per Nos in medium eorundem destinando, judicare debeant et finire, mulctarumque seu Birsagiorum, inde provenientium, duae partes Nobis derivari debebunt [d], reliqua parte — — remanente Comiti Terranorum. Si vero vulnus sive vulnera mulieris aut virginis vulneratae fuerint parva, vel etiam aliae laesiones fuerint, vel ictus livoris, aut vestigia sanguinis, sive aliae quaelibet molestiae, vel injuriae verbales et reales, quae poenam juris civilis praemissam, non exposcunt, in talibus et eis similibus Judicium nostrum et Ecclesiae requiratur, et causa eadem Judicio Ecclesiae decidatur. Ceterum, si quispiam Civium seu Incolarum praedictorum propter cuntumaciam et rebellionem, vel aliam legitimam causam per Nos fuerit excommunicatus [e], is denunciari debebit, et alias compelli Ecclesiasticam per censuram. — — — Si excommunicationem, et denunciationem, ac censuram hujusmodi per medium annum, a die illatae injuriae computando, animo sustinuerit pervicaci, tum demum et non prius Communitatem Loci, in qua talis excommunicatus existit, Interdicto supponere possumus, et compellere, ut ipsum excommunicatum ad parendum Mandatis Ecclesiae sua seculari authoritate compellant. Volumus insuper, et ordinamus, quod Cives et Incolae Civitatum seu Villarum Mathisdorff [f], Schlaukendorff [g] et Michelsdorff [h] vocatarum, insertam summam, scilicet quinquaginta septem marcarum Budensis numeri [i], quam Nobis pro

---

d) Scilicet iuxta praescriptionem legum.

e) Frequentem ea tempestate excommunicationis usum fuisse, patet ex additione Articulorum Ludovici Regis Art. i-o, quo nonnuli restringebantur.

f) Seu Matthaei-Villa, olim Mathisdorff, tanquam a Matthaeo fundata, hodie (1806) scribitur Matheócz, a germanis vero Mathsdorf.

g) Seu Nagy-Szalok, germanis Gross-Schlagendorf.

h) Villa Michaelis, germanis Michelsdorf, fratre Matthaei, ut fertur, primitus locata, recentius Strasa compellari coepit, h. Sztrázsa scribitur.

i) Quanti una faciat marca vide Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 41. n. 20. Unde etiam hicce 56. gross, argentei pro una marca, sive quatuordecim grossi pro fertone, id est uno tunc vigente floreno computandi, disserte defiguntur. Constituebant igitur illi 56. grossi unam quartam marcae, seu hodiernum florenum aureum, olim fertonem dictum. Conventionales proinde marcae 57. nominatorum trium oppidorum in

decimis majoribus et minoribus, et redemptis Decimis agnorum et apum ex consuetudine tenentur, singulis annis quinquaginta sex grossos argenti monetae Regalis, praecipue currentis, pro una marca, sive quatuordecim grossos pro fertone computando, solvere tenebuntur, temporibus, quibus eidem Praepositurae nostrae praesederimus. Quam summam solvere tenebuntur duobus terminis infrascriptis videlicet mediam partem in Festo beati Jacobi Apostoli, aliam partem in Festo beati Nicolai, Festis seu terminis sese subsequentibus immediate. Quodsi non facerent, vel aliquae civitatum facere, seu solvere non curarent, extunc eo termino Ecclesiae non solventium, Ecclesiastico subjaceant Interdicto. Quod quidem Interdictum ipsis relaxari non debeat, nisi soluta praedicta summa pecuniae integraliter et complete. Nos quoque nihil amplius ab eisdem civitatibus nomine descensus vel alio qualicunque exigemus, nec exigi faciemus k). Et ut haec nostra ordinatio, voluntas mutua et compositio robur obtineat perpetuae firmitatis, praesentes de eadem voluntate mutua nostris, et saepe dictorum Comitis et Terranorum sigillis pendentibus fecimus communiri. Datum pridie Nonas Augusti Millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo.

LXXIV.

Ludovicus, Hungariae Rex, ad supplices Nicolai Praepositi Scepusiensis rescriptionales ejusdem Capituli literas, rati habet. Anno Dni 1353.

Ex autographo in tabulario J. familiae Berzeviczy habito.

NOS Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Discretus vir Nicolaus Praepositus Scepusiensis, ad nostrae Serenitatis

221. aureis, universim 663. aureis, 171. marcas constituentes, subsistere. Ud adeo singulae specificatarum Matthaei, Michaelis, et Nagy-Szalok Regiarum villarum pro Decimis suorum territoriorum annis singulis eidem Praeposito eiusque successoribus 221. aureos ad haec tempora solvere deberent; quos tamen neutiquam praestant. Unde haec fati Nicolai Praepositi conventio temporanea duntaxat fuit, prout bene exponit: Temporibus, quibus eidem Praepositurae nostrae praesederimus. Verum easdem universas dictorum locorum Decimas, neque arendare potuit, tanquam ad ipsum in Regalibus hisce oppidis nulla ratione ac facto spectantes. Igitur eae hic duntaxat veniunt intelligendae, quae ad ipsum, tanquam Scepusiensem Praepositum, ex collatione Archi-Episcopi Strigoniensis, ad quem videlicet in Saxonicis civitatibus mediae duntaxat minorum, ut dicimus, Decimarum, spectabant. Evidens nempe est, ex generali Legis dispositione, ipsas frugum Decimas in Regalibus Saxonicis oppidis inter quae ista, teste Carolino Privilegio (V. superius Diplom. XXX. pag. 39) numerantur, non ad Praepositum Scepusiensem, verum ad solos locorum Parochos, ad mentem Privilegii Stephani V. (Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 108) tum Elisabethae Majoris Reginae approbationem (— pag. 199.) directe pertinere.

k) Quid nomine descensus veniat, alibi dicetur oportunius.

accedens praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas rescriptionales Capituli Ecclesiae Scepusiensis, super metarum reambulatione et erectione, quarundam Possessionum Rokus et Nyrer vocatarum, in Comitatu de Scepus existentium, eidem factarum, emanatas, tenoris infrascripti, supplicando nostrae Celsitudini prece subjectiva, ut easdem literas nostris patentibus transcribi — — et metarum erectionibus expressarum in eisdem, dignaremur pro eodem confirmare; quarum tenor talis est:

Excellentissimo Dno Ludovico, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, orationes in Domino, perpetua cum fidelitate. Literas Excellentiae Vestrae omni cum reverentia accepimus in haec verba:

Ludovicus, Dei gratia Rex Hungariae etc. V. superius Diplom. LXVI. Anno 1344. pag. 99.

Nos igitur praeceptis Serenitatis Vestrae humiliter, ut tenemur, obediendo, nostrum misimus hominem idoneum, virum Magistrum Paulum, Notarium, et Praebendatum Ecclesiae nostrae, una cum Nicolao filio Ponka, homine vestro supra dicto, ad praemissa fideliter exequenda, qui demum in crastino Festi Sancti Martini ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, qualiter Feria sexta proxima ante Festum dictum Sancti Martini, praeallegatus homo Vester, dicto homine nostro praesente, ad facies dictarum possessionum Rokus *(h. Rókusz)* et Nyrer *(h. Nagy-Eőr)*, in Comitatu de Scepus existentium, accedendo, universis suis vicinis, et commetaneis circumjacentibus, legitime convocatis, et ipsis praesentibus, ipsas per suas veras metas et antiquas, juxta seriem continentiarum literarum privilegialium nostrarum, ipsum Dominum Nicolaum, Fratres suos, et Magistrum Joannem, fratrem condam Comitis Ricolphi de Lompnitz *(Nagy-Lomnicz)* [a] super divisione confectarum, reambulassent, reambulatasque et ab aliorum possessionibus separatas et distinctas per limites metarum, infrascriptarum relinquisset ipsas eidem Dno Nicolao, et filiis fratris sui, ac eorum successoribus eo jure, quo ad ipsos dignoscuntur pertinere, perpetuo possidendas, nullo penitus contradictore, tam in facie dictarum possessionum, quam coram nobis apparente. Cursus vero metarum ipsas possessiones Rokus et Nyrer, a possessione Landek *(h. Landok)* et Teutonicis vestris de Bela dividentium, est talis: Quod prima meta incipit a quadam magna valle, Qveel vocata, quae vallis descen-

a) Idem est, qui J. Familiae Berzeviczianae antenatus, de quo frequens in Suppl. Anal. Scep. P. I. atque ista mentio fit.

dit ex niveo monte [b] usque ad fluvium Bela [c]; inde vero versus possessionem Rokus, hoc est versus plagam meridionalem directe procedendo, usque ad quendam rivulum, sive fluvium Wysfalu *(sic)*, Teutonice vero Dorffseyff vocatum, inde vero ad quosdam fontes, sive rivulos lutosos sine cognomine; inde vero ad quandam arborem platani, terra circumfusam; inde vero usque ad fluvium sive rivulum Ideswys *(sic)*, alio nomine Libs*a*yff vocatum; inde vero semper versus fluvium Poprad, per dictum rivulum infra descendendo usque ad viam, quae ducit ex possessione Rokus ad possessionem Land*o*k, ubi cadit dicta via ad praedictum fluvium Libs*a*yff; inde vero usque ad paludem quandam silvosam, ubi dictus fluvius perdit nomen praenotatum et incipit vocari Schwarzbach; et inde per dictum fluvium descendendo usque ad quandam vallem sive rivulum Krumps*a*yff vocatum, alio nomine Scharpataka *(sic)*, qui dividit possessiones Rokus et Nyrer inter se, et ibidem terminantur metae Rokus cum Teutonicis de Bela, semper per eundem fluvium infra transeundo, usque ubi cadit in fluvium Poprad, ubi est finis et termini metarum inter possessionem Nyrer et Teutonicos de Bela. Datum quinto die Sancti Martini Anno Dni praenotati.

Nos itaque humillimis supplicationibus praedicti Dni Nicolai Praepositi favorabiliter inclinati, praedictas literas ipsius Capituli Scepusiensis praesentibus literis nostris patentibus transcribi fecimus, et easdem prout vires earum veritati suffragantur, et reambulationes metarum, possessionum praedictarum expressae, rite et legitime factae existunt, perpetuo pro eodem Dno Praeposito confirmamus. Praesentes autem in forma nostri Privilegii redigi faciemus, dum Nobis fuerint praesentatae. Datum Budae in Dominica Judica. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio.

LXXV.

Henchmannus et Hermannus filii Jordani de Michelethfalva, pro reinventione suorum privilegiorum instant. Anno Dni 1353.

Ex genuino transumpto.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Henchma*n*nus et Hermannus filii Jordani de Micheletfalva *(h. Mecsedel-*

b) Seu Carpato.

c) Germanis Weisswasser, Biala-woda Slavis.

*

falu) in nostra praesentia constituti, proposuerunt, quod privilegium ipsorum sub nostro pendenti sigillo super dicta possessione ipsorum confectum, cujus aliud par per dictum Jordanum Patrem ipsorum, Regni consuetudine exigente, in nostro Conservatorio depositum, relictum haberetur ad asservandum, ab ipsis esset casualiter alienatum, cujus exhibitio ipsis pro sui juris et possessionaria conservatione foret plurimum necessarium: supplicarunt igitur nobis humiliter et devote, ut tam communis justitiae observandae, ipsum requiri in nostro Conservatorio faceremus, et reinveniri, quam copiam ipsius demum sub pendenti sigillo nostro dare eisdem, pro tuitione juris eorundem ac conservatione. Nos igitur justis ac legitimis supplicationibus ipsorum favorabiliter inclinati, copiam dicti privilegii in nostro Conservatorio per dictum Jordanum repositam, diligenter requirendo, invenimus, cujus tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus, quibus praesentes tradentur, salutem in Salutis largitore. Cum memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta, temporaliter gesta, literarum patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: Quod constituti coram nobis personaliter Petrus Comes filius Jurk, et filii sui Petrus, Arnoldus videlicet et Johannes ac Blasius filius ejusdem Petri, item Jurk filius Jurk, ac Stephanus Nicolaus et Martinus filii sui, nec non Jordanus filius Jurk praenotati ex parte una; Jordanus Hench de Villa Ursi *(h. Illésfalu)* [a] ex parte altera, iidem Petrus Jurk ac filii sui Petrus, Arnoldus et Ivanus *(sic)* ac Blasius, item Jurk et filii sui Stephanus Nicolaus, Marcus, Martinus et Jordanus sunt confessi, quod totam portionem eorum haereditariam, in Villa Micheleth existentem, pro sexaginta quinque marcis fini argenti vendidissent, cum omnibus utilitatibus suis et pertinentiis eidem Jordano et suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus, jure haereditario perpetue, pacifice et irrevocabiliter possidendam, sub ejusdem libertatis, juris et servitii conditionibus, quibus dictam haereditatem pro nunc dinoscuntur possedisse; asserentes etiam, quod ratam sexaginta marcarum summam ab eodem Jordano plenariter et integre recepissent tali conditione mediante; quod quicunque hominum antedictum Jordanum, aut suos haeredes, haeredumque successores ratione hujus possessionis inquietare, aut aliqualiter atte*mp*tare praesumpserit, praefatus Comes Petrus, aut alii praenotati, aut ipsorum haeredes ipsos expedire tenebuntur propriis laboribus et expensis.

---

a) V. Suppl. Anal. Scep. P. I. pag. 96 et 106; olim ad 24 civitates Regales Scepusienses spectans.

In quorum fidem requisitionis et reinventionis testimonium, dictam reinventam copiam de verbo ad verbum praesentibus inseri faciendo, eisdem Henchmanno, et Hermanno sub pendentis sigilli nostri munimine concessimus, communi justitia suadente. Datum die proximo post Festum Assumptionis Virginis Gloriosae. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio.

LXXVI.

Ludovicus Hungariae Rex civitatis Szomolnok privilegia confirmat. Anno Dni 1353.

Ex autographo ibidem habito.

LUDOVICUS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris ac Montis Sancti Angeli Dominus: Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Regiae sublimitatis alta Nobilitas suorum fidelium subjectorum juri consonis supplicationibus aures exaudibiles consuevit condonare, ut iidem numero semper et fidelitate augeantur, in his praecipue, quae ipsorum commodis videntur utiliter convenire. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Comes Nicolaus, dictus Stengel Judex, et Magister Johannes, notarius Civitatis nostrae de Schmulnuchbanya[a] vice et nomine universorum civium et hospitum nostrorum fidelium de eadem ad Serenitatis nostrae accedentes praesentiam, exhibuerunt Nobis quasdem literas privilegiales Excellentissimi Principis Domini Caroli, olim Inclyti Regis Hungariae, Genitoris nostri carissimi, piae memoriae, tertio et ultimo suo sigillo consignatas, tenorem literarum patentium ejusdem, suo praedicto sigillo emanatarum, continentes, tenoris infrascripti; supplicantes nostrae humiliter Majestati, ut ipsas literas pivilegiales dicti Domini Caroli Regis, Genitoris nostri de verbo ad verbum praesentibus transcribi faciendo, acceptare, approbare, et pro iisdem Civibus et Hospitibus nostris, nostro dignaremur privilegio confirmare; quarum tenor talis est:

Carolus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris ac Montis Sancti Angeli Dominus: Omnibus Christi fidelibus tam

---

a) Szomolnok montana in Scepusio civitas.

praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in eo, qui omnium est vera Salus. Justis petentium desideriis facilem praebere consensum, jus invitat, ratio postulat, et Regalis sublimitas merito adhortatur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod accedentes ad praesentiam nostrae Serenitatis Albertus Judex Petermann, dictus Rukarth, et Albertus Interpres de Civitate nostra Schmulnuchbanya, suo et universorum fidelium hospitum nostrorum de eadem, vice et nomine exhibuerunt Nobis quasdam literas nostras patentes, Sigillo nostro moderno consignatas, tenoris infrascripti, nostram humiliter flagitantes Excellentiam, quatenus ipsas approbare, et in formam nostri Privilegii redigi facere, de solita Regiae pietatis clementia dignaremur; quarum quidem tenor talis est:

Nos Carolus, Dei gratia Rex Hungariae etc. Diplom. LVI. anni 1332 pag. 81.

Nos itaque justis et juri consonis supplicationibus praedictorum Comitis Nicolai Judicis, et Magistri Johannis Notarii, dictae Civitatis nostrae Schmulnuchbanya, vice et nomine universitatis dictorum Civium et Hospitum nostrorum de eadem, nostrae Majestati porrectis, favorabiliter inclinati, praedictas literas privilegiales paternas, de verbo ad verbum praesentibus insertas, invenientes easdem in nulla sui parte vitiatas, sed omni prorsus suspicione carentes, de beneplacita voluntate Serenissimae Principissae Dominae Elisabeth, Reginae Hungariae, Genitricis nostrae carissimae, ac de consilio et conniventia Praelatorum et Baronum Regni nostri acceptamus, ratificamus, approbamus, et ex certa scientia, quoad omnes sui continentias, perpetuo valere confirmamus, praesentium patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes eisdem concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et autentici Sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai, praemissa et Apostolica gratia Episcopi Zagrabiensis, Aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, quarto Nonas Decembris, Regni autem nostri anno duodecimo. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis: Nicolao [b] Strigoniensi, Locique ejusdem Comite perpetuo, et Fratre Dionysio Colocensi, ac Dominico Spalatensi Archiepiscopis. Nicolao Agriensi [c] Demetrio Varadiensi, Andrea Transsylvano, Colomano Jaurinensi, Joanne Vesprimiensi, Nicolao Quinque-

b) Erat de Monoslo, Chanadini successor. V. Nicol. Schmitth. Comp. A-Episcop. Strigon, Tom. I, 190.

c) Non est confundendus cum priori Nicolao, prout recte observavit idem Nicol. Schmitth contra expositionem R. Patris Martini Szentivany Tom. I. Episcop. Agrien. pag. 307.

Ecclesiensi, Thoma Chanadiensi, Michaele Vaciensi, Fratribus: Thoma Sirmiensi, Stephano Nitriensi, Peregrino Bosnensi, et Blasio Tininiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis Baronibus: Nicolao Palatino [d] Nicolao filio Laurentii, Waywoda Transylvano, et Comite de Zonouk, Czykew Magistro Tavernicorum nostrorum, Comite Thoma Judice Curiae nostrae, Olyverio Judice Curiae Dominae Reginae, Genitricis nostrae carissimae, Comite Castri Ferrei et Soproniensis, Andrea de Machou, et Nicolao de Zeurino Banis. Thoma filio Petri Janitorum, Leukus [e] Dapiferorum et Pincernarum, Dionysio Agazonum nostrorum, nec non Joanne filio ejusdem Olyverii Dapiferorum Reginalium Magistris, Simone filio Mauritii Comite Posoniensi, et aliis quamplurimis, Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

LXXVII.

Idem Rex (Ludovicus) metales certi Wynchlo literas confirmat. Anno Dni 1354.

Ex genuino sed manco transumpto Capituli de Scepus in Lubló habito.

NOS Ludovicus, Dei gratia Hungariae etc. Rex, memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Wynchlo filius Pauli de Petermezei, ad Celsitudinis nostrae accedendo praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas patentes, Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis rescriptionales, super facto reambulationis, et metarum erectionis cujusdam silvae, inter Villam Ztara et inter metas Liublio *(Ó-Lubló)* juxta fluvium Poprad existentis, ut dicitur, per nostram Majestatem pro suis fidelibus servitiis sibi collatae confectas, et emanatas, tenoris infrascripti: supplicans nostrae humiliter Majestati, ut easdem de verbo ad verbum nostris patentibus transcribi, et transumpmi faciendo, simul cum ipsa reambulatione et metarum erectione in eisdem expressa, pro eodem et suis haeredibus dignaremur confirmare, quarum tenor talis est:

Excellentissimo Dno suo Ludovico, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. — Cursus vero metarum ipsam silvam circumquaque ambientium, hoc ordine distingvuntur: Prima meta inciperet in fluvio, Sulya vocato, et loco, ubi influeret in fluvium Poprad vocatum, et in eodem fluvio Poprad, transeundo versus orientem per magnum

d) Videlicet Konth, filius Laurentii de Hedervara, Vajwoda olim Transilvaniae.

e) Seu Ludovicus, ut idem notavit ibidem pag. 299.

spatium, perveniret ad montem, Nard *(sic)* vocatum, ubi exeundo fluvium Poprad antedictum, ascenderet ad verticem montis ejusdem ad unam terream metam, de novo erectam, de qua in vertice ejusdem montis, nec non per alios montes, colles et valles, directe versus meridiem currendo, perveniret ad verticem ejusdem montis, Pawlowcjavore *(sic)* nuncupati, ad unam terream metam, circa eandem semitam erectam; et in eadem via transiret versus occidentem in planitie verticis, montis proxime dicti, ad unam terream metam in eodem vertice, in opposito cujusdam fontis, in latere ipsius montis septentrionali, scaturientis; unde per easdem viam et verticem transiret ad locum, ubi quidam altior mons contignaretur vertici montis, proxime nominati; in qua videlicet via praedicta transiret; hinc ascendens verticem ejusdem altioris montis ad unam terream metam, de eadem semper in medio ejusdem montis transiens monticulos et valles atque colles versus septentrionem perveniret ad fluvium Poprad, prius nominatum, circa quem esset una meta terrea, de novo erecta; abhinc ascendendo in eodem fluvio versus orientem, perveniret ad primam metam; et sic metae ipsius silvae terminantur. Datum in octavis dicti Festi Sancti Georgii Martyris, anno Domini praenotato.

Nos itaque humillimis supplicationibus ejusdem Wynchlo filii Pauli de Petermezei, nostrae Majestati humiliter porrectis, Regio inclinati cum favore, praedictas literas patentes, jam dicti Capituli Scepusiensis, simul cum praedicta silvae reambulatione et metarum erectione, in eisdem expressa eatenus, quatens ipsa silvae reambulatio et metarum erectio rite et legitime facta extitit, et prout vires earundem literarum veritati suffragantur, pro eodem Wynchlo filio Pauli, et suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus et posteritatibus confirmamus, praesentium serie mediante, salvis juribus alienis. Praesentes autem in formam nostri Privilegii faciemus, dum Nobis fuerint reportata. Datum Budae in Dominica Invocavit. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto. (L. S.)

LXXVIII.

Nicolaus, Praepositus Scepusiensis incolis Crygo *(h. Krigh)* praescribit, quae deinceps sibi titulo terragii praestare debeant. Anno Dni 1355.

Ex autographo in episcopali archivo existente. Edidit Wagner P. I, 324. aliquantum mance.)*

MAGISTER Nicolaus, Praepositus Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Proclivis humanae memoriae decursus, ne temporaliter gesta alieni juris cupiditate reciduentur, patrocinium non immerito exposcit literarum. Ad universorum igitur notitiam harum serie volumus pervenire: Quod Nos attendentes montium magnitudinem, terraeque sterilitatem possessionis nostrae Crygo[a] vocatae, hominibus seu Jobbagionibus nostris, in ea commorantibus, hanc praerogativam conferimus, ut ipsi Nobis et nostris successoribus singulis annis *decem* marcas grossorum denariorum numeri Scepusiensis monetae usualis, in tribus terminis, ratione terragii sive census, solvere tenebuntur; *videlicet in Festo beati Johannis Baptistae tres marcas cum sedecim grossis, ac in medio quadragesimae tres marcas cum sedecim grossis*..... Munera vero more antiquo, ut consueverunt, dare similiter tenebuntur. Decimas vero majores Sacerdos, qui fuerit pro tempore, possidebit, singulis annis in Festo beati Martini duas marcas Nobis et successoribus nostris persolvendo. Minores vero Decimas scilicet agnos porcellos etc. medias Nobis praesentabit, media parte sibi remanente. Decimas autem praedictas et justas antedicti Jobbagiones ad modum Saxonum dare tenebuntur; praedictas autem duas marcas Sacerdos ad numerum Budensem juxta consuetudinem Rectorum Ecclesiarum prope Hernad, Nobis et successoribus nostris tenebitur persolvere in termino supradicto. Ut autem omnia et singula praemissorum robur obtineant perpetuae firmitatis, praesentes eisdem Jobbagionibus nostris concessimus sigilli nostri pendentis munimine roboratas. Datum apud Ecclesiam Sancti Martini praedictam, Sabbatho post Festum Inventionis Sanctae Crucis. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto. (L. S.)

---

*) Voces, quae cursivis litteris in hocce documento signantur, apud Wagner loco citato non occurrunt.

a) Germanis Kreig vel etiam Krieg, filialis Tótfalvam spectans.

LXXIX.

Casimirus Rex Poloniae cuidam Petro sculteto suam silvam extirpare, in eaque villam Mala — (seu parva) Mussina erigere sub certis immunitatibus concedit. Anno Dni 1356.

Ex apographo Galiciano.

IN Nomine Domini Amen. Quod magnifica Regum fieri decrevit auctoritas, ratum atque firmum debet perpetuo permanere. Proinde noverint omnes praesentium inspectores: Quod Nos Casimirus, Dei gratia Rex Poloniae, Cracoviensis, Sandomiriensis, Siradiensis, Lithvaniae, Lanciriae, Pomeraniaeque Terrarum Dominus et Haeres, de nemoribus et silvis nostris, de quibus modica utilitas hactenus Nobis proveniebat, fructus uberiores ampliare, et indesinenter augere cupientes, viro provido Petro dedimus, et damus per praesentes, locare silvae novalia ad centum quindecim mansos in se continentem circa fluvium, Mala Mussina dictum, sitam in via Sandecensi, jure Theutonico Magdeburgensi, nomen villae Mala Mussina[a] imponendo. Ratione ejus locationis damus eidem Petro Scultetiam, et suis veris haeredibus et successoribus legitimis in eadem villa jure haereditario in perpetuum tenendam, habendam, donandam, vendendam, commutandam et possidendam, pro sua et posterorum voluntate convertendam; sex mansos liberos, duas tabernas, in quantum indigent, et duos molendinos, et quantum necesse fuit, duas cameras carnium, duas sutorum, duas cameras pannuum, unam instiram, unam cameram salis eidem Sculteto adjungendo, et alias utilitates, quas excogitare potest, provide jure Magdeburgensi permittente, cui omnia debent esse libera, et a qualibet pensione penitus absoluta. Item scultetus memoratus habebit sextum denarium census. Propterea damus literas bonas ex gratia Regis, qui in remotis in fine terrae extat. Praeterea duos mansos pro sua et alios duos pro pascuis ovium assignamus; et ut eadem villa facilius posset locari, omnibus cmetonibus, qui in eadem villa locati fuerint, a data praesenti ab omnibus nostris solutionibus, exactionibus, tributis, contributionibus, donationibus et solis universis intra viginti annos continuos plenam elargimur libertatem; qua elapsa incolae ejusdem villae de quolibet manso singulis annis in Festo beati Martini octo scotos grossorum ratione census Nobis et nostris Successoribus, et pro Decima quatuor scotos grossorum, cui de jure debebitur, et pro Missalibus annuis mensuram siliginis, et aliam mensuram

a) Ex slavico, intellige: Parva-Mussina (h. Muszyna) in Galicia.

avenae suo Plebano [b]). Item statuimus magnum Judicium ter in anno in eadem villa, et pro quolibet Judicio dimidiam marcam dare tenebuntur, ubi nullus visitare, nec dari in Judicem, nisi solus Scultetus, et cum venerit ipse census, providus scultetus debet pendere Regi Cracoviae cum juvamine rusticorum. Item volumus, quatenus post decursum libertatis dictus Petrus scultetus et sui successores ad quamlibet expeditionem generalem cum una balista adstare Nobis debeant, et nostris posteris pro jure teneantur. Item absolvimus praedictum Petrum scultetum, et suos successores, una incolas et cmetones praedictae villae Mala Mussina ab omnibus judiciis et jurisdictionibus omnium Palatinorum, Castellanorum, et quorumlibet Judicum, seu Sub-Judicum nostri Regni ita, quod coram ipsis, ut et eorum aliorum pro vitiis magnis et parvis capitalibus et criminalibus, prout furtis, sanguinis, homicidii, incendii, membrorum mutilationis, et aliis universis, nullis penitus de se querulantibus debeant respondere, nisi tantum cmetones coram suo sculteto jure Theutonico Magdeburgensi: Scultetus vero tunc de se querulantibus, non aliter tamen, quam suo jure Theutonico Magdeburgensi respondebit. Ceterum in omnibus causis capitalibus et criminalibus superius expressatis, provido sculteto judicandi, sententiandi, condemnandi et puniendi, plenam et omnimodam conferimus potestatem, prout ipsum jus Magdeburgense postulat, et requirit. In quorum omnium testimonium nostrum Sigillum praesentibus est appensum. Actum et datum in Radzejovicz Feria tertia post Festum Sanctae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, praesentibus his testibus: Wydzga, Capitaneo Sandecensi, Ottone de Pitzu, Clemente de Radzejovitz.

LXXX.

Ludovicus, Hungariae Rex ordinat, ne exercituantes Wagendrüslenses et Stilbachienses rustice tractentur. Anno Dni 1358.

Ex genuino Capituli Scepusiensis transumpto.

LUDOVICUS, Dei gratia Rex Hungariae etc. fideli suo viro Nicolao Konth, Regni nostri Palatino, et Judici Cumanorum salutem et gratiam. Noveris, quod Paulus et Danus filii Jordani, filii Leonhardi Wichler ad nostrae

b) Parochiales praestationes istae, ut per se patet, non sunt hodie somniata lecticalia, qualia nec alibi unquam olim extitere. Inventum hoc istius duntaxat aevi est, in derogamen Plebanorum excogitatum.

Celsitudinis venientes in praesentiam, graviter sunt conquesti, quod, cum Ladislaus Rex, praedecessor noster bonae memoriae, villicos et hospites possessionis Wagendrüzel *(h. Merény)* in Comitatu Scepusiensi habitae, cum haec tunc silva densissima, nunc vero (uti dicitur) possessio, ipsorumque haeredes et successores universos, mediantibus literis suis patentibus, quarum tenorem legimus, in coetum et collegium fidelium exercituantium cum Terra Stilbach de villa excisa aggregasset, nunc Georgius et Stephanus filii quondam Domini Bubek[a] eosdem hospites tanquam rusticos conservarent, et ad metendum fruges, in Comitatum Lyptoviensem falcandum foenum, et alia servitia rusticalia, non curata ipsorum libertate, compellerent; quoniam pro eo, videlicet quod literam privilegialem Karuli *(sic)* Regis, Genitoris nostri, Michaeli filio Marcus de Csepan[b] pro ipsis hospitibus eorumque successoribus datam confirmationalem, et per iniquitatem temporum a se alienatam, ad ipsosque Bubek deventam, cum valore exhibere non possent. Unde cum Excellentissimus Princeps, Dnus quondam Karolus Rex Ungariae, Genitor noster carissimus, piae memoriae, ipsas literas, tempore examinationis universarum literarum Nobilium, in praesentia ipsius per eundem Michaelem exhibitas, acceptaverit, et confirmaverit; ideo fidelitati vestrae firmiter mandamus, et praecipimus, quatenus de facto in Congregatione vestra generali, in Comitatu Scepusiensi per vos proxime celebranda, citatis praedictis Georgio et Stephano Comitibus Liptoviensibus, dicatis verbo nostro, et Reginae Genitricis nostrae carissimae, praesentibus communicatis, ut eosdem hospites de Wagendrüzel et Stilbach, in Comitatu nostro Scepusiensi constitutos, in praemissa gratia et libertate, per ipsum Dominum Ladislaum Regem eisdem, et successoribus eorundem concessa, conservarent, nec aliqualiter molestent, et ad facienda servitia rusticalia non compellant, sed semper in eadem libertate, futuris etiam temporibus, conservatos habeant, et teneantur. Datum in Vissegradt *(sic)* in Festo Epiphaniae Domini. Anno Millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo.

---

a) Hujus filius Stephanus anno 1360 fuit Judex Curiae Regiae.

b) A Csepanfalva in Scepusio existente possessione, germanis Steffensdorf, slavis Štepanovce dicta, nunc (1806-o) filiali ad Markusfalvam spectante, ferturque Stephanum conditorem sui habuisse.

LXXXI.

Joannes Schurke, Comes Provinciae Scepusiensis venditionem villae Byczir (hodie Lengvard) provinciali sigillo consignat. Anno Dni 1360. mance apud Wagner P. III, 254.*)

Ex autographo, apud Illésfalvenses habito.

NOS Johannes, Schurke dictus, Comes *Provinciae* Terrae Cypsensis, nec non viginti quatuor *jurati* Judices in eadem. Omnibus Christicolis, ad quos praesens scriptum perveniet, salutem in Salutis Largitore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, necesse est, ut acta temporalia scripturae testimonio fulciantur. Hinc est, quod notum fieri volumus universis: quod Nicolaus filius Jordani, Judex de Sperndorff *(h. Illésfalu)*, ex consensu et voluntate universorum civium divitum, ac pauperum ejusdem villae parte ab una: ab altera vero parte Nicolaus filius Goblini de Wilksdorff a) cum fratribus et sororibus ejus, Jacobo, Colino, Theodorico, Elisabeth et Mechthilde, iidem *praedicti* fratres et sorores de communi voluntate et consilio haereditatem eorum, Byczir b) vocatam, in toto spatio attinentem, de limite ad limitem, de meta ad metam, cum omnibus utilitatibus suis, videlicet terris arabilibus et pratis vendiderunt ante dicto Nicolao, filio Jordani de Sperndorff, — et suis universis civibus pro duodecim florenis aureis, ab eisdem plene habitis et receptis, omnibus eorum successoribus simul et perpetue et irrevocabiliter pacifice et quiete tenere, et possidere, *cum altera dimidia domo, seu cum triginta ponderis Budensium, singulis annis in tribus terminis dare teneantur, ad numerum census Regalis, ad quadrigentas marcas gravi pondere, videlicet in tribus terminis. Prima meta ejusdem villae Byczir et haereditatibus incipit a plaga orientali ab una magna meta terrea, prope magnam viam versus Quintoforum euntem, ad instar viginti gressus, vel paulo plus; deinde tendit descendendo ad unam metam terream, quae separat praedictam haereditatem Byczir et metam Wilksdorff; deinde descendens ad modicum spatium versus meridiem, super unam antiquam viam transeuntem, ad montem ascendendo Reichberg (hodie — 1806 — Reeberg) vulgariter vocatum, ad unam metam terream, quae videlicet metas nostras separat a meta villae Drautz* c) *et a meta praedicta haereditatis Byczir: deinde ascendens in una antiqua via ad verticem montis, ubi est una meta terrea, deinde descendens ad*

*) Quae cursivis litteris in hocce documento signantur apud Wagner loco citato non occurrunt.

a) Wilkócz, ab anno 1802 parochiae Durand filialis, antea ad Quintoforum spectans.

b) h. Lengvárt possessio.

c) Dravecz. V. Suppl. Anal. P. I, 225.

unum fluvium, Byczir vocatum; deinde in eadem aqua descendens usque ad metam civitatis Lewtsch d); *deinde ascendens montem versus meridiem ad primam metam, et sic metae ejusdem Villae Byczir et haereditatis distingvuntur. In cujus rei memoriam supra petentibus praesentes eisdem contulimus, sigillo nostrae Provinciae pendenti perpetua firmitatate roboramus.* Datum et actum in civitate Lewtscha undecimo die Kalendas mensis septembris. Anno Dni Millesimo trecentesimo sexagesimo.

LXXXII.

Comes Jordanus, civis Podolinensis cum consensu civium medietatem bonorum Comitis Hank filii Julae, Podolinensi Ecclesiae pro conservatione Vicarii inscribit. Anno Dni 1361.

Ex autographo Podolini habito.

PAULUS Cantor et Vicarius Generalis Ecclesiae beati Martini de Scepus, Strigoniensis Dioecesis, omnibus praesentem paginam inspecturis, salutem in eo, qui neminem vult perire. Piarum consuevit mentium solers dispositio eatenus ordinare, quae ad laudem pertinet Dei Omnipotentis, et ejus electorum, per quodque augetur cultus nominis divini, et commodum Ecclesiae ipsius efficiantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quia providis viris et honestis Comite Jordano sculteto, Nicolao filio Tylonis, Hungd, Tylone, Herrer, Hank, Chenker, Zyfrid, Nicolao filio Theodorici, et altero Nicolao filio Detrici, juratis civibus de Podolino, executoribus testamenti et dispositoribus bonorum, quondam Comitis Hank filii Gyulae *(sic)*, similiter sculteti de Podolino ante dicto, de scitu et permissiva voluntate civium praedictorum ab una, et discreto viro Domino Jacobo Plebano Ecclesiae beatae Virginis de eadem, parte ab altera, coram Nobis personaliter constitutis, per eosdem Jordanum scultetum et juratos cives extitit confessum, quia ipsi maturo inito consilio cum universitate civium suorum, cupientes Ecclesiam eorum Beatae Virginis parochialem de dicta Podolino, ad laudem Dei Omnipotentis, et intemeratae suae Genitricis, Sanctorumque ejus, et in augmentum nominis cultus divini Ministris pluribus decorare, integralem medietatem omnium possessionalium portionum praedicti Comitis Hank, filii Gyulae, ratione dictae suae scultetiae in dicta civitate Podolin et in Territorio suo spectantium ad eandem quovis modo,

d) Leutschovia (Lőcse).

exceptis duntaxat prius Dominae Consortis suae legatis, cum omni plenitudine sui finis, et integra sui perceptione quarumlibet fructuum et utilitatum suarum locavissent, dedissent et assignassent, ac locarunt, assignarunt, et dederunt Ecclesiae ipsorum Beatae Virginis parochiali de eadem Podolino, perpetuo et immutabiliter Plebanis Ecclesiae ejusdem, qui fuere pro tempore constituti, Reverendo Dno praedicto Jacobo, et suis successoribus legitime intrantibus ad eandem, possidere, tenere libere et habere, his tamen conditionibus interjectis, quod ipse Dominus Jacobus, modernus ipsius Ecclesiae Plebanus, et alii sui successores similiter, qui easdem portiones habere voluerint, et possidere, specialem Presbyterum pro Capellano, ad officiandum dictam Ecclesiam eorum parochialem, cum devotione et ministerio, quod Deus administraverit eidem, decenter et expedite debeat et possit, secundum impositum officium eisdem a Plebanis praedictis, cui ut ipsorum superiori tenebitur obedire, servare continue, legitima solum causa praepediente, adstricti sint, pariter et obligati in aevum. Cui Capellano iidem Plebani, pro tempore constituti, de fructibus, proventibusque dictarum mediarum portionum, eidem parochiali Ecclesiae applicatarum, secundum consuetudinem, per alios Plebanos hactenus observatam, et observandam, secundum honorem, a Deo ipsis provisum, victu et amictu ipsis subvenire, pariter et providere. Quod si ipsi Plebani, sic pro tempore in ipsa Ecclesia parochiali constituti, aut aliquis ex ipsis dictum specialem Capellanum neglexerit, seu non curaverit servare contumaciter ad praemissa, tunc praedictus Scultetus, Jurati et Cives liberam haberent facultatem disponere de portionibus praedictis, in laudem Dei ad cultum divinum, in Ecclesia duntaxat praedicta; ad quae omnia se firmiter obligarunt partes praedictae spontanea sua voluntate, et observationem praemissorum. Et ut haec salubris ipsorum mutua voluntas obtineat perpetuam stabilitatem, ad petitionem instantem partium earundem, authoritate, qua fungimur ista vice ordinaria, tam ex parte Dni nostri Praelati, quam sui Capituli interpositione, nostri Decreti, praemissa acceptamus, ratificamus, et approbamus, et praesentes in testimonium praemissorum, appensione sigilli nostri consignavimus. Datum et actum in dicta Podolin, in domo habitationis Jacobi praedicti, die Dominica proxima post Festum Circumcisionis Domini, anno ejusdem Millesimo trecentesimo sexagesimo primo. Praesentibus viris discretis Hank de Bela, Joanne de Buzen, *(Busócz?)*, Nicolao Kolach, *(Kolacskó)*, Joanne de magna Lomnitz Ecclesiarum Plebanis et Rectoribus, et aliis pluribus testibus ad praemissa.

LXXXIII.

Ludovicus Hungariae Rex, patentes suas literas, Quintoforensibus elargitas, redigit in privilegium. Anno Dni 1364.

Ex autographo apud eosdem habito.

LUDOVICUS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae etc. Rex [a], Princeps Salernitanus etc. Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Imperfectum staret largitoris beneficium, si id, quod datum est, sui muniminis robore non stabiliretur ad rei memoriam sempiternam. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Henchmannus, filius Hanus [b] civis noster fidelis de Sancto Ladislao de Comitatu Scepusiensi, in sua et universorum civium et hospitum nostrorum de eadem personis ad nostrae Serenitatis accedendo praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas nostras patentes, majori sigillo nostro consignatas, super libertatibus ipsorum confectas, tenoris infrascripti, supplicans Nobis humiliter ac devote, ut easdem acceptare, approbare, ratificare, et nostri novi et autentici sigilli appensione privilegialiter dignaremur confirmare, quarum tenor talis est:

Nos Ludovicus — Rex Hungariae. V. Diplom. LXIII anni 1344, i. e. millesimi tercentesimi quadragesimi quarti, pag. nonagesima sexta.

Nos Carolus — Rex Hungariae. V. Wagner P. I, 201.

Nos itaque supplicationibus eorundem fidelium Civium et Hospitum nostrorum tanquam justis et admissione dignis, favorabiliter et benigne exauditis, praetactas literas nostras omni prorsus suspicione carentes, praesentibus de verbo ad verbum insertas, simul cum praetactis ipsorum libertatibus, in tenore earundem expressis, acceptamus, approbamus, ratificamus, et pro eisdem fidelibus civibus nostris, eorumque successoribus authoritate Regia perpetuo valituras confirmamus, praesentis nostri Scripti patrocinio mediante. In cujus confirmationis nostrae testimonium, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et authentici Sigilli nostri novi duplicis munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai Archiepiscopi Strigoniensis, Locique ejusdem Comitis perpetui, Aulae nostrae Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Dni Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, Tertio Nonas Maji, Regni autem nostri anno vigesimo tertio. Venerabilibus in Christo Patribus et

a) Hic non repetuntur tituli, superius jam expressi, quod in sequentibus quoque observatur.

b) V. Suppl. Anal. P. I, 395.

Dominis: eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Ugolino Spalatensi, Nicolao Jadrensi, et Elia Rapusiensi Archiepiscopis; Demetrio Varadiensi. Dominico Transsilvano, Colomanno Jaurinensi, Ladislao Vesprimiensi, Stephano Zagrabiensi, Regnique Sclavoniae Vicario generali, Vilhelmo Quinque-Ecclesiensi, Dominico Chanadiensi, Michaele Agriensi, Joanne Vaciensi, Petro Bosnensi. Fratribus: Stephano Nitriensi, Thoma Sirmiensi, Joanne Tinniensi, Demetrio Nonensi, Nicolao Traguriensi, Stephano Pharensi, Valentino Makariensi, Matthaeo Sibicinensi, Michaele Scardonensi, et Portina Segniensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris: Nicolao Konth Palatino, Dionysio Wajwoda Transsilvano, Comite Stephano Bubek Judice Curiae nostrae, Joanne Magistro Tavarnicorum nostrorum; Nicolao de Zeech Dalmatiae et Croatiae, Nicolao de Gara de Machov Banis; Petro Zudár o) Pincernarum, Paulo de Liska Dapiferorum, Joanne Janitorum, et Emerico Agazonum nostrorum Magistris, ac Magistro Benedicto Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

LXXXIV.

Idem Rex (Ludovicus) cuidam Magistro Jacobo suam, in confinio Poloniae sitam silvam, vulgo nigram dictam, pro locatione duarum villarum confert. Anno Dni 1366.

Ex apographo originali in Capitulo Scepusiensi existente.

BENEDICTUS Praepositus et Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in eo, qui est vera Salus: Quoniam omnium habere memoriam, et nullius oblivisci, divinum est potius quam humanum; rationabile est igitur, ut ea, quae temporaliter geruntur, ne nebula oblivionis obfuscentur, scripturae testimonio solidentur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, Nos literas Excellentissimi Principis, Domini Dni Ludovici, Dei gratia Regis Hungariae Illustris, Budae in Festo beati Clementis Papae anno praesenti emanatas, nobis exhibitas, omni cum reverentia recepisse, continentes, ut cum idem Dominus noster Rex — — — pro fidelitatibus laude dignis obsequiorum meritis, Magistri Jacobi Protonotarii

o) Illustris sane familia. V. Nicol. Schmitth. Tom. I. Episc. Agrien. pag. 331.

magnifici viri Dni Nicolai Konth, Regni ipsius Dni nostri Regis Palatini, quibus idem in cunctis jam dicti Dni nostri Regis et Regni sui negotiis, juxta totius humanitatis suae possibilitatem irreprehensibiliter, et absque alicujus notae responsione, suo ferventi desiderio studuit complacere Majestati, tum etiam in concambium cujusdam silvae ejusdem Magistri Jacobi, Edusturnya *(h. Oszturnya)* vocatae, olim per Excellentissimum Principem Dnum Carolum, quondam Inclytum Regem Hungariae, Genitorem ipsius Dni nostri Ludovici Regis carissimum, sibi et suis praedecessoribus collatae, eidem Dno nostro Regi juxta suum beneplacitum, pro usu Saxonum Terrae Scepusiensis liberaliter allatae et oblatae per eundem, quandam silvam suam Regiam nigram, in Districtu Castri sui Palocha *(h. Palocsa)* in duobus locis habitam, pro locatione duarum Villarum bonarum congruentem, et sufficientem, eidem Magistro Jacobo et suis haeredibus jure perpetuo et irrevocabiliter contulerit, ... ac cum eisdem ad faciem praedictae silvae nigrae accessisset, eandemque in duobus locis pro locatione duarum villarum bonarum congruentem, et sufficientem, videlicet pro unius villae locatione, quandam partem ipsius silvae nigrae, a parte orientis possessio Mussina *(in Galicia)*, a parte meridiei possessio Orlow, *(h. Orló, in comitatu Sárosiensi)*, et Andreas-Vagassa, *(h. Andrásvágás, in comitatu Sárosiensi)*, et a parte occidentis possessio Stara, a parteque Septentrionis fluvio Poprad circumseptam: Item pro locatione alterius villae, similiter quandam aliam partem ipsius silvae nigrae, quam inter septentrionem et orientem quidam tres monticuli, contigua vicinitate sese consequentes, a parte vero orientis possessio Bejer-Vagassa *(h. Bajorvágás, in comitatu Sárosiensi)*, a parte meridiei mons Tymnich, vulgariter Scemene *(h. Simeny)* nuncupatus, a parte occidentis possessio Ja*cu*bfalva ac a parte septentrionis nova Plavnich (*h. Plavnicza, in comitatu Sárosiensi*), circumjacerent, atque girarent sub giro et limitatione metarum infrascriptarum, praefato Magistro Jacobo, et suis haeredibus statuisset, jure perpetuo possidendam, tenendam et habendam. Retulerunt etiam praedicti Vester et noster homines, quod prout ipsi diligenti inquisitione, et oculata intuitione conspicere, et considerare, una cum praedictis scultetis, et aliis ipsius Districtus hominibus potuissent, per ipsius silvae collationem et statutionem Castro Palocha nullum praejudicium generaretur: Cursus vero metarum praesentis statutae silvae dignoscerentur esse tales. Prima meta inciperet a parte orientis in ripa praenotati fluvii Poprad occidentali, in loco, ubi in opposito ipsius a parte Regni Poloniae influeret in ipsum fluvium Poprad, quidam rivulus Reuhz (*sic*) nuncupatus, ubi essent duae metae terreae erectae, de quibus duabus

terreis metis ascenderet quasi versus meridiem quendam altum montem, Ohorn (*recte Ahorn*), alio nomine Jawerheye *(recte Jávorhegy)* dictum, et in vero vertice ipsius transiret versus eandem plagam ac caput cujusdam fontis, Pfaffenwiss *(sic)* nominati, ubi essent duae metae terreae erectae, de quibus adhuc iret in vertice ipsius montis versus plagam eandem ad duas terreas metas: hinc declinando aliqualiter versus occidentem, jungeret duas terreas metas, de quibus quasi inter occidentem et septentrionem girando, transiret ad quendam monticulum competenter elevatum, superius rivulum, Wolch nominatum, in cujus montis vertice essent duae terreae metae, de quibus metis descenderet directe versus septentrionem in antiquo meatu fluvii Poprad praedicti ad fluvium eundem, penes quem essent duae metae terreae, et in eodem fluvio Poprad contra meatum seu cursum ipsius ascenderet ad primam metam. Cursus vero metarum in secundo loco statutae silvae esset talis: Prima meta inciperet a parte septentrionis in fluvio Plawnich (*Plavnicza*) in loco, ubi caderet in eum quidam rivus, Dewinsyfh *(sic)* dictus, penes quem essent duae terreae metae erectae, de quibus reflecteretur, et transiens, quasi versus orientem ascenderet ad unum monticulum praedictum finalem a plaga septentrionis, in cujus cacumine essent duae metae terreae, de quibus reflecteretur, et iret quasi versus orientem ad metas possessionis, Bejer-Vagassa *(sic)* supradictae, ad duas terreas metas; hinc versus meridiem descenderet ad quemdam rivulum, Melpotok dictum, penes quem essent duae metae terreae, deinde descenderet adhuc versus meridiem ad verticem seu planiciem montis Scemene, supra dicti, ad duas terreas metas seu terminos Jacabvagassa praedictae, ad duas terreas metas in vertice montis, qui vertex esset terminus metarum Jacubvagassa saepedictae, et de eisdem iens adhuc in eodem vertice ad septentrionem . . . . . ens spatium perveniret ad alias duas terreas metas, et de ipsis reverteretur et transiret directo cursu ad primam metam, unde inceperat, et sic terminarentur. In cujus rei memoriam . . . . . Datum Feria sexta proxima ante Festum beati Thomae Apostoli, anno Dni Millesimo trecentesimo sexagesimo sexto. Praesentibus Stephano Lectore, Paulo Cantore, Joanne Custode, Lamperto Lamperti, Thoma Johannis, Nicolao de Lyptovia Canonicis, in dicta Ecclesia jugiter Deo famulantibus, regnante dicto Dno nostro Rege Ludovico, Dei gratia Illustri Rege Hungariae, Nicolao Strigoniensi [a] Thoma Colocensi Archiepiscopis.

---

a) Nicolaus igitur iste hoc anno, mense Aprili non est mortuus, ut scribit R. P. Nicolaus Schmitth in Compend. Archiepisc. Strigon. P. I, 195.

*

LXXXV.

Joannes Schurke, Judex Illésfalvensis literas Comitis Saxonum aeque Joannis Schurke rescribi curat. Anno Dni 1367.

Ez autographo apud Illésfalvenses habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis, quod venerit nostri in praesentiam providus ac circumspectus Joannes Schurke dictus, Judex de Sperndorff, exhibuit nobis in sua ac Juratorum civium universorum totius Communitatis de eadem nominibus et in personis quasdas literas cujusdam Dyak *(recte Deák)* a) et prudentis, Johannis Schurke dicti, Comitis Provinciae Terrae Scepusiensis, et universorum XXIV. Judicum de eadem Scepus, in pargameno patenter confectas, sigillo praedictae Terrae Scepus in capsula pargameni pendente in nigra cera, in cujus medio magna turris apparebat, sigillatas, petens nos humili precum cum instantia, quatenus ipsis easdem sub sigilli nostri testimonio in rescripto dare, et concedere dignaremur ad cautelam: quarum literarum de verbo ad verbum tenor sequitur in haec verba:

Nos Johannes, Schurke etc. V. Diplom. LXXXI. 1360 pag. 125.

Nos igitur petitionibus praetacti Johannis Judicis de praedicta Sperndorff *(Illésfalu)* nobis in sua aliorum supraattactorum nominibus et in personis humiliter porrectis, ut puta justis et legitimis, favorabiliter inclinati, praedictas literas quasdam prudentis Johannis Schurke Comitis, et viginti quatuor juratorum Judicum Terrae Scepusiensis praedictae, non abrasas, non cancellatas, non in aliqua sui parte suspectas, omni etiam vitio et suspicione carentes, nisi quod propter malum tempus Hussitarum inquietum, in modica sui parte in quatuor vel quinque dictionibus ruptae fuerant, sine diminutione et augmento de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, et inscribi, appensioneque sigilli nostri munimine communiri facientes, easdem eisdem duximus dandas, et concedendas ad cautelam praenotatam. Datum Sabbatho die infra conductus Festi Paschae Domini. Anno Millesimo trecentesimo sexagesimo septimo.

---

a) Sive literatus, (Juris peritus).

LXXXVI.

Ludovicus Hungariae Rex libertates Quintoforensium denuo confirmat. Anno Dni 1364. (i. e. millesimo tercentesimo sexagesimo quarto).

Ex instantia 13. oppidanorum 1790. J. SS. et ordinibus regni porrecta.

LUDOVICUS, Dei gratia Hungariae etc. Rex: Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Imperfectum staret largitoris beneficium, si id, quod datum est, sui muniminis robore non stabiliretur, ad rei memoriam sempiternam. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Hendmannus filius Hans [a], civis noster fidelis de Sancto Ladislao [b] de Comitatu Scepusiensi, in sua et universorum civium, et hospitum nostrorum de eadem personis, ad nostrae Serenitatis accedens praesentiam exhibuit Nobis quasdam literas nostras patentes, majori sigillo nostro consignatas, super libertatibus ipsorum confectas, tenoris infra scripti, supplicans Nobis humiliter ac devote, ut easdem acceptare, approbare, ratificare, et novi nostri autentici sigilli appensione privilegialiter dignaremnr confirmare; quarum tenor talis est:

Nos Ludovicus, Dei gratia Rex Hungariae, etc. Diplom. LXIII 1344. pag. 96.

Nos itaque supplicationibus eorundem fidelium civium et hospitum nostrorum tanquam justis, et admissione dignis, favorabiliter et benigne exauditis, praetactas literas nostras omni prorsus suspicione carentes, praesentibus de verbo ad verbum insertas, simul cum praetactis ipsorum libertatibus, in tenore earundem expressis, acceptamus, approbamus, ratificamus, et pro eisdem fidelibus civibus nostris, eorumque successoribus authoritate Regia perpetuo valituras, confirmamus, praesentis nostri scripti patrocinio mediante. In cujus confirmationis nostrae testimonium, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et autentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai, Archiepiscopi Strigoniensis, locique ejusdem Comitis perpetui, Aulae nostrae Cancellarii dilecti, et fidelis nostri. Anno Dni Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto. Tertio Nonas Maji, Regni autem nostri tricesimo tertio. Venerabilibus in Christro Patribus et Dominis: eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi Archiepiscopis. Demetrio Varadiensi, Dominico Transsilvano, Colomano Jaurinensi, Ladislao Vesprimi-

a) V. Suppl. Anal. P. I, 395.

b) Sive Quintoforo (Csötörtökhely).

ensi, Stephano Zagrabiensi, Regnique Sclavoniae Vicario generali, Vilhelmo (Hamer) Quinque-Ecclesiensi, Dominico Chanadiensi: Fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Sirmiensi, Joanne Tinniniensi, Demetrio Nonensi, Nicolao Traguriensi, Stephano Farensi, Valentino Makariensi, Matthaeo Sibinicensi, Michaele Scardonensi, et Portina Segniensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Dionysio Waywoda Transsylvano, Comite Stephano Bubek, Judice Curiae nostrae, Johanne Magistro Tavernicorum nostrorum, Nicolao de Zech Dalmatiae et Croatiae, Nicolao de Gara de Machow Banis, et Petro Zudar Pincernarum, Paulo de Liszka Dapiferorum, Johanne Janitorum, et Emerico Agazonum nostrorum Magistris; ac Magistro Benedicto, Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

LXXXVII.

Idem (Ludovicus) una etiam Poloniae Rex liberum Igloviensibus forum die Sabbati celebrare indulget. Anno Dni 1380.

Ex autographo apud eosdem habito.

NOS Ludovicus, Dei gratia Hungariae, Poloniae [a], Dalmatiae etc. Rex, memoriae commendamus per praesentes; quod tum pro utilitate et commodo villae nostrae Iglow (*h. Igló*), alio nomine Nova-Villa vocatae, in Terra nostra Scepusiensi habitae, ut eadem in suo statu majora valeat augmentationis recipere incrementa, tum etiam ad humilem supplicationem civium et hospitum nostrorum dictae Terrae nostrae Scepus, ad eandem villam nostram Forum liberum singulis hebdomadis diebus Sabbati celebrandum, duximus annuendum, concedendum, sine tamen praejudicio fororum aliorum Comprovincialium. Nos igitur universos mercatores, ac alios quoslibet forenses homines cum rebus mercimonialibus procedentes, assecuramus, et affidamus per praesentes, quatenus ad praedictum forum liberum in dicta Villa nostra, ex nostra annuentia, modo praemisso, celebrandum, commissione, cum omnibus mercibus et rebus vestris secure veniatis, et negotiationes

a) Casimiro, Rege Poloniae sine mascula prole decedente, Ludovicus Poloniam obtinuit. Ipsius enim mater Elisabetha, filia Wladislai Loctici Polonorum Regis fuit, cui postea Poloniam gubernandam tradidit Ludovicus. Unde semet etiam Reginam Poloniae scripsit. Vivere desiit, testibus Testamenti tabulis, anno Dni 1380. V. Nicol. Schmitth Tom. I. Agrien. Episc. pag. 337.

vestras in emptionibus et venditionibus libere exerceatis in eodem, peractisque inibi negotiationibus vestris ad propria, vel alia loca, quo tenditis, pacifice et quiete procedatis, salvis rebus vestris et personis sub nostra protectione et tutela speciali. Et haec volumus in foris et locis publicis palam facere proclamari. Datum Zolii in Festo beati Nicolai Confessoris, Anno Dni Millesimo trecentesimo octuagesimo.

LXXXVIII.

Idem Rex (Ludovicus) Monte Georgensibus Sabbatale forum concedit. Anno Dni 1380.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Ludovicus, Dei gratia Rex Hungariae, Poloniae etc. memoriae commendamus per praesentes: Quod Nos tum pro utilitate et commodo oppidi nostri Montis Sancti Georgii *(h. Szepes-Szombat)* in Terra nostra Scepusiensi siti, ut idem in suo statu majora valeat augmentationis recipere incrementa, tum etiam ad humilem supplicationem civium et hospitum nostrorum dictae Terrae nostrae Scepusiensis, ad idem oppidum Forum liberum singulis diebus Sabbati celebrandum, duximus annuendo concedendum, sine tamen praejudicio fororum aliorum Comprovincialium. Nos igitur universos mercatores et alios quoslibet homines forenses, et inter vos cum rebus mercimonialibus procedentes, assecuramus, et affidamus per praesentes: quatenus ad praedictum forum liberum in dicto oppido nostro, ex nostra annuentia modo praemisso celebrari commissum, cum omnibus rebus et mercibus vestris secure veniatis, et negotiationes vestras in emptionibus ac venditionibus liberas exerceatis in eodem; peractis tandem universis negotiationibus vestris ad propria, vel ad alia loca, quae tenditis, pacifice et quiete procedatis, salvis rebus vestris ac personis sub nostra protectione ac tutela speciali. Et hoc volumus in foris ac locis publicis palam facere proclamari. Datum in Arce nostra Wissegrad in Festo beati Nicolai Confessoris, Anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo.

LXXXIX.

Menardus scultetus de Villa Batisii vendit certam terram Coenobio B. M. V. de Stohl, Ordinis S. Benedicti Anno Dni 1383.

Ex autographo apud Felkaenses habito. [a]

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum *(in diem Mundi, apud Wagner I, 415.)* labilis sit condicio caduca, et rei gestae memoria propter vitam brevem hominum, caligine oblivionis obfuscata, nequeat in aevum perdurare, provida circumspectio virorum adinvenit, ut ea, quae in tempore geruntur, ne simul cum tempore labantur, scripturarum testimonio solidentur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod providis viris Menardo, filio Johannis, sculteto de Villa Batisii *(h. Batizfalu)* de Comitatu Scepus*(iensi, a. W.)*, et Nicolao filio suo pro se, et Casparo, (*Caspare a. W.*) similiter filio suo, sine literis procuratoriis, cujus onus ratione infrascriptorum, si quod successivis temporibus emergeret, in se assumpserunt ab una; ac Religioso viro Fratre Corardo, *(Carardo a. W.)* Priore Monasterii beatae Virginis de Sthol *(h. Stola)* [b] Ordinis Sancti Benedicti, pro se similiter, et pro confratribus suis de eodem, parte ab altera, coram nobis personaliter constitutis, per eosdem Menardum et Nicolaum filium suum in suis ac dicti Caspari (*Casparis a. W.*) personis praepositum extitit ministerio vivae vocis et relatum. Quod ipsi urgentibus ipsos ad praesens pluribus necessitatibus et agendis, quae non mediocres ad ea sopienda requirunt (*exquirunt a. W.*) pecunias, atque sumptus, quasdam terras ipsorum arabiles et foenilia de scultetia ipsorum excisas, mensuras octavae dimidiae virgarum in se, secundum (*iuxta a. W.*) consuetudinem incolarum de eadem, Batizvalva mensurarum solitarum (*mensurare solitas a. W.*) habentes *), *quarum tres virgae hujusmodi mensurae inferius Villam eandem in uno loco conjunctim uno fine, ad partem meridiei et fluvium, per medium Villae Batizii* (*sic*) *praedictae diffluentem, per quem etiam via de ipsa Batizfalva ad possessionem Wilka* [c] *ducens pertransiret, alioque fine ad metas villae Gerlachy* [d] *se protenderent, situarentur, et quinta dimidia virga viarum ipsarum similiter sita,*

a) Edidit Wagner Anal. P. I, 415 nimium mance.

b) Pagus, ad radicem Carpati situs.

*) Sequentia: „q a r u m t r e s“ etc. usque „t e r r a e a d j a c e n t i s“ et paulo infra: „n i l j u r i s“ etc. usque „c u m p r i m i s c o n s e r v a r e“ apud Wagner l. c. non occurrunt.

c) Hodie scribitur Felka.

d) Hodie Gerlachfalu pagus, haud procul a Stola.

parum inferius earundem trium virgarum terrae adjacentis, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, quibus ad scultetiam praedictam pertinuisset, eaque libertatum praerogativis et exemptionis titulo, quibus praedecessores sui et ipsi possedissent eas, et possent possidere, de consensu et voluntate proximorum, et amicorum suorum, et signanter Nicolai literati, filii Johannis, fratris ejusdem Menardi e), coram nobis personaliter comparentis, et venditioni earundem Virgarum terrae benevolum consensum prebentis et assensum, predicto Monasterio beatae Virginis, et Fratribus in eo, *(eo a. W. non occurit)*, Deo jugiter famulantibus, pro sexaginta quinque *(a. W. LXV.)* florenis monetae et numeri pro tempore currentis, ab iisdem Priore et confratribus suis plene habitis et receptis, vendidissent, prout vendiderunt coram nobis ipsis et successoribus eorum Confratribus, in eodem Monasterio degere debentibus, jure perpetuo et irrevocabiliter pacifice, et quiete possidendas, tenendas, et habendas, *nil juris, nil proprietatis, nihilque dominii sibi, et suis successoribus in eisdem terris, et suis utilitatibus reservando. Sed totum jus proprietatem et dominium ipsorum ad dictum Monasterium beatae Virginis et fratres praenotatos transferendo, assumentes, praedictum Monasterium, et fratres in eo jugiter commorantes nunc, et successivis temporibus ratione ipsorum praemissorum impedientibus, et impedire volentibus, suis propriis laboribus et expensis expedire, et in dominio ipsorum cumprimis conservare.* In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesens nostrum concessimus privilegium, appensione sigilli nostri roboratum. Datum in Festo Sancti *(B. a. W.)* Johannis Apostoli et Evangelistae ante Portam Latinam, anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo tertio. *(a. W. Anno Dominicae Incarnationis MCCCLXXXIII).*

XC.

Nicolaus Knol scultetus, civitati Podolin pro 1300. florenis suam scultetiam cum adpertinentiis vendit. Anno Dni 1391.

Ex autographo apud eandem habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, notitiam praesentium habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, quae aguntur in tempore, vacillant

e) Menardus iste fuit indubie cognatus Plebani de Villa Sionis (h. Svabócz) Meynhardi, qui cum Eberhardo de Monte S. Georgii, Comite de Villa Stojani circa annum 1314 praedictum Monasterium fundavit. V. Wagner Anal. P. I, 401. item R. P. Damianus Fuxhoffer in Monasteriologia pag. 242.

facile, nisi praesidio literarum et fidelium testium adminiculo in statum solidum redigantur: proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod providus vir Nicolaus filius Jacobi, dicti Knol, sculteti de Podolin pro se personaliter, et sine literis procuratoriis pro Domina Rejna (*sic*) Mychilda, matre sua, ac Domina Catharina sorore sua, et Joanne marito ejusdem Catharinae genero suo, sine literis procuratoriis similiter, quorum onera, si quae ratione infra scriptorum temporibus successivis emergerent, et evenirent, in se assumpsit parte ab una, nec non Hanus filius Hermanni sculteti de Kalach *(h. Kolacsko)*, Jacobo dicto Muchar, Petro dicto Swawercher, et Hanus Lismecher, civibus juratis de Podolino, pro se et universitate civium de eadem Podolino parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, per eundem Nicolaum, filium Jacobi dicti Knol scultetum, in sua et praedictorum matris, sororis et generi personis extitit confessum testimonio vivae vocis, quod ipsi praedictam Scultetiam eorum, in praedicta Podolin ipsos contingentem, cum Curia ipsorum in eadem Podolino ad ipsos pertinente, cum parte Judicii, terris arabilibus cultis et incultis, silvis, pratis, rubetis, parte molendini, precio Scampriorum (macellorum) carnium, ac ceteris omnibus et singulis utilitatibus et pertinentiis suis universis, quibus ad ipsos vigore efficacissimorum literalium instrumentorum pertinuisset, et pertineret; nihil juris sibi et suis successoribus reservando in eisdem; praeallegatae universitati civium et hospitum de eadem, pro mille et trecentis florenorum monetae usualis, pro tempore currentis, ab ipsis, ut dicebat, plene habitis et receptis, se et suos successores, in quantum juris est, de dominio scultetiae, partis scilicet ipsorum pertinentiarum suarum penitus excipiendo, et removendo vendidissent, et vendiderunt coram nobis, ipsis et per eos ipsorum haeredibus, haeredumque suorum successoribus jure perpetuo et irrevocabili possidendam, tenendam, habendam, et nunquam ad dominium ipsius scultetiae, et pertinentiarum suarum, partium scilicet ipsorum, regressum sibi et haeredibus suis aliqualem reservantes. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras concessimus privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Festo beati Nicolai Confessoris, anno Dni Millesimo trecentesimo nonagesimo primo.

XCI.

Sigismundus Hungariae Rex attestatur, quosdam Scepusienses Nobiles exercituali contra Turcas expeditioni interfuisse. Anno Dni 1391.

Ex autographo in tabulario familiae Máriássy existente.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Marchioque Brandenburgensis etc. Memoriae commendamus per praesentes: Quod Nos Petrum, filium Markus de Markusfalva, Johannem et Stephanum, filios suos, ac Blasium et Nicolaum filios Ladislai de Jemnik *(h. Jamnik)*, in Comitatu Scepusiensi existentes, in praesenti nostra expeditione exercituali contra Turcos, nostros et Regni nostri aemulos imperata, qui juxta statuta Sanctorum Regum et nostram sanctionem infra limites dicti Regni Hungariae proficisci tenebantur, interfuisse attestamur. Ideo ipsos de praemissis ad propria eorum habitacula duximus remittendos; ipsos in hac parte habentes supportatos ac eximendos, harum nostrarum tenore literarum. Datum in descensu nostro campestri prope Castrum Gerebuncs, ipso die Festo beati Ladislai. Anno Dni Millesimo trecentesimo nonagesimo primo.

XCII.

Privilegiales super metarum erectione Villae Latinae. Anno Dni 1399.

Ex autographo in archivo oppidi existente.

CAPITULUM Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Sagax humanae naturae discretio labilitatem memoriae hominum pensata, scripturae ministerium adinvenit, per quod vota et gesta hominum scribuntur, et scripta postmodum longum servantur in aevum: Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, nos literas Serenissimi Principis Domini nostri Sigismundi, Dei gratia Regis Hungariae, Dalmatiae etc. Marchionisque Brandenburgensis etc. omni cum reverentia recepimus in haec verba:

Sigismundus, Dei gratiae Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Marchio Brandenburgensis etc. Fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Dicitur Nobis in personis Judicis et Juratorum civium ac uni-

*

versorum hospitum et populorum nostrorum de Villa Latina [a], quomodo eadem Villa Latina *(lat. etiam Olaszinum, hung. Szepes-Olaszi)* ac universae ejus pertinentiae metarum reambulatione, ac erectione, nec non renovatione, et ab aliorum possessionariis juribus sequestratione plurimum indigeret, super quo fidelitati vestrae firmiter praecipientes, mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Ladislaus filius Máriás de Marcusfalva, vel Daniel, filius Johannis de Krompach, seu Antonius filius Nicolai de eadem Marcusfalva, seu Jacobus filius Ladislai de Sygra [b], tum Paulus filius Pauli de Aranyos, aliis absentibus, homo noster, ad faciem praedictae civitatis, Villa Latina vocatae, vicinis et commetaneis ejusdem universis inibi legitime convocatis, et praesentibus accedendo, reambulet eandem per ipsius veras metas antiquas, novas secundum veteres in locis necessariis erigendo, reambulatamque et ab aliorum possessionibus metaliter sequestratam et distinctam relinquat eandem annonatis Judici, Juratis et universis Civibus de praedicta Villa Latina, jure ipsis incumbente, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, citet ipsos contra eosdem Judicem, Juratos et universos Cives de Villa Latina nostram in praesentiam, ad terminum competentem, rationem de praemissis reddituros efficaciam. Et post haec seriem ipsius possessionariae reambulationis, metarum erectionis et renovationis cum nominibus citatorum, si qui fuerint, terminoque assignato nostrae fideliter Majestati rescribatis. Datum Cassoviae Feria quarta proxima post Dominicam Judica. Anno Dni Millesimo trecentesimo nonagesimo nono.

Nos igitur mandatis ejusdem Dni nostri Regis humiliter, ut tenemur, obedire cupientes, una cum Ladislao filio Máriás de Markusfalva, homine ipsius praedicto, nostrum misimus hominem, videlicet Dnum Christoforum Fratrem, et Concanonicum nostrum, pro testimonio fide dignum, ad praemissa exequenda, qui demum redeuntes, nobis concorditer retulerunt, quod praefatus homo Regius, praedicto testimonio nostro praesente, in Dominica Ramis Palmarum proxime praeterita, et aliis diebus, immediate ipsam diem Dominicam sequentibus ad hoc aptis, ad faciem praedictae civitatis Villae Latinae, vicinis et commetaneis ejusdem universis, inibi legitime convocatis et praesentibus, accedendo, reambulasset eandem per ipsius metas antiquas infra scriptas, easdem antiquas renovando, reambulatasque ab aliorum

---

a) V. Suppl. Anal. P. I, 30. 203.
b) Ibidem P. 39, 368.

possessionibus per novas metas separando, et distinguendo, reliquisset eandem annotatis Judici, Juratis et universis Civibus de praedicta Villa Latina, jure ipsis incumbente perpetuo possidendam, nullo inibi contradictore apparente, et existente. Cursus vero metarum praedictarum, ipsam Villam Latinam ab aliorum possessionibus infrascriptis separantium, dignoscitur esse talis: Quod prima meta inciperet in rivulo, Kaldeseiffen nominato, descendendo curreret in fluvium Hornad usque ad unum lapidem, in sinistro latere ipsius fluvii existentem, de quo lapide ascenderet versus rubetum, vulgariter Neu-Rolna dictum, erectum, et habitum in quodam prato, ex ipso transeundo versus plagam meridionalem tangeret unum lapidem erectum, signatum in superiore parte ipsius montis existentem, et ab ipsa antiqua meta ascenderet in dorso ipsius montis ad unam Terream metam antiquam renovatam, in se quatuor arbores Tiliae continentem, quamlibet ipsarum cum cruce de novo signatam, et de ipsa antiqua meta, in dorso ipsius montis ascendendo et declinando, perveniret ad unam antiquam metam terream renovatam, ex ipsa meta terrea ascenderet ad summitatem ejusdem montis ad unum lapidem, Weiss-Stein vocatum, quae metae separarent ipsam Villam Latinam a villa Kolinfalva *(h. Kolinócz)* vocata, subscriptam, de quo lapide Weiss-Stein penes terminos possessionis Krompach [c] per cacumina montium ascendendo, et descendendo versus plagam occidentalem, perveniret ad viam quandam, per quam transiretur ad ruffum montem, et inde transiens ipsam viam, descendendo in latere montis ad unam parvam vallem, adjacentem in summitate montis Lachenthal vocatam, unam antiquam metam in se continens, de novo renovatam, quae metae ipsam Villam Latinam separarent a dicta possessione, Krompach nuncupata, de qua antiqua meta et valle descenderet ad aliam vallem, in qua oriretur rivulus, vulgariter Weiss-Wasser nuncupatus, qui rivulus transiret per medium Altznow *(h. Olcznó)*, et in ipso descenderet ad praedictum fluvium Horna*th* penes Ecclesiam lapideam Virginis gloriosae, in eadem Altznow existentem, in quo fluvio Hornath descenderet ad unum fossatum penes aquam in sinistro latere ipsius existentem, quae metae separarent ipsam Villam Latinam a possessione Altznow praenotata, et in eodem fossato ascenderet versus Aquilonem ad unam vallem, quae vulgariter dicitur Plabenthal *(sic)* usque ad viam, per quam iretur ad possessionem Grancza [d]*)

c) Spectabat olim ad Scepusiensem Districtum, non obstante, quod loci hujus Plebani, ita dictum Cathedraticum, Budensi Praeposito de Viridi Campo solvere fuerint obligati, quod de Altznoviensi quoque intelligendum est.

d) Grancs hodiedum vocatur, ita Schmauk, *) ast erronee, sub Grancza hodiernum Körtvélyes antiquis Grauscha vocatum, intelligatur — quod contextui apprime quadrat.

nominatam, et in eadem via reverteretur versus orientem, descenderetque in ipsa via, et transiret ad aliam viam, quae duceret ad molendinum de Eulenbach [e] et perveniret ad fines terrarum arabilium praedictae Villae Latinae; ascendendo ad summitatem montis ad duas antiquas terreas metas, in dorso ipsius montis existentes, et de ipsis duabus metis transiret usque ad rubetum, in eodem monte habitum, qui vulgariter dicitur Stolcsek (*sic*), circa se tres metas antiquas terreas existentes, quarum una de ipsa Villa Latina, altera de Eulenbach, et tertia de Aranyos [f] *), quas metas universitas civium de praedicta Eulenbach inter se, et ipsam Villam Latinam fide rei veritatis adstruxissent, sed renovare sine Comite Terrestri [g] non admisissent. Ex ipsis tribus metis transeundo versus orientem in finibus terrarum arabilium, et pervenirent ad duas antiquas metas terreas, quae separarent, et dividerent terras ipsius Villae Latinae, et possessionis Aranyos praedictae, et de ipsius descenderet ad fluvium fluentem de possessione, Sygra (*h. Zsegra*) nominata, et ipso ascendendo ad quandam semitam, in qua de eadem villa transiret ad possessionem Sygra praenotata, et de ipsa semita circa unum fossatum ascenderet, et descenderet ad unam vallem, et de ipsa ad altum montem ad duas antiquas terreas metas, quae separarent ipsam Sygram a possessione Olsva [h], de quibus metis descenderet usque ad aquam, Olsva vocatam, et circa ipsam aquam descenderet ad viam, quae ducit de Villa Latina ad possessionem Zeek (*h. Szlatvin*) deinde per eandem ascenderet usque ad unum fossatum, quod divideret ipsam Villam Latinam a possessione Zeek praedicta, deinde ascendendo per villas Gerhardi [i], ascenderet in latere ejusdem montis versus villam Johannis *), in sinistro latere ipsius montis, et descenderet ad metam primam, in qua cursus metarum inchoaret, et si metae ipsam Villam Latinam ambientes, et circumdantes terminarentur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes nostras concessimus literas, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in crastino Festi Paschae Domini anno ejusdem Millesimo trecentesimo nonagesimo nono praenotato.

---

e) Welbach, unum ex 24. Regalibus Scepusiensibus civitatibus.

f) V. Suppl. Anal. P. I. Diplom. XXV. p. 95. *) Aranyos praedium, hodie (1889) non existit.

g) Sive Saxonum.

h) Olsawka, h. Olsavka.

i) h. Dobravola.

*) Johannis villa, Jánosháza, praedium, hodie (1889) non existit.

In dorso: Ad requisitionem Rndi Dni Petri Berzko, Praepositi Albensis, Secretarii Regis. Joannes, Summus Cancellarius. m. p.[k]

XCIII.

Sigismundus, Hungariae Rex, privilegiales Stephani respective Belae Regis, ad instantiam Késmarkiensium confirmat. Anno Dni 1399.

Ex autographo coram Barkocziana commissione producto.

NOS Sigismundus, Dei gratia Rex Hungariae etc. memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod discretus vir Dnus Johannes, Plebanus Ecclesiae de Késmark sua, ac universorum Civium et Hospitum nostrorum de eadem personis, ad nostrae Majestatis veniens praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas privilegiales olim Serenissimi Principis Dni Stephani, Dei gratia Regis Hungariae, felicis memoriae praedecessoris nostri et quoddam privilegium condam Belae Regis, similiter praedecessoris nostri, piae recordationis, super libertatibus praedictae civitatis nostrae de Kismark, et civium ejusdem confectum, confirmative in se habentis, supplicans nostro culmini humili precum cum instantia, suo et praedictorum universorum civium nostrorum de praedicta Kismark hominibus, ut easdem literas ratas, gratas, et acceptas habentes, praesentibus nostris literis patentibus verbotenus inseri facientes, pro eisdem confirmare dignaremur: quarum tenor talis est:

Stephanus, Dei gratia Hungariae Rex etc. V. Diplom. VIII. 1269 pag. 10.

Nos itaque, qui ex suscepti nostri Regii regiminis officio circa commodum et tranquillum statum Regnicolarum nostrorum cura solerte debemus invigilare, supplicationibus praefati Johannis Plebani, nostrae Celsitudinis per ipsum in personis, quibus supra, humiliter porrectis, Regio cum favore exauditis et admissis, literarum praedictarum privilegiales memorati olim Domini Stephani Regis, quamvis eaedem propter malam et negligentem earum conservationem in sigillo et serico diruptae et corrosae habeantur, tamen easdem, diligenti

k) Scilicet Joannes II de Kanizsa, Archiepiscopus Strigoniensis. Ipsum Bonifacius IX. anno 1374. Primatem Regni Hungariae et Sedis Apostolicae Legatum natum dixit, a quo deinde hi honorum tituli ad posteros transiere. Attamen Summi — seu Eximii — Cancellarii dignitas, qua a Sigismundo Rege condecoratus erat, Metropolitis Strigoniensibus nequaquam haereditaria perstitit. Primas tamen Hungariae non is primus fuit, siquidem certum sit, jam anno 1239. Mathiam Strigoniensem Metropolitam a Bela IV. Primatem Hungariae salutatum fuisse.

examinatione praehabita, veras et justo modo emanatas fore reperientes, ratas, gratas et acceptas habentes, nostris literis patentibus de verbo ad verbum inseri facientes, quoad omnes earum continentias et clausulas pro eisdem civibus dictae civitatis nostrae Kismark perpetuo valituras, confirmamus, harum nostrarum literarum vigore. Datum in Leucha[a]) Feria quinta post Festum Mathiae Apostoli. Anno Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo nono.

XCIV.

Idem Rex (Sigismundus) Késmarkiensium praerogativas itidem confirmat. Anno Dni 1399.

Ex fonte eodem.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Hungariae etc. Rex, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius, nec non Bohemiae et Lucemburgensis Haeres: Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, salutem in omnium Salvatore. Solet a Principe confirmari, quod licite postulatur. Quia sicut juris est, occupata indebite in statum debitum revocare, sic est aequitati consonum, obtenta legitime, Regio patrocinio roborare. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod fideles nostri Nicolaus notarius, Theodoricus et Abel cives civitatis nostrae Kismark in suis ac universorum civium et hospitum nostrorum de eadem personis, nostrae Majestatis venientes in praesentiam, exhibuere Nobis quasdam literas nostras patentes, minori et secreto Sigillo nostro novo insignitas literas privilegiales, olim Serenissimi Principis Dni Stephani quoddam privilegium, et condam Dni Belae, Dei gratia Regum Hungariae, Illustrissimorum Praedecesorum nostrorum laudandae recordationis, super facto libertatum et praerogativarum dictae civitatis nostrae Kismark, et civium ejusdem emanatas, et confectas, confirmative in se continentes, tenoris infrascripti: Supplicantes exinde iidem in suis ac totius communitatis concivium et hospitum ipsorum de eadem personis nostrae Majestati prece humillima et devota, ut easdem literas nostras patentes ratas, gratas, et acceptas habendo, nostris literis privilegialibus verbotenus inseri, et redigi faciendo, pro dictis civibus et hospitibus nostris de dicta Kismark, eorumque haeredibus et successoribus

a) Leutschovia (Lőcse).

innovantes, perpetuo valituras, dignaremur confirmare: quarum tenor per omnia sequitur in haec verba:

Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungariae etc. V. Dipl. XCIII. 1399. p. 143.

Stephanus Dei gratia Hungariae etc. Rex etc. V. Diplom. VIII. 1269. 10.

Nos igitur humillimis et devotis praefatorum Nicolai notarii, Theodorici et Abel civium dictae civitatis nostrae de Kismark supplicationibus ante fatis, per ipsos in suis et totius universitatis concivium et cohospitum ipsorum de dicta Kismark personis, nostrae humiliter oblatis Majestati, Regia benignitate exauditis, clementer et admissis, praefatarum nostrarum literarum patentes, omni prorsus suspicionis vitio carentes, praesentibusque de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earum continentias clausulas, et articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus: eas nihilominus Praelatorum et Baronum nostrorum consilio praehabito, simul cum ante fatis civibus et hospitibus nostrae civitatis de Kismark, ipsorumque haeredibus et successoribus universis innovantes, perpetuo valituras, confirmamus, praesentium literarum nostrarum privilegialium patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus eisdem literas nostras privilegiales, pendentis et autentici Sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, et Domini Dni Joannis de Kanisa Archiepiscopi Almae Ecclesiae Strigoniensis, Locique ejusdem Comitis perpetui, nec non Primatis et Sedis Apostolicae Legati, Aulaeque nostrae Majestatis Summi Cancellarii, dilecti nostri et fidelis. Anno Dni Millesimo trecentesimo nonagesimo nono, supra dicto, Quarto Kalendas Decembris, Regni autem nostri decimo tertio. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis, Valentino titulo Sanctae Sabinae, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, et Ecclesiae Quinque Ecclesiensis Gubernatore[a], et eodem Dno Joanne ipsius Strigoniensis, Nicolao Bubek[b] Colocensi, Petro Jadrensi, Andrea Spalatensi, et altero Andrea Ragusiensi Archiepiscopis. Luca Varadiensi, Transilvana Sede vacante, Eberhardo Zagrabiensi, Stephano Chyko[c] Agriensi, Johanne Bosnensi, Michaele Vesprimiensi, Johanne Jaurinensi, Petro Waciensi, Fratre Thoma Sirmiensi, Petro electo Nitriensi, Fratre Georgio Chanadiensi, Chrysogono Traguriensi,

a) Non igitur actualis Quinque-Ecclesiarum Episcopus, licet adhuc anno 1381. ab Urbano Papa in Patrum Purpuratorum Senatum adlectus fuerit. Obiit anno Dni 1408. V. Purpur Pannonicam p. 43—46.

b) Bubekii celebris in Hungaria familia. Ex ea prodierunt Proceres Auranae, Magistri Tavernicorum, Judices Curiae, Palatini Regni, atque Nicolaus iste Dobocensis Archiepiscopus.

c) V. Nicol. Schmitth Tom. I. Episcop. Agrien. p. 371—381.

Francisco Scardonensi, Ladislao Tinniniensi, Johanne Nonnensi, Antonio Sibinicensi, Nicolao Corbaviensi, et Leonardo Segniensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Nec non magnificis viris: Detrico Bubek, Regni Hungariae Palatino, Styborio de Styborich[d] Wojwoda nostro Transsilvaniae, et Comite de Zounok, Comite Franc (Francisco) filio quondam Konye Bari, Judice Curiae nostrae, Nicolao de Gara, Dalmatiae, Croatiae praedictorum, ac totius Sclavoniae, Francisco Bebek, et Joanne de Maroth Machoviensi Banis, Honore Banatus Zevriensis vacante. Georgio filio Jaket Tavernicorum, Stephano de dicta Kanise Janitorum, Johanne dicto Groff Dapiferorum, Emerico de Perény Pincernarum, Johanne filio Magistri Ladislai, filii condam Comitis Stephani Bubek, Agazonum nostrorum Magistris. Dein Styborio Comite Posoniensis, aliisque quam pluribus Comitatus nostri Regni tenentibus et honores.

Diplomata Seculi XV.

XCV.

Idem Rex (Sigismundus) Villam Kolynfalva unam marcam gravis ponderis sibi inferentem, pro refrigerio animae suae, suorumque parentum, Olasziensi deputat Ecclesiae. Anno Dni 1404.

Ex autographo in tabulario oppidi Olasz (Szepes-Olaszi) existente.

NOS Sigismundus, Dei gratia (Rex) Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Serviae, Galli*c*iae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Marchio Brandenburgiae etc. Sacri Romani Imperii Vicarius Generalis, et Regni Bohemiae Gubernator: Memoriae commendamus per praesentes, quod Nos tum ob devotae sinceritatis zelum, et charitatem perfectae dilectionis, quam in honorem beatissimi et praeclari praecursoris Domini, Sancti Johannis Baptistae, oppidi nostri Wa*ll*endorff[a] vocati, Terrae nostrae Scepusiensis,

---

d) Fuit hic de minori Stiborich, cognatus Equitis poloni Stiborii de Stiborich, de quo Cromerus lib. XIV. refert: quod, dum Sigismundus Rex per Bajazetem clade affectus fuisset ad Nicopolim, is armis indutus insiliisset in Danubium, ac vastissimum flumen feliciter superasset. Deinde factus Comes Posonionsis, ad regias prope divitias pervenit, unusque illos inter potentes nobiles fuit, qui sub Sigismundianis turbis Archi- et aliorum Episcoporum bona invasit, ac partitus est. V. Nicol. Schmitth Tom. I. Episcop. Agrien. p. 359.

a) Wlachi slavis, V. Suppl. Anal. P. I, 30, 203; h. Szepes-Olaszi.

semper gessimus, et gerimus, gerereque volumus divino opitulante juvamine in futurum; tum etiam pro uberiori statu, et commodo Parochialis Ecclesiae, in dicto oppido nostro in honorem ipsius beati Johannis Baptistae fundatae, et Rectorum ejusdem, Deo famulantium in eadem, ut ex eo anima nostra et parentum nostrorum aeterni refrigerii, parcente Domino, incrementa suscipiant, et ad perpetuae visionis mereantur perduci claritatem, nec non etiam ad humilem supplicationis instantiam fidelium nostrorum privatorum virorum Trumoldi Judicis, Nicolai Phas moderni Judicis, nec non Jacobi Chák dictorum civium dictae civitatis nostrae Wallendorf, nostrae exinde humillime porrectam Majestati, praedictae Parochiali Ecclesiae, in dicto oppido nostro Wallendorff, et per consequens Plebanis seu Rectoribus ipsius Ecclesiae pro tempore praesidentibus, unam Marcam gravis ponderis, camerae nostrae Scepusiensis, Nobis singulis annis de Villa nostra, Kolynfalva vocata, dictae Terrae nostrae Scepusiensis, ratione censuum et dationum ejusdem more solito provenire debentem, a modo in antea temporibus perpetuis et successivis similiter singulis annis duximus deputandam et proveniendam. Ita tamen, quod singuli Plebani ipsius Parochialis Ecclesiae beati Johannis Baptistae, in annotata Ecclesia pro salute animae nostrae singulis diebus in perpetuum unam Missam ad honorem ipsius Sancti Johannis Baptistae teneatur facere celebrare; harum nostrarum testimonio literarum. *) *Quocirca Vobis fidelibus nostris Comiti Terresti, et Judicibus ac Juratis civibus XXIV. Civitatum dictae Terrae, nec non cunctis aliis exactoribus censuum nostrorum in dicta Terra nostra Scepusiensi constitutis, et constituendis, firmissime praecipimus et mandamus, quatenus populos nostros de dicta Kolynfalva (h. Kolinócz), occasione praetactae unius marcae ullo unquam tempore, quovis modo perturbare praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Aliud gratiae nostrae sub obtentu non facturi. Praesentes etiam post lecturam semper reddi jubemus praesentati.* Datum in Leutscha (Löcse) Feria tertia proxima post Dominicam Reminiscere. *(a. W. MDCDIV). Anno Dni Millesimo quadringentesimo quarto. Praesentes vero, dum Nobis in specie fuerint reportatae, in formam nostri Privilegii redigi faciemus.* b)

---

*) Sequentia: „Quocirca" etc. usque „praesentanti", et „Anno Dni" etc. apud Wagner in Anal. Scepus P. I, 272 non occurrunt.

b) Isthoc privilegium confirmavit Wladislaus Rex Hung. anno 1494. Ibidem pag. 281.

XCVI.

Idem Rex (Sigismundus) Podolinensium Privilegium confirmat. Anno Dni 1404.

Ex autographo Podolini habito.

NOS Sigismundus, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae etc. memoriae commendantes, notum facimus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod fideles nostri: Nikel Harrer, Jekel Schuster, Jakus Greb et Niklas Neymarkter, jurati cives nostrae Civitatis de Podolin in suis et universorum civium ac hospitum de eadem personis, Culminis nostri adeuntes conspectum, exhibuerunt Nobis quasdam literas condam Serenissimi Principis Wenceslai, Regis Bohemiae, Ducis Cracoviae et Sandomiriae, Marchionis Moraviae, tenoris infrascripti: Supplicantes itaque nostrae Celsitudini praefati nostri cives nominibus, quibus supra, ut praetactas literas nostris literis de verbo ad verbum inseri, seu transcribi faciendo ac ipsas ratas et gratas habendo, eisdem consensum nostrum Regium dignaremur praebere, pariter et assensum: Quarum tenor sequitur in haec verba:

Nos Venceslaus, Dei gratia Rex Bohemiae etc. V. Suppl. Anal. P. I, 350.

Nos itaque consideratis fidelibus praefatorum civium et hospitum nostrorum de Podolin, signanter inspectis oppressionibus et multifariis damnificationibus, quibus iidem his disturbiorum temporibus dire perturbati perhibentur; pro quorum refocillatione et reformatione volentes ipsis speciali occurrere Regio cum favore, supplicationibus ipsorum, tanquam rationabilibus, benigne inclinati, praedictas literas Dni Venceslai Regis non abrasas, nec cancellatas sed prorsus omni vitio et suspicione carentes, nostris praesentibus literis de verbo ad verbum inseri seu transcribi faciendo, ac ipsas ratas, gratas habendo, eisdem consensum nostrum Regium praebemus, pariter et assensum, praesentium nostrarum testimonio literarum: quas si opus fuerit, in formam nostri privilegii faciemus redigi, dum Nobis in specie fuerint reportatae. Datum Lewche *(h. Lőcse)* Feria quinta in Festo Sancti Valentini Martyris. Millesimo quadringentesimo quarto.

XCVII.

Privilegium Ecclesiae Podolinensis super quarta puellari, praedio Kromlow inhaerente. Anno Dni 1407.

Ex autographo in tabulario oppidi Podolin existente.

NOS Nicolaus Custos et Vicarius Ecclesiae beati Martini de Scepus, in Spiritualibus Generalis. Memoriae commendantes tenore praesentium, significamus, quibus expedit universis: Quod, cum juxta continentiam literarum nostrarum arbitrariarum, Nicolaus filius Johannis, filii Edes de Bethlemfalva, ut actor ab una, ac Paulus filius Egidii, Mathias filius Pauli, et alter Mathias filius Petri de eadem Edusfalva, *(h. Hadusfalu)*, ut in causam attracti, parte ab altera, praesente Reverendo in Christo Patre, Dno Ladislao Episcopo Tinniensi, Gubernatoreque Abbatiae de Scepus[a] obtenta prius nostra judiciaria licentia, se in causa quartae puellaris (seu quartae partis) possessionis Kromlio[b] vocatae, nobili Dominae Alleta vocatae, aviae partium praedictarum, pro jure suo, scilicet quarta puellari, ut dicitur, extendatur; de qua parte idem Nicolaus filius Johannis, litem movisset contra eosdem coram Nobis tali modo: ut quidquid iidem probi viri, auditis partium propositionibus, visisque juribus eorundem, in Quindenis Festi Paschae Domini per partes easdem aequali numero eligendi, in Monasterio beatae Mariae Virginis de Schebnik *(h. Schavnik)*, in praemissis arbitrarentur, laudarent, definirent, ordinarent, et disponerent, hoc totum ambae partes acceptare, et tolerare debent, et tenentur, contradictione absque omni, sub poenis in contradictores in dictis prioribus literis nostris lucide expressatis. Tandem praefatus Dnus Ladislaus Episcopus exinde ad Nos rediens, Nobis retulit isto modo: Quomodo ipsis Quindenis Paschae Domini concurrentibus, praefatus Nicolaus, filius Johannis pro parte sua Jacobum, filium Stanislaum de Bethlemfalva, et Johannem filium Hank de Urbanfalva[c] statuisset et adduxisset; item praefati Paulus, filius Egidii, Mathias, filius Pauli, et alter Mathias, filius Petri pro parte ipsorum, Joannem filium Jordani de Kerchvélyes *(h. Körtvélyes)*, et Jacobum Kurgui[d] Comitem Saxonum Terrae Scepusiensis, modo simili pro arbitris statuissent et adduxissent. Quibus adductis et statutis

---

a) Ordinis Cisterciensis in Schavnik.

b) Isthoc praedium Podolinensi terreno trans fluvium Poprad contiguum olim fuit; hodie desideratur.

c) Urbanfalva circa Quintoforum (Csötörtökhely) exstitit.

d) Kurgui, sive de Görgő, penultimus Comes viginti quatuor XXIV. Scepusiensium civitatum, de quo uberiora alias.

una cum aliis probis et nobilibus viris, auditisque partium propositionibus, et allegatis, visisque ipsorum juribus, solum Deum habendo prae oculis et ejus justitiam, facto in praemisso tulit, arbitris existentibus, Sententiam: quod praefata quarta pars possessionaria ratione ejusdem Dominae Alleta vocatae, aviae partium praefatarum, omni via et jure ipsam Dominam concernens dinosceretur, et post sequens eundem Nicolaum, filium Johannis, filium nepotis annotatae Dominae: Cui arbitrio et dispositioni idem Paulus, Mathias, et alter Mathias ipsorum benevolum consensum praebuissent et assensum. Nos igitur audita, et accepta relatione ipsius Domini Episcopi Nobis facta, eundem Nicolaum, filium Johannis, in dominium ejusdem quartae partis, per discretum virum, Dnum Lucam Plebanum de Podolino, hominem nostrum, fecimus introduci, ipsamque partem sibi statuere faciendo, more consueto, nullo penitus contradictore inibi existente, et apparente. In cujus rei memoriam, stabilitatemque perpetuam praesentes nostras concessimus eidem Nicolao literas privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum apud praedictam Ecclesiam Sancti Martini *(Szepeshely)* Feria quarta, proxima post Festum beati Georgii Martyris. Anno Dni Millesimo quadrigentesimo septimo.

XCVIII.

Literae metales civitatum Montis S. Georgii et Villae Michaelis Regalium, silvas earundem attinentes. Anno Dni 1407.

Ex autographo in archivo Montis S. Georgii existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes tenore praesentium, significamus, quibus expedit universis: Quod Reverendus in Christo Pater, et Dnus Frater Ladislaus, Episcopus Tinniniensis, Commendator, et Gubernator Abbatiae Monasterii Beatae Mariae Virginis de Chebnik (Schavnik) ac providus et discretur vir Jacobus, Comes Saxonum Terrae Scepusiensis de Leucha (Lőcse)[a] ad nostram personaliter venientes praesentiam, proposuerunt viva voce in hunc modum: Quomodo ipsi de literario mandato Serenissimi Principis Domini nostri Sigismundi,

---

a) Ita dictus, quia Leutschoviae tanquam in judiciario, protunc Saxonum Loco, habitabat. V. Suppl. Anal. P. I, 108.

Dei gratia Regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Marchionisque Brandenburgiae etc. Sacri Romani Imperii Vicarii Genaralis, et Regni Bohemiae Gubernatoris, ipsis firmiter injuncto, inter alia mandata et negotia, ipsius Dni nostri Regis exercenda, prout in suis literis super inde emanatis, plenius et lucidius continetur, ad superficiem metarum silvae Montis Sancti Georgii, *(Szepes-Szombat)*, et Villae Michaelis (*Sztrázsa*) Regalium accedendo, ipsasque silvam et metas revidendo, hoc ordine ab invicem distinxissent, separassent, et reambulassent: Quod prima meta inciperet inter quandam viam, et quoddam rubetum ad villam Slangdorff[b] pertinentium, in una meta terrea, et iret directe ascendendo versus plagam aquilonis, et perveniret ad quendam lapidem super quodam fluvio, vulgo A*w*enwasser[c] vocato, exeuntis, et ab eodem lapide ascendendo in dicto rivulo ad caput ipsius fluvii, et a capite ipsius fluvii tenderet ad plagam occidentalem per montes, et perveniret ad unum fluvium, Filkwasser vulgo nuncupatum, et abhinc iret ad metas Nobilium de Villa Bonsi[d] et Gerlaci[e]. Ubi circa quemdam fluvium R*u*thwasser[f] vocatum, metam terream erexissent, et abhinc tenderet versus plagam septentrionalem ad primam metam, cujus silvae medietatem, a parte orientali existentem, Villae Michaelis ante dictae, de ejusdem Domini nostri Regis mandato statuendo, divisissent possidendam, tenendam et habendam. Quibus sic, uti praemittitur, per ipsos peractis, et finitis, relationibusque ipsorum Domini Episcopi et Comitis, nobis factis, et per nos acceptis, ad petitionem providorum et discretorum virorum, Judicis, Juratorum et Incolarum de dicto Monte Sancti Georgii, et de Villa Michaelis, praesentes literas nostras super praemissis concessimus eisdem pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Feria sexta proxima ante Festum Circumcisionis Domini, anno ejusdem Millesimo quadringentesimo septimo.

---

b) Hodie Nagy-Szalok, germanis Gross-Schlagendorf. In Caroli Regis Diplomate de anno 1312, Schlauk, v. pag. 42.

c) Rectius, Anna-Wasser, uti hodie (1806) vocatur.

d) Botizii, sive Batiszfalva. V. Suppl. Anal. P. I, 98 et 134.

e) Gerlachfalva a conditore suo Gerlaco ita dicta.

f) Hodie (1806) Rothwasser, rubra aqua.

XCIX.

Providus vir Hank, Judex Matthaeivillensis, privilegiales literas rescribi curat. Anno Dni 1408.

Ex authographo penes Matthaeivillensem Parochiam existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes tenore praesentium, significamus, quibus expedit universis: Quod providus vir Hank, filius Petri, Judex de Villa Matthaei, ad nostram personaliter veniendo praesentiam, exhibuit nobis quasdam literas nostras privilegiales tenoris infrascripti, petens nos humili precum cum instantia, ut easdem demum sub sigilli nostri testimonio rescribi facere dignaremur ad cautelam.

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Diploma XXII. 1308 pag. 29.

Nos Capitulum — damus pro memoria etc. V. Suppl. Anal. P. I, 245.

Nos igitur justis et legitimis petitionibus ejusdem Hank Judicis favorabiliter inclinati, praedictas literas nostras omni prorsus vitio et suspicione carentes, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento, praesentibus inseri fecimus, et conscribi, appensioneque sigilli nostri communiri, ad cautelam praenotatam. Datum Feria secunda proxima ante Festum beatae Luciae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo octavo.

C.

Martinus Danczward, civis Matthaeivillensis, 24. agrorum jugera pro 100 flor. auri Ecclesiae Matthaeivillensi oppignorat. Anno Dni 1408.

Ex autographo penes hancce Matthaevillensem Parochiam existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis. Quod prudens vir Martinus Danczward dictus, civis et hospes de Villa Matthaei Regali, coram nobis personaliter constitutus, exstitit confessus oraculo vivae vocis: quod ipse compulsus quadam gravi necessitate, ad praesens ipsum urgente, quandam particulam terrae suae, ad viginti quatuor jugera se extendentem, in metis ejusdem Villae Matthaei a parte L*u*m*p*ni*tz (Kakas — sive Nagy — Lomnicz)* adjacentem, per praedecessores suos a Magistro Ricolpho de eadem L*u*m*p*ni*tz*, vigore aliarum literarum nostrarum, exinde confectarum,

comparatam, et emptam pro viginti quatuor marcis fini argenti [a] Ecclesiae Sancti Stephani Regis de eadem pro centum florenis auri, et justi ponderis ab eadem, prout dicebat, plene habitis et receptis, pignori obligasset, et obligavit coram nobis, tamdiu possidendam, tenendam et habendam, et quaslibet utilitates dictae terrae et jugerum integre percipere, quousque pro eisdem centum florenis puri auri redimere possit ab eodem: Assumens praefatam Ecclesiam Sancti Stephani praevia ratione ab omnibus et singulis impetitoribus, propriis suis laboribus et expensis, expedire, tueri, et defendere. In cujus rei memoriam praesentes nostras concessimus literas eidem Ecclesiae, ad petitionem Georgii Vitrici ejusdem [b] pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Festo beati Thomae Apostoli Anno Dni Millesimo quadringentesimo octavo.

CI.

Sententionales Sacrae Sedis Scepusiensis super jure Hospitalis Sancti Spiritus de Leibicz. Anno Dni 1409.

Ex autographo Leibiczii asservato, cum sigillo pendenti in cera nigra.

NOS Christianus Cantor Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, ex rationabilibus causis vices gerens honorabilis viri, Domini Nicolai Vicarii, et Custodis ejusdem Ecclesiae in Spiritualibus generalis. Quum reminiscentia humana obtenebrato Gymnasorum reclusa ergastulo in dies patulo novercatur, si non stylo ferreo plumbi laminae, aut pellium, seu bombacis literarum limaturis fideliter desculpetur: Ideo memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod, cum receptis literis praefati Dni Nicolai Vicarii, processum causae inter discretos viros, Dnos Nicolaum Plebanum de Leubitz ab una, et Johannem assertum Hospitalensem, super jure Hospitalis Sancti Spiritus de eadem, ab altera partibus, juxta consuetudinem

a) Ab eo videlicet tempore, quo Ricolphus Judici Matthaeivillensi Gochalco anno 1285, V. Suppl. Anal. P. I, 245 dimidietatem ex 48. jugeribus in perpetuum vendidisset, et illam quidem post divisionem inter Comitem Ricolphum et Gochalcum susceptam, in superiori parte montis obtinuisset, inferiori pro Ricolpho remanente; dicta jugera penes ejusdem Gochalci successores, qualis Danczvard erat, remanserunt; qui deinde ipsae Ecclesiae Matthaeivillensi erga 100 aureos, adeoque singulum jugerum pro quatuor et una sexta aureis obligavit. Quamdiu haec jugera Ecclesia tenuerit, numve obligatam summam receperit, nullum super his extat documentum.

b) Sive Ecclesiae aeditui.

Sacrae Sedis Scepusiensis continentibus, invenimus contineri: quod modo legitimae citationis observato, et termino prioritatis praeterito, discretus vir, Dominus Nicolaus Capellanus, dictae Ecclesiae Sancti Martini, Procurator, et procuratorio nomine praefati Dni Nicolai Plebani, Feria sexta ante Festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis, proxime praeteritum, coram eodem Dno Nicolao Vicario in Judicio comparendo cum literis eiusdem procuratoriis, contra praefatum Dnum Johannem, in causam attractum, personaliter astantem, egisset, proponendo: quod dictus Dnus Johannes eidem Dno Nicolao Plebano Decimas de Terris, ad dictum Hospitale emptis, et etiam agris, ad ipsum testamentaria dispositione legatis, a tempore, quo idem Plebanus, Plebaniam suam Beatae Mariae Virginis de praedicta Leubitz, jure legitimo, et proprietario intravisset, solvere recusasset, et recusaret, nullis adhibitis, ejusdem consensu et voluntate, in praejudicium suum et Ecclesiae suae praedictae valde magnum: Idemque Dnus Nicolaus Procurator de pluribus actionibus proponendo, pro praedicto Plebano, Dno suo, et contra praefatum Dnum Johannem, in termino sibi ulteriori assignando, protestatus fuisset. Quibus auditis praefatus Dnus Johannes aequitatem Juris sibi impertiri, ac copiam actionis praedictae sibi decerni, nec non terminum ad respondendum assignari petiisset, ad quod faciendum idem Dnus Vicarius datarum ipsarum literarum quindenas ad respondendum, copiam actionis praedictae assignando, deputasset. Quo termino, videlicet sequenti die beati Matthaei Apostoli occurrente, et praefatis Dominis Nicolao Plebano, et Johanne pro Hospitalensi se asserente, coram eodem Dno Vicario comparentibus, praefatus Dnus Nicolaus Plebanus actionem dicti Dni Nicolai Procuratoris sui resumpsisset et deinceps proposuisset. Quod praefatus Dnus Johannes Hospitale praedictum propria temeritate, absque scitu, licentia et voluntate ejus, nullo legitimo juris titulo obtento, et nullum pauperem in eo conservando, sed bona ipsius dilapidando, et usurpando pro se ipso, commoraretur in eodem, eundemque Dnum Johannem, jure admittente, in ipso inhabitare noluisset. Quibus perceptis praefatus Dnus Johannes ejusdem actionis similiter sibi copiam et terminum ad respondendum praedictis accusationibus similiter petiisset assignari. Ad quod faciendum praefatus Dnus Vicarius ad quindenas datarum ipsarum literarum, copia actionis assignata ad revidendum, terminum duxisset prorogandum: Quo termino, videlicet Feria sexta proxima post Festum beati Francisci Confessoris adveniente, et praefatis Dominis, Nicolao Plebano, et Johanne asserto Hospitalensi coram eo in judicio comparentibus, et dicto Dno Plebano accusationes suas praedictas repetente, praefatus Dnus

Johannes, quod pradictum Hospitale justo titulo et debita authoritate intrasset, et in eo commoraretur, ac Decimas tam de agris, ad dictum Hospitale emptis, quam etiam terris legatis, justitia mediante recepisset, et reciperet; et quod praefatus Dnus Nicolaus Plebanus per se Ecclesiam suam, Beatae Mariae Virginis de Leubitz praedictam, male et iniquo titulo possideret, et inhabitaret eandem, et quod eidem Plebano pro una festuca servire, aut subesse, nisi statim de laboribus sibi satisfaceret, noluisset, et quod nulla jura literalia haberet, sed responsiones suas praedictas vivorum testium probationibus assumpsisset comprobare, respondisset: praefatus vero Dnus Vicarius auditis disceptationibus jurium partium praedictarum judicando commisisset eo modo: quod quaelibet partium praedictarum sufficienti documento quanto solemꝑnius posset, justum titulum, et accusationes suas in quindenis datarum ipsarum literarum comprobare deberet, et teneretur, causam ipsam prorogando, ac juramento utrarumque partium calumꝑniae vitandae, et veritatis dicendae subsecuto. Quo termino, videlicet Feria sexta proxima ante Festum undecim millium Virginum appropinguante, et partibus praedictis coram eo comparentibus, praefatus Nicolaus Plebanus jura sua, videlicet Institutionis, collationis et confirmationis in pargameno scripta, ac pendentis Sigilli majoris Dni Stephani olim Vicarii dictae Ecclesiae Sancti Martini munimine roboratas, cum quibus titulum ad ingressum justos ad dictam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis de praedicta Leubitz probavisset, dictus vero Dnus Johannes testes suos vivos praedictos, forma legitimae citationis observata, quorum attestationibus mediantibus accusationes suas praedictas comprobare nitebatur, produxissent; praefatus vero Dnus Nicolaus Vicarius literas praedictas et jura praedicti Dni Nicolai Plebani producta, pro ratis, gratis et justis juribus assumꝑsisset, canonisasset, et confirmasset; praedictos vero testes per praefatum Dnum Johannem pro parte sua adductos, idem Dnus Vicarius examinasset, et examinari fecisset diligenter in termino praedicto, et de voluntate et consensu partium praedictarum, dicto Dno Johanne ulteriori productioni testium renunciante, praedictorum testium juratorum, et examinatorum dicta, et attestationes publicasset, et fecisset publicari, nec non copiis ipsorum petitis, et parti adversae datis, ad dicendum, excipiendum, et opponendum contra dicta, et attestationes eorundem, quidquid dicere, excipere, et opponere contra personas et dicta eorum verbo, vel in scriptis vellet, faceret, terminum ad quindenas datarum ipsarum literarum prorogasset. Quo termino, videlicet Feria sexta proxima post Festum Omnium Sanctorum occurente, et praefatis Domino Nicolao Procuratore, pro parte dicti Dni Nicolai Plebani, ac Dno

*

Johanne propria in persona comparentibus, de voluntate earundem partium, causa ipsa in eodem statu fuisset prorogata ad quindenas earundem. Quo termino, videlicet Feria sexta proxima ante Festum beatae Elisabethae, juxta ipsarum literarum tenorem instante, ac praefatis Dnis Nicolao Plebano et Johanne in Judicio coram eo comparentibus, praefatus Dnus Plebanus contra dicta et attestationes testium, pro parte dicti Dni Johannis adductorum, ex eo, quod honestae personae, et assertiones eorum et dicta non contra eundem Plebanum, sed magis pro eo, et contra praefatum Dnum Johannem adducta fuissent, non excepisset, nec dictis eorum se opposuisset, ideoque praefatus Dnus Vicarius de consensu et voluntate ipsarum partium, ad praedictae causae finem debitum imponendum, ad ferendam Sententiam, ad Feriam sextam proximam post Festum beatae Luciae Virginis et Martyris commisisset, terminum prorogandum. Quo termino occurrente, pro praefato Dno Nicolao Plebano, discreto viro Dno Nicolao Capellano et Procuratore praedicto comparente, ut contumaciam praedicti Dni Johannis non comparentis, neque pro se aliquem mittentis, accusante, et justitiam Domino suo Actori fieri, et finaliter imponi postulante; praefatus Dnus Vicarius Dominum Johannem non comparentem, per praefatum Nicolaum Procuratorem legitime expectatum, ad instantiam ejusdem Procuratoris, reputasset contumacem, si sese rationabiliter non posset excusare, decrevitque eundem Dnum Johannem de novo foro citandum, discreto viro Dno Plebano de Foro Caseorum *(h. Késmark)*, ejus proprio nomine non expresso, in virtute Sanctae obedientiae, et sub poena synodali dedisset in mandatis, quatenus mox receptis literis ipsius, praedictum Dnum Johannem, ad instantiam praedicti Dni Procuratoris, in suam peremptorie citaret praesentiam, ut Feria quarta tunc proxime ventura, hora causarum coram eorum Judicio compareret, ac sententiam in dicta causa ferri audiret, de judiciisque sibi ac partis suae adversae satisfaceret cum testificatione: quod sive dictus Dnus in dicto die citationis veniret, sive non, ipse Vicarius ad partis comparentis, vel procuratoris sui instantiam, in causam ipsam fine procederet decisivo, contumacia et rebellione partis non comparentis non obstante, prout juris via, et ordo dictaret rationis; facta deinde citationis executione, et termino praedicto, videlicet Feria quarta post Festum beatae Catharinae Virginis et Martyris accellerante, et praedictis Dominis Nicolao Plebano et Johanne eadem Feria quarta coram Nobis in Judicio ex Surrogatione, et Commissione propter rationabiles causas et legitima impedimenta, per praedictum Dnum Nicolaum Vicarium, diu ante praedictum terminum ad praedictam causam diligenter examinandam, et sententiam in ea ferendam,

deputato, comparentibus, ac sententiam et justitiam ferri postulantibus: Nos de commissione dicti Dni Nicolai Vicarii, ipsa causa diligenter examinata, de Assessorum nostrorum consilio, pro dicto Dno Nicolao Plebano, et contra praefatum Dnum Johannem super Hospitali et juribus suis de praedicta Leubitz, sententiam tulimus in haec verba d*if*finitivam, videlicet Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, et habentes solum Deum prae oculis, de Fratrum nostrorum Assessorum Capituli dictae Ecclesiae Sancti Martini consilio unanimi et assensu, visis, examinatis, perlectis, auscultatis pariter et diligenter recensitis juribus ..... actis, *acticatis*, dictis, attestationibus et allegationibus partium praedictarum, per ea, quae vidimus, et agnovimus, invenimus, sententiandum fore, et sententiamus per hanc nostram diffinitivam sententiam, institutionem, collationem et provisionem, ac confirmationem, et omnia inde secuta, dicto Dno Nicolao Plebano de Leubitz, ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis de eadem factas, et facta sortitas, et sortita fuisse, et esse, ac sortiri debere effectum plenarium, quo ad ipsam Ecclesiam et pertinentias suas, videlicet Hospitale praedictum, ac jura, Decimas, et proventus earundem, dictumque Dnum Johannem assertum Hospitalensem Hospitalis Sancti Spiritus de eadem Leubitz se minus juste, illicite, indebite, et contra justitiam, praedicto Dno Nicolao Plebano de eadem opposuisse, ac ipsum perturbasse, molestasse, et impedivisse super jure, dominio, et proprietate dicti Hospitalis, et proventuum eorundem, sibique nullum jus super ipso Hospitali, et pertinentiis suis competiisse, neque competere, sed ipsum Hospitale cum juribus suis ad dictum Dnum Nicolaum Plebanum, et suos praedecessores, tanquam veros Patronos spectasse, et pertinuisse, ac successores constitutos, et constituendos spectare et pertinere de jure, eidemque Plebano et successoribus suis cum omnibus juris et pertinentiis suis adjudicandum fore, et adjudicavimus, appositionesque, detentiones, occupationes, et impedimenta, praedictas, et praedicta, per praefatum Dnum Johannem dicto Dno Nicolao Plebano de et super juribus ac proventibus dicti Hospitalis praestitas, et praestita, fuisse et esse temeraria, illicita et injusta, ac de facta praesumpta, dictoque Dno Johanni de et super appositionibus, occupationibus, usurpationibus, et impedimentis Hospitalis et jurium ipsius praedictis, perpetuum silentium imponendum fore, et imposuimus, eundemque Dnum Johannem ab occupatione, detentione, et usurpatione dicti Hospitalis ac fructuum, proventuum, Decimarum, juriumque et pertinentiarum eorundem amovendum fore, et amovimus, ipsumque Dnum Nicolaum Plebanum ab impetitione dicti Dni Johannis absolvendum fore, et absolvimus, praefatumque Dnum Nicolaum

Plebanum in, et ad omne jus, dominium, et perpetuam ac omnem dispositionem praefati Hospitalis, juriumque et pertinentiarum praedictorum reinducendum fore, et reinducimus per praesentes; dictum vero Dnum Johannem in expensis, in praesenti lite factis, ac Decimis receptis, contra voluntatem ipsius Plebani, a tempore perceptionis, tam de legatis ad ipsum Hospitale, quam emptis de Bonis ipsius agris comdem∕nandum fore, et condem∕navimus; quarum taxationem Nobis in posterum duximus reservandam. Insuper sententiamus, declaramus, omnino habere volentes, quod Plebanus dictae Ecclesiae Sanctae Mariae Virginis de Leubitz, pro tempore existens, dicti Hospitalis Sancti Spiritus de eadem, aedificia, Bona, fructus, proventus et emolumenta collapsa, occupata, deperdita et alienata illicite per quasvis personas et indebite, ac etiam molendinum et alia de proventibus dicti Hospitalis empta, et ad usum, utilitatem pauperum incolarum, advenarum, et peregrinorum, in statum reduci debitum faciat, et ad receptionem ipsarum miserabilium personarum, ac sustentationem earundem debitas, juxta facultates, et proventus Hospitalis ejusdem, ultra victum et vestitum congruenter hospitalensis, seu Capellani ejusdem, Hospitali et pauperibus praeficiendo, salubriter studere, diligenti conatu suo augere, et reformare non ommittat, veluti negligentiae et defectus hujusmodi gravem Superioris nostri et nostram ultionem maluerit evitare. Item quod gubernatio et administratio dicti Hospitalis, juriumque et pertinentiarum eorundem, viro provido, idoneo et boni testimonii porro, ut hactenus consueto Hospitalensi, seu Capellano, per Plebanum praedictum, una cum Judice et Juratis de praedicta Leubitz, si concordes reperti fuerint, ut eo ferventiores in bonis operibus ad ipsum Hospitale et pauperes ejus exercendis, comperiantur, providenda committitur, qui sciat, velit, et valeat Hospitale ipsum, Bona ipsius et jura utiliter regere, et restaurare, et eorum proventus ac reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, ita, quod in usus alios bona praedicta converti per eundem praesumptio verosimilis non existat. Ille vero, cui (ut praemittitur) dictorum Hospitalis et pauperum gubernatio, et administratio committitur, ad instar Tutorum et Curatorum juramentum ad manus praedicti Plebani, pro tempore constituti praestare, ac de Hospitali, ejusdem bonis et rebus inventarium conficere, et Plebano praedicto, vel aliis ab eo, quibus subsit, deputatis, vel deputandis, annis singulis de gubernatione et administratione sua fidelem teneatur reddere rationem. Et si Plebanus, pro tempore constitutus, ac Judex et Jurati praedicti, in assumendo Hospitalensem praedictum, inter se discordaverint, extunc solus Plebanus, cujus voluntas praevalere debeat,

cum tam divites quam pauperes totius Civitatis jure Plebaniae suae ad ipsum pertinent, eundem Hospitalensem hospitali deputet praelibato. Item cum dictum Hospitale per assertiones testium, in causa examinatorum, de Parochiali Ecclesia praedicta, olim per quendam Plebanum esse fundatum invenitur, Plebanus pro tempore existens, ut prius consuetum fuit, Decimas tam de agris, ad ipsum Hospitale legatis, quam emptis de Bonis ipsius recipere non tepescat, nisi is Plebanus de his terris legatis ex caritate, aut amicitia, si hanc commode facere poterit, in evidentem utilitatem pauperum, et animae suae salutem, Hospitalensi seu Capellano suo praedicto, amice dimittere voluerit, et benigne. Item Hospitalensis seu Capellanus praedictus, ut praemittitur, eisdem Hospitali et pauperibus deputatus, Capellanus ipsius Plebani esse, sibique et Ecclesiae suae Parochiali in magnis Festivitatibus, et aliis necessitatis temporibus ad circuitum Cimiterii, ad Altaria et alia, ab antiquo fieri consueta, in recognitionem subjectionis ..... Ecclesiae, et Plebani praedicti servire debeat, et teneatur, prout ipsi Plebano competentius videbitur expedire, nisi idem Hospitalensis propter impedimentum evidentis utilitatis Hospitalis, et pauperum praedictorum poterit se rationabiliter excusare, Plebanus vero eundem Hospitalensem semper in dictis Festivitatibus ad mensam suam, sicut unum de aliis Capellanis suis, caritative recipere valeat, si meretur, eumque tanto benignius tractare, quanto utilitatem, bona et proventus Hospitalis, et pauperum praedictorum fidelius, et diligentius noverit per eum procurari. Item celebrationem Missarum, Altarium, Cimiterii, et Sacrorum procurationem, ac omnem necessitudinem aliorum dictorum Hospitalis, et pauperum, antiquae consuetudini rationabili, et utiliori expeditioni solius Plebani saepedicti, duximus penitus relinquendum. Item si praefatus Dnus Johannes inter cives et hospites dictae civitatis Leubitz, ut Presbyter vivere, ac esse bonae vitae et conversationis, dictoque Plebano, ut tenetur, subesse, nullasque discordias, percussiones, aut alias iniquitates, fomentaque amplius inter ipsos et Plebanum praedictum, prout facere consuevit, seminare, ac omnia et singula, ut praemittitur, observare voluerit, et literas Vicarii saepe dictae Ecclesiae Sancti Martini, prout fecit, malitia sua mediante, in quadam alia causa, coram eo, infra praesentis temporis litis processus mota, lacerare, de cetero postposuerit; extunc idem Dnus Plebanus eundem Dnum Johannem ad praedictum Hospitale, et proventus ipsius, ut praemittitur, de novo assumere, et eidem, si placuerit, deputare valeat. Si vero dictus Dnus Johannes noluerit, aut ipse eidem Plebano displicuerit, seu cum eo concordare non potuerit, extunc maneat, prout est, ab Hospitali et pertinentiis suis praedictis privatus

perpetuo, et amotus: et idem Plebanus alium Hospitalensem seu Capellanum ad Hospitale praedictum, ad sui beneplacitum assumere, et deputare, ut praedicitur, liberam habeat facultatem. Item sententiam d*i*ffinitivam et declarationes praedictas, ad omnia alia similia Hospitalia, Oratoria, Leprosoria, Xenodochia, Orphanotrophia, Expositoria, Hermitagia, Silvanectaria, Reclusoria, et pia loca, in dicta Scepus constructa, et construenda dirigi volumus, pleniter et extendi, nisi aliter ex ..... fundationis locorum praedictorum, aut antiqua consuetudine rationabiliter consuevit observari. Item volumus in dicta Scepus per nullum hominem utriusque sexus, cujuscunque status, gradus, ordinis, vel praeeminentiae existant, aliquem de praedictis locis deinceps de novo construi, fundari, introducique causa permanentiae pro domicilio, seu occupari sine Superioris nostri authoritate ordinaria, aut Plebani seu Rectoris ..... Ecclesiae, Locique ejusdem licentia speciali; secus facientes in praemissa, jure editas poenas, et praedicti Superioris nostri mulctas gravissimas incurrere, declarantes per praesentes. Lecta et pronunciata est haec sententia apud praedictam Ecclesiam Sancti Martini, in Cimiterio in loco consueto. Anno Dni Millesimo quadringentesimo octavo. Indictione prima, die XVIII. Mensis Decembris, hora causarum videlicet quinta. Pontificis Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Gregorii, Divina Providentia Papae XII. anno tertio[a]. Praesentibus circumspectis et providis viris: Petro Petri de Art, et Gallo Emerici de Paslonicha Notariis publicis, Casparo, Petro Capellanis dictae Ecclesiae Sancti Martini, ac Jacobo Crestilini Laicis de Suburbio (Szepes-Váralja) dictae Ecclesiae Presbyteris et Ecclesiasticis, Patamensis, Agriensis, Strigoniensis et Nitriensis Dioecesis Testibus, ad praemissa rogatis specialiter, et vocatis. Post cujus Sententiae prolationem et pronunciationem, dictus Dnus Johannes quandam ad Sedem Apostolicam in scriptis coram Nobis ac Notariis et testibus suis, interposuit appellationem, cujus copiam intra octo dies, immediate sequentes, Nobis fecimus assignari, dictus vero Nicolaus Plebanus de praedicta sententia sua exhilaratus, de expensis, in hujusmodi causam factis, protestatus fuit. Nos vero praedictae suae appellationi statim non detulimus, sed ad deliberandum, et praedictas expensas taxandum, ad Feriam sextam proximam, post Octavas Festi Epiphaniarum Domini, propter Ferias intermedias, duximus prorogandam. Quo termino adveniente, et partibus praedictis coram Nobis comparentibus, et dicto Dno Nicolao Plebano judicium deliberationis, et

a) V. de hoc P. II. Antonii Sandini Vitam Pontificum pag. mihi 595.

expensarum praedictarum taxationis, partibusque utrisque justitiam postulantibus, Nos de Assessorum nostrorum praedictorum Consilio freti, dicti Dni Johannis appellationi non detulimus, nec executionem sententiae praedictae Nobis abdicavimus, tum quod a Nobis per dictum Johannem non fuit apellatum, tum etiam, quod nec a nostra sententia diffinitiva, nec ab ejus iniquitate provocatum, prout in ejusdem sententiae appellationis tenore dicti Dni Johannis plenius poterit contueri. Expensas praedictas in causa hujusmodi factas, de consilio praedicto, moderatione praevia ad triginta octo florenos usuales, atque percepta a tempore motae litis et anno hoc usurpata in Decimis praedictis, ad triginta duos florenos usuales praedictos, taxandum fore, et taxamus, et dictum Dnum Johannem, eidem Dno Nicolao Plebano duximus condemꝑnandum, et condemꝑnamus in eisdem, juramento dicti Dni Nicolai Plebani, quod cum in dicta causa exposuisset, vel eum exponere contigerit, ac damꝑna in perceptis habuisset, praestito subsecuto. Datum apud praedictam Ecclesiam Sancti Martini Feria sexta praenotata, nostro pendente, quo ad praesens utimur sub Sigillo. Anno Millesimo quadringentesimo nono.

CII.

Sententia Sacrae Sedis Scepusiensis contra contumacem Johannem Hospitalensem S. Spiritus in Leibicz. Anno Dni 1409.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Christianus Cantor Ecclesiae beati Martini de Scepus, vices gerens honorabilis viri Domini Nicolai Custodis, et Vicarii Ecclesiae ejusdem in Spiritualibus Generalis, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod, cum juxta continentiam aliarum literarum nostrarum prorogatoriarum, Feria sexta proxima post Octavas Festi Epiphaniarum Domini, proxime praeteriti, discretus vir, Dnus Johannes Presbyter Hospitalensis de Leubic*h*, (Leubitz) contra eundem Johannem datum et oblatum, cui dictus Dnus Nicolaus Plebanus propter Deum supersedisset, voluntate ipsius Johannis subsecuta, judicialiter repetivisset coram Nobis, cujus libelli per dictum Dnum Johannem repetiti tenor talis est:

Ego Johannes Presbyter Hospitalensis Ecclesiae Sancti Spiritus de Villa Leubic*h*, Strigoniensis Dioecesis, propono: quod Dnus Nicolaus Plebanus de

praedicta Villa Leubich, de anno Domini Millesimo quadringentesimo octavo, circa Festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis, quandam actionem proposuisset, in qua continebatur, quod ego ipsum gladio meo in publica via, in campo silvestri penes quendam montem michi obviantem, invasissem, Reberg nominatum, ipsumque ibidem interimere, si sese non defendisset, voluissem; et cum actionem ipsam negassem, dictusque Nicolaus Plebanus eam probare assumpsisset, et termino concordiae et amicabilis compositionis dato, eam non probavit, sed sub taciturnitate non concordando pertransivit, et in probatione defecit; ego autem eundem Nicolaum Plebanum reputo in actione praedicta cecidisse, et quietum fuisse, et peto michi, prout ordo juris dictaverit, praeberi justitiae complementum, quam invasionem et verecundiam idem Plebanus pro quinquaginta florenis puri auri sustineri noluisset, in quibus florenis eundem Plebanum, ex quo in probatione suae actionis defecit, peto michi per Vos condemnari, salva correctione et emendatione libelli praedicti. — Quo libello repetito, praefatus Nicolaus Plebanus eo, quod praedictus Johannes dictam actionem noluit habere condescensam, de novo probare, jure admittente, in termino sibi assignando reassumpsit coram Nobis; ad quem faciendum de Assessorum nostrorum consilio interloquendo, causam ipsam ad probandam actionem praedictam ad Feriam sextam proximam ante Festum Purificationis Beatae Mariae Virginis proxime venturum, duximus prorogandam. Ipso siquidem termino adveniente, et Nicolao de Quintoforo, Capellano dictae Ecclesiae Sancti Martini, pro praedicto Nicolao Plebano cum literis procuratoriis praedicti Dni Nicolai Vicarii, et praefato Dno Johanne propria in persona comparentibus, ac testibus per eundem Nicolaum procuratis, juxta citationem nostram productis, imo juramento de ipsis recepto, coram Nobis causam eandem sine examine eorundem testium, de consensu et voluntate partium praedictarum, ob spem concordiae et amicabilis compositionis, iterum ad quindenas datarum ipsarum literarum prorogantes, in quibus ipsi testes, si concordia facta non fuerit, ad examinandum comparere, si vero fuerit facta, praedictae partes in iisdem quindenis comparere, ipsamque concordiam eorum pronunciare, et recitare debuissent et tenebuntur, admissionemque nostram et voluntatem in praemissis auditurae. Quo termino occurrente, et praefatis Nicolao Plebano, et Johanne dicto Hospitalensi, et testibus adductis comparentibus in Judicio coram Nobis, et Nulla concordia, aut amicabili compositione inter eos facta, seu recitata, eosdem testes adductos, super actione praedicta, diligenter examinavimus, et dictis ac attestationibus ipsorum conscriptis, praefatum Nicolaum Plebanum, utrum plures testes

adducere vellet, habuimus requisitum, qui plures adducere et statuere in termino ulteriori sibi dando assumpmebat, ad quem faciendum, causam ipsam ad quindenas ipsarum literarum duximus prorogandam: Termino quo accedente, videlicet Feria sexta proxima post Festum beati Valentini Martyris, praefatus Nicolaus Plebanus adhuc unum testem statuit, et adduxit; quo recepto et examinato, dictoque Johanne in Judicio comparente, et praefato Nicolao Plebano ulterioribus productionibus testium renunciante, ad publicandum dicta, et depositionem testium eorundem, pro parte praefati Dni Nicolai Plebani adductorum, dicto Johanne in personas ipsorum nichil excipiente, ad quindenas datarum ipsarum literarum statuimus prorogando. Quo termino videlicet Feria sexta, proxima post Festum beati Mathiae Apostoli appropinquante, et pro praedicto Dno Nicolao Plebano, praefato Nicolao Capellano Procuratore ipsius comparente, et justitiam sibi fieri postulante, ac contumaciam ipsius Johannis accusante, et in contumaciam procedi, et attestationes Testium praedictorum publicari petente, praefatus Dnus Johannes non venit, neque misit, per praedictum Procuratorem dicti Dni Nicolai Plebani legitime expectatus, in cujus contumaciam ad instantiam praedicti Nicolai, Procuratoris praefati Dni Nicolai Plebani, dicta et assertiones Testium praedictorum publicavimus, praefato Johanne non veniente, contumace reputato· et quia praefatus Dnus Johannes absens esse, et in remotis agere allegabatur; ideo discreto viro Dno Mathia, Capellano praefati Dni Nicolai Plebani de praedicta Leubich, missis literis citatoriis, dedimus in mandatis, quatenus praefatum Johannem, dictum Hospitalensem, publica in Ecclesia Beatae Mariae Virginis, et in Hospitali Sancti Spiritus de praetacta Leubich, in quo idem Johannes domicilium noscitur obtinere, ad instantiam Dni Nicolai Plebani et Procuratoris sui citaret[a], ut in quindenis datarum ipsarum literarum, hora causarum coram Nobis in Judicio, ad excipiendum, et contradicendum dictis et assertionibus dictorum Testium, contra ipsum adductorum, per se vel per procuratorem suum legitimum compareret, objecturus, et excepturus, quidcunque excipere, contradicere, et opponere vellet verbo, vel in scriptis. Quo termino videlicet Feria sexta, proxima ante Festum beatae Gertrudis Virginis accellerante, ac ex citatione et relatione per dictum Dnum Mathiam Capellanum sub sigillo suo, ut moris est, Nobis factis, et praedicto Nicolao Procuratore dicti Dni Nicolai Plebani, coram Nobis comparente, et justiciam sibi fieri

a) Processum et conformiter ad Cap. X. Lib. II. Decret. Tit. XV. et Cap. XI. Lib. III. Decret. Tit. IV. de Clericis non resident.

*

deposcente, ac contumaciam praedicti Dni Johannis nec per se, nec per procuratorem legitimum comparentis, accusante, et in contumaciam ipsius ad sententiam d*i*finitivam procedi petente; Nos eundem Dnum Johannem ad instantiam praefati Dni Nicolai reputantes contumacem, aliis literis nostris mediantibus praefato Dno Mathiae Capellano dedimus in mandatis, quatenus publice in Ecclesia Beatae Mariae Virginis, et in Hospitali Sancti Spiritus de saepe dicta Leubic*h*, praedictum Johannem citaret, comparendum coram Nobis, ut in quindenis datarum ipsarum literarum per se, vel per procuratorem suum legitimum ferri sententiam d*i*finitivam et sententialem decisionem causae imponendam inter partes praedictas, veniret auditurus, assignavimus, prorogantes. Quo termino incidente, videlicet Feria sexta proxima post Festum Annunciationis Beatae Mariae Virginis, Nobisque ex citatione et relatione per dictum Dnum Mathiam Capellanum, ut praemittitur, factis, praefato Dno Nicolao Procuratore coram Nobis comparente, et dicti Dni Johannis non comparentis, contumaciam accusante, et in ipsius contumaciam sententiam d*i*finitivam ferri postulante; Nos causam ipsam tum propter tempus Passionis Domini nostri Jesu Christi, tum etiam propter alia impedimenta tunc temporis Nobis occurrentia, ad ferendam dictam sententiam d*i*finitivam, ad Feriam sextam proximam post Festum Paschae Domini duximus prorogandam. Quo termino adveniente, et saepedicto Nicolao Procuratore coram Nobis comparente, et praetacti Johannis non comparentis contumaciam accusante, et finem Causae inter partes praedictas imponi petente, Nos Sententiandum duximus tali sub tenore, Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, et habentes solum Deum prae oculis, de Fratrum nostrorum Dominorum de Capitulo dictae Ecclesiae Sancti Martini Nobiscum in Judicio consedentium Consilio, pariter et assensu, propositionibus, allegationibus partium praedictarum dictis, et attestationibus testium adductorum, ac causa praedicta in processu suo diligenter auscultatis, perlectis, examinatis ac recensitis, invenimus praedicta, et assertiones testium praedictorum, dictum Dnum Johannem assertum Hospitalensem, contra praefatum Dnum Nicolaum Plebanum obnoxium, culpabilem fuisse, et esse in actione praedicta nocentem, reum pariter et convictum. Ideoque eundem Dnum Johannem Hospitalensem in praedictis quinquaginta florenis auri, in praedicta actione expressis, eidem Nicolao Plebano condem*p*nandum fore, et condem*p*namus in his scriptis taxatione expensarum, in ipsa lite factarum, Nobis in posterum reservata. In cujus rei evidentiam praesentes literas nostras appendentis Sigilli nostri munimine, quo ad praesens utimur, duximus roborandas. Datum Feria sexta

proxima post dictum Festum Paschae Domini praenotata, apud praedictam Ecclesiam Sancti Martyni. Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo nono [b].

CIII.

Sigismundus Roman. ac. Hung. Rex, Comiti XXIV. civitatum mandat ne jura Kesmarkiensium obturbet. Anno Dni 1411.

Ex autographo coram Barkotziana Commissione producto.

COMMISSIO propria Domini Regis. Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae etc. Rex. Fidelibus suis Comiti et Judicibus XXIV. Civitatum Terrae Scepusiensis salutem et gratiam. Ex parte fidelium nostrorum universorum Civium et Incolarum Civitatis nostrae, Kismark vocatae, Nobis expositum fuit cum querela, quod nonnullas haberent libertates et jura, ab antiquis Praedecessoribus nostris Regibus concessas, per Nos quoque confirmatas, prout hoc tam ipsorum Praedecessorum nostrorum quam nostrae literae continerent efficaces. Quibus quidem libertatibus et juribus vos ipsos gaudere non permittendo, in territoriis et juribus ipsorum contra hujusmodi libertates nonnullas illis injurias intulissetis, et inferri fecissetis hactenus, ac etiam irrogaretis incessanter. Cumque nos praelibatos Cives et Incolas Civitatis nostrae, supra dictae, legitimis suis juribus illibate velimus gratulari, fidelitati vestrae firmissimo jubemus edicto, quatenus de cetero praefatam Civitatem nostram, Kismark vocatam, ac ejus Cives ac Incolas universos simul et singulatim in omnibus illis libertatibus, et juribus atque gratiis, quas a praedictis nostris Praedecessoribus Regibus, et etiam a Nobis per literas super inde datas, scriptas habuisset et haberet demonstrare poterunt, quo ad omnia et singula ejusmodi libertatum et jurium contenta conservare et manutenere debeatis, in eisdem nullatenus ipsos impedire praesumatis. Aliud pro nostra dilectione et gratia non facturi. Praesentes autem sigillo nostro majori, quo ut Rex Hungariae utimur, fecimus consignari, quas post lecturam reddi jubemus praesentanti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo undecimo.

---

b) Sigillum pendens in cera viridi cum inscriptione. S. Ulrici de Resnau.

CIV.

Idem Rex intimat Gubernatori Monasterii Schavnik, qualiter Possessionem eorum Stojanfölde cum Primfalva permutaverit. Anno Dni 1411.

Ex autographo in Archivo Montis S. Georgii existente.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariae etc. Rex. Fidelibus nostris Reverendo in Christo Patri Dno Ladislao, Episcopo Tinniensi, nec non Gubernatori et Conventui Monasterii beatae Mariae Virginis de Schebnik salutem et gratiam. Cum nos quondam terram ipsius Monasterii, Stojanfoelde nuncupatam, in Comitatu Scepusiensi existentem, quam hactenus Michael, dictus Hank, cum filiis suis, eorundemque Antecessores, durante vestro beneplacito, pro censu feudali tenuisse et possedisse dinoscuntur, ab ipso Monasterio, et per consequens a Vobis, ac Michaele et filiis suis auferentes, Civitati nostrae Montis S. Georgii, et e converso in hujus recompensam quandam possessionem Civitatis nostrae Lewcha, Prymfalva nominatam, in eodem Comitatu sitam, ab eadem nostra Civitate modo simili auferentes et separantes, praedictis Monasterio, nec non Abbati et Conventui ejusdem pro tempore constitutis, sub forma et modo concambialis permutationis, mera nostra Regia potestatis plenitudine, per alias literas nostras efficaces super inde confectas, duxerimus conferendi, atque permutandi; volumusque hujusmodi nostram collationem et permutationem per vos ratam et gratam haberi, dictamque terram praedictae nostrae Civitati Montis S. Georgii applicari. Fidelitati igitur Vestrae firmiter praecipimus, seriose mandantes; quatenus mox visis praesentibus, et intellectis, occasione dissimulationis ac renitentia quibuscumque postergatis, hujusmodi nostram collationem et permutationem ratam, gratam, et acceptam habentes, vigorosiusque approbantes, asscripto praedicto Vestro Monasterio, et per consequens Abbati in praefata possessione Prymfalva, quam eidem et vobis vigore praedictarum aliarum literarum nostrarum concambialium fecimus et volumus approbari, et assignari praedictam terram Stojanfelde simul cum universis suis utilitatibus et pertinentiis, praesertim agris, pratis et foenilibus sub suis veris metis et antiquis, cum quibus per praedictos Michaelem et filios suos, ipsorumque Antecessores rite et legitime tenta fuit et possessa, praedictae nostrae Civitati Montis S. Georgii, et per consequens Judici, Juratis, totique Universitati ejusdem juxta praemissam nostram collationem et permutationem relinquentes, et relinqui facientes, manus vestras et praedicti Michaelis, et filiorum suorum, aliorum-

que quorumlibet ab eodem totoque dominio ejusdem excipere, et removere debeatis. Secus sicut id, quod nostrae optat affectus Majestatis adimplere, et nostram evitare cupitis indignationem, facere nequaquam ausuri in praemissis; praesentibus, Sigillo nostro solito communitis, post earum lecturam exhibenti restitutis. Datum in Temesv*a*r Feria quarta proxima post Festum beatorum Viti et Modesti Martyrum [a] Anno Dni Millesimo quadringentesimo undecimo [b].

CV.

Idem Rex Terram Stojanfölde Oppido Montis S. Georgii confert, erga annuos 27. auri florenos Leutschoviensibus ratione Primfalva solvendos. Anno Dni 1411.

Ex autographo in Archivo Montis S. Georgii existente. Edidit Wagner P. I. pag. 422. Mance.

NOS Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae etc. Rex. Memoriae commendamus per praesentes: Quod Fidelis noster Providus vir Christianus, Cives Civitatis Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis, suo ac Judicis et Juratorum, nec non totius Universitatis ejusdem nostrae Civitatis nominibus et personis, nostrae Majestatis veniens in conspectum, Nobis declaravit: Quomodo eadem nostra Civitas propter Terrae usualis et arabilis, nec non pratorum, de quibus fructus et utilitas, aliaque opulentia, *(apud W. l. c. emolumenta)* victuique ipsorum necessaria possent procreari, non modicam carentiam et defectum paterentur satis magnum; propter quod Census seu Collecta annualis Nobis ex eorum parte provenire solitus, difficulter et cum penuria nonnumquam per eosdem Cives solverentur satis magna: Supplicans nominibus et in personis, quibus supra nostro Culmini humili precum instantia, quatenus eis circa praemissa remedio occurrere dignaremur gratioso *(gratiose a. W.)* Nos igitur ex innata Nobis Regia liberalitate, hujusmodi eorum defectui et egestati *(defectus et egestatis a. W.)*, inopiaeque *(inopie a. W.)* subvenire satagentes, ut habitatores et Incolae ipsius nostrae Civitatis, Regiae remunerationis antidoto praegustato, sicut fidelitate et

---

a) Juxta antiquum Calendarium incidit hoc Festum in 17-am Junii.

b) Diploma isthoc Nicolaus Montis Sancti Georgii Judex in Capitulo Sabatho proximo post Festum Visitationis Virginis rescribi curavit anno eodem.

numero, sic et rerum ubertate *(utilitate a. W.)* et opulentia crescant, et augeantur: quandam Terram Monasterii beatae Mariae Virginis de Schebnek *(Schevnyk a. W.)*, Stojanfeldev *(Stoyanfölde a. W.)*[a] nuncupatam, in Comitatu Scepusiensi, et vicinatu praedictae nostra Civitatis adjacentem et existentem, quam hactenus Michael Filius Hanck *(Hanck a. W.)* cum filiis suis, eorumque Antecessores pro censu feudali[b] durante beneplacito Abbatis et Conventus dicti Monasterii, habuissent et tenuissent, ab eisdem Monasterio, nec non Abbate et Conventu, per consequensque Michaele et filiis suis auferentes, simul cum omnibus suis pertinentiis, et praesertim agris[c] pratis, foenilibus, fructibus, obventionibus, ceterisque utilitatibusque universis, sub suis veris metis et antiquis limitibus, cum quibus praedicti Michael, aut sui Antecessores eandem rite et legitime tenuissent et possedissent, praefatae nostrae Civitati Montis Sancti Georgii; et e converso in hujus rependium, Possessionem seu Villam Civitatis nostrae Lewcha *(Leuche a. W.)* Prymfalva[d] nominatam, in eodem Comitatu sitam, similiter una cum suis universis utilitatibus et pertinentiis quibusvis, quovis nominis vocabulo vocitatis, metarumque suarum rectarum et antiquarum distinctionibus, ab eadem nostra Civitate Lewcha *(Leucha a. W.)*, modo simili auferentes et separantes, memorato Monasterio, et per consequens Abbati et Conventui ejusdem pro tempore constitutis, mera nostra Regia auctoritate, et potestatis plenitudine, sub forma et modo concambialis permutationis dedimus, donavimus et contulimus ac permutavimus; imo damus, donamus et conferimus ac perpetuamus *(permutamus a. W.)* per utrasque partes, eorumque Successores universos, jure perpetuo et irrevocabiliter possidendi *(possidendas a. W.)*, tenendi *(tenendas a. W.)*, prout *(pariter a. W.)* et habendi *(habendas a. W.)*, absque tamen praejudicio juris alieni. Hoc expressanter *(per expressum a. W.)* declarato, quod praefati Judex et Jurati, totaque Universitas praedictae nostrae Civitatis Montis Sancti Georgii in recompensam praedictae Possessionis Prymfalva, praedictae nostrae Civitati Lewcha *(Leuchae a. W.)*, de dicta terra Stojanfeldev *(Stoyanfölde a. W.)* viginti septem florenos auri puri in antea, deincepsque annis singulis in terminis infrascriptis, videlicet novem in medio Quadragesimae, et novem in Festo Nativitatis beati Johannis Baptistae, et reliquos novem florenos auri in Festo beati Martini Confessoris per*h*enniter persolvere, nec non pro Decimis de eadem

a) Germanis Stoiszdorf.
b) Non igitur proprietarii erant, ut perperam quidam existimavere.
c) Desiderantur hic aquae.
d) Alias Primocz, Germanis Preimsdorf. Slavis Primowcze.

terra Stojanfeldev *(„Stoyanfölde" a. W.)* solvi debentibus *(debendis a. W.)*, tantum et totidem, sicut praefati Michael Gank *(Hanck a. W.)* et *(ac a. W.)* sui legitimi solvere Antecessores fuerunt soliti, *(sequentia*: **perpetue et in aeternum plenarie persolvere** *apud Wagner non occurunt)*. Item praefata Villa Prymfalva et suarum terrarum Cultores Decimas rectas et justas Praeposito Ecclesiae Sancti Martini de Scepus constituto et constituendo, perpetue et in aevum plenarie et absque diminutione aliquali (*persolvere et a. W.*) administrare debeant, atque teneantur. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum solitum appensum est, testimonio literarum (*sequentia:* **quas in formam nostri Privilegii redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae** *apud Wagner non occurunt*). Datum in Temesvar, (*Themeswar a. W.*), Feria quarta proxima post Festum beatorum Viti et Modesti Martyrum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo undecimo.

CVI.

Georgio Montani statuuntur in Stojanis. Anno Dni 1411.

Ex autographo ibidem existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi Fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, quae aguntur in tempore, vacillant facile, nisi praesidio literarum et fidelium testium adminiculo in statum solidum redigantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; Nos literas Serenissimi Principis, Dni nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae etc. Regis, omni cum reverentia recepisse in haec verba:

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hung. etc. Rex. Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Dum Nos quandam Villam nostram, Stojanfalva vocatam, in Comitatu Scepusiensi, in vicinatu nostrae Civitatis Montis Sancti Georgii *(h. Szepes-Szombat)* adjacentem, in concambium cujusdam Villae, Prymfalva nuncupatae, in eodem Comitatu situatae, a civibus Civitatis nostrae Lewcha vocatae, ablatae et receptae, Conventuique beatae Virginis de Schebnik datae et assignatae, in Nos devolutam, cum omnibus ejusdem Villae Stojanfalva utilitatibus et pertinentiis, fidelibus nostris Civibus et Hospitibus nostris ejusdem

Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, novae nostrae donationis titulo, contulerimus, et ipsos in dominium ejusdem per nostrum et vestrum homines legitime volumus facere introduci: Fidelitati igitur vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Nicolaus Filius Johnnis, vel Jacobus Literatus de Betlenfalva, aut Georgius dictus Achel de Filefalva [a] (*h. Filicz, germ. Filsdorf*) sive Petrus filius Lochk de Szent-Andras, aliis absentibus homo noster; ad faciem praefatae Possessionis Stoinfalva (*sic*) [b] vicinis et Cometaneis ejusdem universis, inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, introducat praefatos Cives de dicta Civitate Sancti Georgii in dominium ejusdem statuatque eandem eisdem, praemissae novae nostrae donationis titulo perpetuo possidendi, contradictione Michaelis filii Hank [c] et Ladislai ac Emerici filiorum ejusdem, ac aliorum quorumlibet non obstante. Et post haec, ipsius possessionatae statutionis seriem, ut fuerit expediens, Nobis vestris in literis fideliter rescribatis: praesentes etiam Sigillo nostro solito fecimus consignari. Datum in Vissegrad in Vigilia Festi beati Jacobi Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo undecimo.

Nos igitur Mandatis ejusdem Domini nostri Regis humiliter obedire cupientes, ut tenemur, una cum Nicolao filio Johannis de Betlenfalva, homine Regio praedicto, nostrum misimus hominem, pro testimonio fide dignum, videlicet discretum virum, Dnum Stephanum Plebanum, Fratrem et Canonicum nostrum ad praemissa exequenda. Qui demum redeuntes, Nobis concorditer retulerunt, quod praefatus homo regius, dicto testimonio nostro praesente, Feria sexta proxima ante Festum beati Michaelis Archangeli, proxime praeteritum, ad faciem praefatae possessionis Stoinfalva, Vicinis et Cometaneis ejusdem universis, inibi legitime convocatis, et praesentibus accedendo, introduxisset praefatos Cives de dicta Civitate Sancti Georgii in dominium ejusdem, statuissetque eandem eisdem, praemissae novae Regiae donationis titulo, perpetuo possidendi, contradictione praedictorum Michaelis filii Hank, Ladislai et Emerici filiorum ejusdem, ac aliorum quorumlibet non obstante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes nostras concessi-

---

a) Filitz, Fillndorf.

b) Hodie nonnisi exigua Ecclesiae, ibidem extructae, rudera visuntur, cujus Possessio per Bohemos Scepusium depopulantes, dubio procul eversa est.

c) Proprietarii Consensu iste in hac Possessione Allodium extruxerat, quod post evocatam Regiam Comissionem, ipsi Georgio-Montani aere parato repersolverunt.

mus literas praedictis Civibus privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum decimo die statutionis praenotatae, Anno Dni supra dicto.

CVII.

Simon de Rozgon, Judex Curiae, Metales Oppidi Varalia transcribit. Anno Dni 1411.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Comes Simon de Rozgon, Judex Curiae Serenissimi ac Magnifici Principis Domini Sigismundi, Dei gratia Inclyti Romanorum Regis semper Augusti, et Hungariae etc. Regis. — Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod Providi viri Nicolaus Klobloch Judex, ac Frumolcz et Niclos Seél, Jurati Civitatis Varalya ab una, item Petrus Judex, et Niclos Wieszhap et alter Niclos Neéti, Jurati Civitatis Eulembach[a] ab altera: item Niclos Phaz Judex, et Hans Hungergartzt, et Peter Mester Jurati de Villa Latina, a tertia partibus, in suis ac universorum Civium et Hospitum Civitatis in eisdem commorantium, nominibus et personis, in nostram personaliter venientes praesentiam, exhibuerunt Nobis quasdam literas nostras patentes, praefato Dno nostro Regi per Nos relatorie rescriptas, petentes nos cum instantia, ut easdem simul cum fassione ipsorum infra denotandorum, praesentibus literis nostris inseri et inscribi, in formamque privilegii nostri pro eisdem Civibus et Hospitibus, in iam dictis Civitatibus residentibus, perpetuo valituras, redigi faceremus uberiorem eorundem ad cautelam, quarum tenor talis est:

Serenissimo Principi et Domino Dno Sigismundo, Dei gratia Regi Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Dno suo naturali, Comes Simon de Rozgon Judex Curiae Vestrae Serenitatis, perpetuam fidelitatis constantiam cum assiduo famulatu. Noveritis, quod sicuti Vestra Serenitas nobis oretenus firmis dederat in mandatis, ut Nos ad facies silvarum Civitatum nostrarum Varalia, Eulenbach et Villa Latina vocatarum, in Terra vestra Scepusiensi habitarum, universis Civibus et Hospitibus earum, aliisque Vicinis et Cometaneis ipsorum, inibi legitime convocatis et praesentibus, personaliter accedendo, easdem Silvas reambulando, reambulatasque inter easdem Civitates debito et justo

a) Alias Welbach, hodie possessio, olim vero spectabat inter XXIV. Regales Scepusii Civitates.

modo, mediantibus certis limitationibus et metarum erectionibus, ubi necesse foret, distinguere et sequestrare, sequestratasque et metalibus signis in locis necessariis ab invicem distinctas, unicuique earundem Civitatum Silvas deputatas et condignas ad utendum, et possidendum perpetuo et pacifice relinquere deberemus, si non fuerit contradictum: Contradictores vero, si qui fuerint, illos contra annotatos cives et Hospites in Vestrae Serenitatis praesentiam ad terminum competentem citare deberemus, rationem contradictionis ipsorum reddituros, et post haec ipsarum reambulationem metarum erectionis, divisionis et sequestrationis seriem, prout fuerit expediens, cum cursibus metarum, vel nomina contradictorum et citatorum, si qui fierint, cum termino assignato eidem Vestrae Serenitati fideliter rescriberemus. Nos itaque Mandatis ipsius Vestrae Serenitatis obedire cupientes, ut tenemur, Feria tertia proxima ante Festum Assumptionis Virginis gloriosae, proxime praeterita, et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus ad faciem dictarum Silvarum Civibus et Hospitibus earum Civitatum vestrarum, aliisque vicinis et cometaneis ipsarum inibi legitime convocatis, assumptoque una nobiscum propter majoris certitudinis evidentiam, Honorabili viro Dno Joanne Vicario Ecclesiae Scepusiensis, testimonio ejusdem Capituli praesente, personaliter accedentes, factaque prius legitima reambulatione, dictas Silvas aequipollenti sequestratione et divisione, evidentibus metarum erectionibus inter easdem Civitates distinguentes et separantes, unicuique earundem Civitatum de dictis Silvis partem debitam et convenientem ad utendum et possidendum perpetuo et pacifice relinquimus, nemine contradictore inibi apparente: Quarum silvarum distinctionis et sequestrationis metae hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit in quadam publica via, Lachenberg dicta, a parte Orientis, per quam viam de Villa Latina ad Silvas transire consueverunt, per eandem viam per longum spatium ad cacumen montis similiter Lachenberg transeundo pervenit ad unam aliam viam ad partem meridionalem, quae via ad dictam primam viam cadit, ubi sunt tres metae terreae ex utraque parte, quarum una a parte Orientis pro parte Suburbanorum [b] et alia a parte meridiei pro parte Villae Latinae, tertia vero pro parte Eulenbach sequestrant. Deinde per bonum et competens spatium per dictam primam viam Lachenberg ulterius versus Occidentem circumeundo, penes eam viam a parte montis Bürberg [c] pervenit ad duas metas terreas, quarum una a parte Orientis Suburbanis, et

b) Seu Varaliensium.

c) Etiam Binberg vocati.

alia a parte altera Civitati Eulenbach dividunt. Abhinc ad eandem plagam Occidentalem ulterius eundo, penes eandem viam Bürgberg a parte dextra pervenit ad duas metas terreas; quarum una a parte Orientis Suburbanos, alia vero a parte altera Eulenbach separaret, inde ab eadem via exeundo ad quandam semitam, per modum declivitatis se trahentem, Berg dictam, ad eandem occidentalem plagam, pervenit ad planitiem ipsius montis Bürgberg, ubi sunt duae metae terreae, quarum una a parte Orientis Suburbanis, alia vero a parte Occidentis Eulenbach sequestrant; a qua quidem planitie montis Bürgberg infra descendendo directe versus Orientem, pervenit ad duas metas terreas, penes ipsam semitam, Berg dictam, ex utraque parte erectas: quarum una a parte Orientis similiter Suburbanos, alia a parte Aquilonis Eulenbach dividunt. Deinde intra quandam vallem, Gerengrund *(sic)* vocatam, versus occidentem: abhinc eundo cadit in aquam, Keszepsebela potaka (*sic*) vocatam, per quam eundo versus Villam Alczno (*h. Olcznó*), ubi vicinatur cum terra arabili Villae Latinae, et sic praedictae metae terminantur. Datum in praedicta Varalia tertio die praedicti Festi Assumptionis Virginis gloriosae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo undecimo. d)

Quibus quidem literis exhibitis, praefati Judices et Jurati dictarum Communitatum in communi universorum civium et hospitum praedictorum nominibus et personis allegarunt, et sunt confessi tali modo, ut praescripti universi Cives praedictarum Civitatum divisione praefatarum Silvarum, modo praevio per distinctiones dictarum metarum, penes nos inter eosdem, (ut praemittitur) in tenore praescriptarum literarum nostrarum explicatarum facto, benevole acceptando, et super eadem divisione contenti, praemissis omnibus pro perpetua stabilitate alter alteri singillatim consentiendo, consensum praebuissent et assensum; imo iidem Judices, juratique Cives in eorum ac nominibus, quibus supra, super praemissis consensum praebuerunt pariter et assensum coram Nobis. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes eisdem Civibus concessimus literas nostras privilegiales pendentis Sigilli nostri authentici munimine roboratas. Datum Leuchoviae (Leutschoviae) in Dominica Reminiscere. Anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo.

---

d) Idem Diploma apud Olaszienses quoque extat, ab eodem Sigismundo Rege confirmatum.

CVIII.

Quietantionales super solutis per Cives Montis S. Georgii 450 flor. pro lapidea domo et Curia Michaelis Hank Stojanfalvensi. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod cum juxta continentiam literarum nostrarum compositionalium Providi viri Judex, Jurati et Universitas civium et populorum de Monte Sancti Georgii, ratione aestimationis cujusdam lapideae domus et aedificatae Curiae in Possessione Stojanfalva habitae et existentis, Nobilibus Viris, Michaeli filio Hank de Meldur (*h. Maldur*), Ladislao et Emerico filiis suis Quadringentos et quinqaginta florenos novae Regiae Camerae monetae, in duobus terminis infra scriptis, videlicet medietatem eorundem in Festo Paschae Domini, aliam vero medietatem in Festo Nativitatis Christi, terminis et Festivitatibus se se consequentibus, sub poenis et conditionibus, in prioribus literis nostris specificatis, coram Nobis solvere debuissent: Quibus quidem terminis et Festivitatibus occurrentibus praefati Judex, Jurati et Cives de dicto Monte Sancti Georgii eosdem Quadringentos et quinquaginta florenos praemissi Viri, ipsis Nobilibus Viris Michaeli, Ladislao et Emerico de eadem Meldur coram Nobis, ut debebant, plene et integre persolverunt. Super quorum quidem florenorum solutione, habitione et receptione, memorati Michael, Ladislaus et Emericus in suis et aliorum, quorum interest personis, per allegatos Judicem, Juratos et Cives de dicto Monte Sancti Georgii solutos dimisissent et expeditos, per omniaque satisfactos, et dimiserunt coram Nobis. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes nostras concessimus ipsis Civibus de dicto Monte Sancti Georgii literas, pendentis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum tertio die praedicti Nativitatis Christi, Anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo.

CIX.

Sigismundus Roman. ac Hung. Rex Metales Varaliensium literas ratas habet. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Sigismundus, Dei gratia Roman. Rex semper Augustus, ac Hung. etc. Rex memoriae commendamus, significantes tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod fideles nostri Providi viri Nicolaus Knobloch Judex et Romualdus Civis nostrae Civitatis Suburbii Castri Scepusiensis (*h. Szepes-Váralja*), Terrae nostrae Scepusiensis, eorum et aliorum universorum civium et hospitum de eadem in personis, in hunc nostrum venientes conspectum exhibuerunt nobis quasdam literas privilegiales Magnifici Viri Comitis Simonis de Rozgon, Iudicis Curiae nostrae, pro parte ipsius Civitatis nostrae emanatas, tenoris infrascripti; supplicantes nobis, ut easdem ratas, gratas et acceptas habentes, tenoresque earum transcribi et transumi facientes, eisdem nostrum Regium consensum praebere dignaremur, pariter, et assensum. Quarum quidem tenor talis est:

Nos Comes Simon de Rozgon, Judex Curiae etc. V. Dipl. CVII. 1411. p. 171. Nos itaque supplicationibus praefatorum Judicis et Jurati, suo et nominibus quibus supra, nostrae humiliter porrectis Majestati, benigne inclinati potissime pro eo, quia memoratus Comes Simon praescriptas metas, inter praefatas nostras Civitates, de nostro speciali mandato, pro habenda pace perpetua, et evitandis futuris discordiis, inter praefatas Civitates nostras ratione Silvarum praemissarum creberrime exortis, erexisse reperiebantur, tenores praescriptarum literarum ipsius Comitis Simonis de verbo ad verbum sine augmento et diminutione, aliquali, praesentibus nostris literis patentibus inseri et inscribi facientes, easdem ratas, gratas et acceptas perpetuoque valituras habentes, eisdem nostrum Regium benevolum consensum praebemus, pariter et assensum; harum nostrarum vigore literarum; quas in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Cassoviae in die Coenae Domini Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo duodecimo: Regnorum nostrorum Hungariae etc. XXV. Romanorum vero secundo. (L. S.)

CX.

Idem Rex ordinat, ne Varalienses in Silva Branisza turbentur a vicinis Nobilibus. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum etc Rex: fidelibus nostris Nobilibus Viris Petro Formas, alteri Petro et Andreae filiis Ladislai, ceterisque Nobilibus de Syraka *(h. Siroka in comitatu Sárosiensi)* salutem et gratiam. In personis fidelium nostrorum universorum Civium seu hospitum in Varalia, Hotkotz et Berencz[a] *(h. Grancs)* Oppidis nostris, ad Castrum Scepusiense spectantibus, commorantium, nostrae detegitur Majestati cum quaerela: Quod ipsos et ad eos pertinentes in Silva, Branissa[b] *(h. Braniszkó)* vocata, qua ipsi semper et ob antiquo usi fuissent, fretique et gavisi, impediretis, et eisdem nonnullas incommoditates inferri faceretis incessanter in ipsorum praejudicium, nostrique Regii Culminis contemptum valde magnum. Quare Fidelitati vestrae seriose committentes, mandamus, omnino volentes, quatenus ipsos Cives et hospites nostros, ac ad ipsos pertinentes, in Silva praedicta, qua ipsi, ut praedictum, usi fuissent et gavisi, indebite nullo modo audeatis impedire; quoniam aliter commisimus et serie praesentium firmiter committimus Comiti et Vice Comiti Comitatus nostri Scepusiensis, ut ipse vos ad ea facienda cum vestris dampnis et gravaminibus compellere et adstringere debeat, authoritate nostra Regia, praesentibus ipsis in hac parte attributa, mediante. Aliud pro nostra gratia non facturi, praesentesque post earum lecturam semper volumus restitui praesentanti. Datum Leuchoviae Feria quarta proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regnorum nostrorum Hung etc XXV. Romanorum vero II-do.

CXI.

Idem Rex Varalienses a tributo Castri absolvit. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Sigismundus, Dei gratia Roman. Rex etc Memoriae commendamus, significantes tenore prasentium, quibus expedit, universis: Quod, quia inter ceteras solicitudinis nostrae curas, quae animum nostrum circa

a) Intellige Grancz.

b) Ita a Slavis vocata, velut confiniali loco.

statum, commodum et profectum Regni nostri hora jugi praepediunt et infestant, specialis Nos cura inducit et solicitat, quomodo Civitatum nostrarum et ipsorum inhabitantium commodis et profectibus invigilare et de necessitatibus eorum salubriter providere debeamus: ideo Nos egestati, inopiae et paupertati Civium, hospitum et populorum Civitatis nostrae Suburbii, Castri nostri Scepusiensis, vulgo Varalia (*sic*) vocati, terrae nostrae Scepusiensis ut iidem opum ubertate profluentes, sicut numero, sic et fidelitate augeantur, eisdem Civibus, hospitibus et populis de dicta Civitate Varalia, hanc specialis nostrae gratiae praerogativam duximus faciendam, ut ipsi a modo in antea, et deinceps successivis futuris perpetuis temporibus tributum aliquod seu tributariam exactionem de personis et rebus eorum cujuscumque materiei existant, in tributo nostro regali, in loco seu in dicto Suburbio Castri nostri Scepusiensis vulgo Varalia, exigi consueto, ad idem Castrum nostrum spectanti solvere et facere non teneantur, nec a solutione ejusdem perpetuis temporibus penitus exempti sint, et habeantur harum nostrarum vigore et patrocinio literarum. Quocirca vobis fidelibus nostris universis et singulis Castellanis et Vice Castellanis dicti Castri nostri Scepusiensis, nec non tributariis in dicto tributo constitutis, praesentibus scilicet et futuris firmissime praecipimus et mandamus, quatenus a modo in antea et deinceps a praefatis civibus, hospitibus et populis de dicto Suburbio Castri nostri Scepusiensis alias Varalia vocato, et eorum quolibet, ac bonis et rebus eorum, cujuscunque materiei existentibus, nullum tributum, nullamve tributariam exactionem petere, exigere, petique et exigi facere debeatis, nec sitis ausi modo aliquali. Nihilominus quia praefati cives, hospites et inhabitatores praefatae civitatis nostrae, ratione solutionis dicti tributi in signum obedientiae semper et omni tempore contra formam praemissae nostrae gratiae, ad locum exactionis dicti tributi ire, compelli asseruntur; ideo volumus, et ipsi Vestrae Fidelitati firmis similibus sub praeceptis mandamus, quatenus a modo in antea et deinceps praefatos cives, hospites et populos dictae civitatis nostrae ad locum exactionis dicti tributi transire nequaquam compellere praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, eosdem quo maluerint, proficisci permittendo. Praesentes etiam post earum lecturam semper reddi volumus praesentanti. Datum in Leucha[a] in Dominica Reminiscerre. Anno Dni Millessimo qua-

a) Videlicet Leutschoviae.

dringentisimo duodecimo. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc Vigesimo quinto, Romani vero Secundo.

CXII.

Branda S. S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis concordiam inter Ladislaum Episcopum Tinin. et Comendatorem Abbatiae de Schavnik, ac Nicolaum Plebanum Quintoferensem, intuitu certorum agrorum ac Missarum celebrandarum initam confirmat. Anno Dni 1412.

Ex autographo apud R. R. Patres Quintoforenses existente.

BRANDA Tit. S. Clementis miseratione Divina Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, Placentinus vulgariter nuncupatus, Apostolicae Sedis Legatus etc. Universis et singulis Christi fidelibus, praesentes literas inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera Salus. Decet ex Officio nostri debito, ut justis supplicum votis in iis maxime, quae animarum salutem, devotionis zelum ac divini cultus augmentum prospicere dignoscuntur, prompto mentis affectu intendamus. Sane Universitati vestrae notum facimus per praesentes, quod constitutus in nostri praesentia Reverendus in Christo Pater, Dnus Ladislaus Episcopus Tininiensis, et Gubernator Monasterii beatae Mariae Virginis de Scepus, Nobis exhibuit quasdam literas cum pedenti Sigillo, dilecti nobis in Christo Joannis Canonici Ecclesiae beati Martini de Scepus, ejusdem Ecclesiae Praepositi, in Spiritualibus Vicarii Generalis, quarum literarum tenor sequitur, et est talis:

Nos Joannes Canonicus Ecclesiae beati Martini de Scepus, Vicarius Venerabilis Viri Dni Georgii Praepositi, Ecclesiae ejusdem in Spiritualibus Generalis, memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Reverendus in Christo Pater Ladislaus, Episcopus Tininiensis, Gubernator Abbatiae beatae Mariae Virginis de Scepus[a] ab una ac discretus Vir Dnus Nicolaus Plebanus, Ecclesiae Sancti Ladislai Regis in Quintoforo parte ab altera, coram Nobis personaliter constituti, sunt confessi oraculo vivae vocis: Quod orta inter ipsos, ac Jacobum Stengel Judicem, nec non juratos cives et hospites de eadem Quintoforo, celebratione donationeque et assignatione quadraginta jugerum terrarum

---

a) I. e. Savnik.

arabilium, nec non duorum pratorum, a providis viris videlicet: Ecgbonfredi quondam Comite Saxonum Viginti quatuor Civitatum Regalium de Scepus, et Jacobo filio Nicolai de Arnoldfalva, per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum emptorum, ac ipsi Plebano Ecclesiae Sancti Ladislai Regis praenominatae, per eundem pro remedio, animae suae et Parentum suorum, ac omnium fidelium defunctorum legatorum, infra declarandorum: quorum pratorum unum jaceret juxta dictum Quintoforum eundo versus meridiem, habens ad occidentem metas Villae Thomae *(h. Tamásfalu)*, et ad orientem dicti prati in Campo Gerlacii jacerent tres Cordae, quae facerent quatuor jugera terrae arabilis cum dimidio. Item de dicto prato redeundo versus forum penes molendinum esset secundum pratum cum una meta lapidea, habens quinquaginta passus, juxta Jacobum Stengel, superius nominatum. Item juxta dictum pratum eundo versus forum in campo Sagittarii *(alias Schützenfeld)* jacerent tria jugera. De illis eundo versus Occidentem ad monticulum, jacerent tria jugera. De illis iterum versus Occidentem descendendo ad vallem, jacerent tria jugera. De illis iterum versus Occidentem descendendo ad vallem, jaceret unum jugerum cum dimidio prope fossatum. De iis iterum eundo versus Aquilonem, seu ad pontem lapideum, jacerent unum jugerum conjunctum cum Corda praedictis duobus jugeribus. Deinde per viam dicti pontis redeundo versus forum praedictum, in loco qui vulgariter Hoffstadt dicitur, jacerent simul septem jugera. Dehinc iterum modicum, ascendendo versus aquilonem, iacerent simul tria jugera. Ab iis iterum modicum tendendo versus communem semitam, esset unum jugerum. Iterum versus Seád Hennczundorf *(sic)* jaceret unum jugerum. Ab hoc tentendo versus Ecclesiam, in valle jacerent duo jugera et unum quartale; post haec ultra tendendo in valle versus Ecclesiam, jacerent quatuor jugera simul, minus uno quartali, et sic sequestrando terminarentur ipsa triginta quinque jugera et duo prata. Et iterum ipsa quinque jugera, a dicto Jacobo filio Nicolai comparata, in metis dictae Villae Machalfalva contiguae, a parte viae, per quam homines de Leten *(h. Letánfalu)* transirent ad forum Caseorum *(h. Késmárk)* adjacerent, et situarentur. Et aliquandiu ventilata, tandem ultimo et finaliter ad Feriam sextam proximam post festum Exaltationis Sanctae Crucis deventa; in quo termino ipsae partes coram Nobis comparentes, obtentaque nostra judiciaria licentia, consensu, compositioneque proborum virorum pacem partium zelantium, interveniente, ad talem pacis et concordiae devenissent unionem, prout concorditer retulerunt: Quod praefatus Dnus Ladislaus Episcopus, praemissa quadraginta jugera terrarum

*

arabilium, cum dictis duobus pratis, quemadmodum prius sic et nunc cum singulis suis utilitatibus et pertinentiis perpetuo possidenda, tenenda et habenda, praefato Plebano Ecclesiae Sancti Ladislai Regis, pro tempore constituto testamentaliter donavit, commisit et assignavit; annotatus vero Dnus Nicolaus Plebanus, vice et nomine dictae Ecclesiae suae, dicta quadraginta jugera cum duobus pratis, juxta dispositionem ejusdem Dni Ladislai Episcopi, benevole assumpsit et acceptavit. Et in horum recompensationem duas Missas per se vel Capellanos suos in dicta Ecclesia *(Arnótfalvensi)* beatae Helenae, unam die Dominico alteram feriali celebrare assumpsit et promisit, dissimulatione absque omni populisque et Jobagionibus de dicta Villa Arnoldi singulis annis omnia Sacramenta Ecclesiastica in baptizando et sepeliendo, et cetera, prout moris est in Ecclesiis Parochialibus administrare. Si vero proventus ipsius Plebaniae per dictum Dnum Ladislaum Episcopum, vel alium quemcunque in posterum in tantum augmentarentur, ut Plebanus tres Capellanos de dictis proventibus conservare valeat, ex tunc tertiam Missam celebrare et adimplere teneretur, et esset obligatus. Ad quae omnia et singula praemissorum se et suos Successores firmiter obligavit Dnus Nicolaus Plebanus, ante dictus, ac ratione perceptorum fructuum dictorum jugerum ac pratorum, duo talenta cerae Ecclesiae Sancti Ladislai Regis per se et Successores suos perpetuis temporibus administrare promisit. Insuper singuli hospitum et Jobagionum jam dictae Villae Arnoldi singulis annis de qualibet domo Plebano Quintofori unum cubulum siliginis, ex causis et rationibus praemissis juxta antiquam consuetudinem eorum, ex dispositione et ordinatione praeallegati Dni Ladislai Episcopi, ac Scholasticis, singuli eorundem Jobagionum singulis annis domo de qualibet, Ecclesiae Ministrantibus, similiter unum Cubulum siliginis et unum panem administrabunt. De pulsu vero mortuorum nihil dabunt, ad modum Civium Civitatis: concordiae et compositioni idem Stengel Judex, una cum Nicolao Melcer Cive de praedicto Quintoforo, personaliter et pro tota Communitate adhaeserunt et interfuerunt, et hujusmodi concordiae et compositioni in ipso Universitatis Civium benevolum consensum praebuerunt et assensum. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes nostras literas privilegiales partibus praemissis concessimus, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum apud Ecclesiam praedictam Sancti Martini *(h. Szepeshely)* secundo die termini praenotati. Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo, postquam Nobis cum instantia supplicavit, quatenus dictas literas, et in eis contenta, confirmare dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod ex celebratione Missarum fienda in Ecclesia beatae Helenae, de qua in dictis literis mentio habetur, nullum Ecclesiae Matrici praejudicium generatur, et quod ejusdem Ecclesiae Matricis status melior efficitur ex donatione et assignatione quadraginta jugerum terrarum arabilium, nec non duorum pratorum, per praefatum Dnum Ladislaum Episcopum dictae Matrici Ecclesiae facta, quodque mentionatae Filiali Ecclesiae, et suppositis eidem in Divinis omnia debent deserviri et Ecclesiastica Sacramenta debite ministrari, desiderantesque animarum salutem, ac divini Cultus augmentum, praefati Reverendi Patris Domini Ladislai Episcopi supplicationibus inclinati, dictas literas et in illis contenta, ratas et gratas habentes, eas confirmamus, et praesertim literarum nostrarum robore communimus. In quorum testimonium praesentes literas fieri, nostrique sigilli, quo dum eramus Episcopus Placentinus utebamur, jussimus appensione muniri. Datum in Lewche *(h. Lőcse)* Dioecesis Strigoniensis, in hospitio Residentiae nostrae, sub Anno Nativitatis Dominicae, Millesimo quadringentesimo duodecimo. Indictione quinta, die quarta Mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Joannis, divina providentia Papae XXIII. Anno secundo.[b] Zihotus de Bononia.

CXIII.

Idem Rex Villam Gneszdam in Oppidum evehit, insignesque eidem libertates concedit. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Sigismundus Dei gratia Romanarum etc Rex, Memoriae commendamus ac significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod quia inter ceteras nostrae sollicitudinis curas, quae circa statum, utilitatem et commodum Regni nostri animum nostrum horrende praepediunt et infestant, specialis Nos cura inducit, et sollicitat, quomodo civium, hospitum et populorum nostrorum, Civitatum et Oppidorum commodis, et status ipsorum prospectibus provide disponere et de utilitatibus eorundem gratiose providere debeamus. Ideo Nos inspectis penuriis et oppressionum ac paupertatum incommodis fidelium civium, hospitum et populorum Oppidi

---

b) V. Cl. Antonii Sandini Vit. Pontific. P. II. Pag. mihi 600.

Gniaszda[a] *(h. Gnezda)* quas illi in variis motibus, et Regni nostri querris[b] cum Rege Poloniae habitis, semper Nobis devotam fidem et constantem fidelitatem servando, plerisque vicibus hucusque pertulerunt, ut iidem, sicuti fidelitate, sic et numero ac opum ubertate profluentes concrescant, eisdem hanc specialis gratiae nostrae praerogativam duximus faciendam, ut iidem cives, hospites et populi praescripti nostri Oppidi Gniaszna a modo ut antea et deinceps perpetuis futuris temporibus eisdem libertatibus, indultis, gratiis, praerogativis et exemptionibus, quibus cives, hospites et populi aliarum Civitatum nostrarum liberarum fruuntur et utuntur, idem Oppidum nostrum Gniaszna *(sic)* in numerum aliorum Oppidorum nostrorum benignius aggregantes, gaudeant et potiantur. Nihilominus iisdem nullum tributum, nullamve tributariam solutionem in tributo nostro, ibidem in dicto Oppido nostro Gniaszna, exigi consueto, tam de personis quam rebus, mercibus, nec non Bonis ipsorum cujuscunque materiei existentibus, undecunque deferendis et portandis, solvere et facere. Insuper, quod de universis rebus et bonis eorum mercionalibus, de quibus scilicet Tricesimae et Telonea solvi deberent, nullam Tricesimam aut Telonei[c] solutionem intra ambitum Regni nostri, Tricesimatoribus aut Teloneatoribus nunc et pro tempore constitutis, dare et solvere tenebuntur. Harum nostrarum vigore et patroninio literarum mediante; quas in formam nostri Privilegii redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae. Quocirca nobis Fidelibus nostris universis et singulis Tributariis in dicto Oppido nostro Gniaszna, nostris Tricesimatoribus et Teloneatoribus, in Lublo et aliis ubilibet intra ambitum Regni nostri constitutis, firmissime praecipimus et mandamus, quatenus praefatos cives, hospites et populos nostros de saepedicto Gniaszna ad solutionem dictorum tributi, aut Tricesimae sive Telonei praescripti, contra formam praemissae nostrae gratiae compellere et astringere non praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Praesentes autem perlectas semper reddi jubemus praesentanti. Datum Cassoviae Feria quarta post Festum Paschae Domini. Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regnorum nostrorum Hungariae et ceterorum XXV. Romanorum vero II-do.

---

a) In Lubloviensi Districtu existit.

b) Sive bellis, post mortem suae conjugis Mariae ortis. V. Bonfinium Decade II. Lib. II. pag. 374. Wagner, P. I. pag. 1. 4. 7. 12.

c) Ita in plerisque et maxime Polonicis Diplomatibus, de verbo ad verbum a me descriptis, legi.

CXIV.

Idem Rex Civitatem Podolin in numerum liberarum Civitatum aggregat condonando una eidem Tricesimae medietatem. Anno Dni 1412.a) *nipo. 7*

Ex autographo ibidem habito.

Commissio propria Domini Regis.

NOS Sigismundus, Dei gratia Romanorum etc. Rex, memoriae commendamus, significantes tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod, quia inter ceteras nostrae sollicitudinis curas, quae circa statum utilitatem et commodum Regni nostri, animum nostrum horrende praepediunt *(perfodiunt apud Wagner)* et infestant; specialis Nos cura inducit et sollicitat, quomodo civium, hospitum et populorum nostrorum, Civitatemque *(nostrarum civitatum a. W.)* commodis, et status ipsorum profectibus provide disponere et de utilitatibus eorum gratiose providere debeamus. Ideo Nos inspectis penuriis et oppressionum ac paupertatum incommodis, Fidelium Civium, hospitum et populorum nostrae Civitatis Podolin, *(Podolen a. W.)* quas iidem in variis motionibus, Regni nostri querris *(Guerris a. W.)*, cum Rege Poloniae habitis, semper Nobis devotam fidem, et constantem fidelitatem servando, plerisque vicibus hucusque pertulerunt, ut iidem sicuti fidelitate, sic et numero ac opum ubertate profluentes concrescant, eisdem hanc specialis nostrae gratiae praerogativam duximus faciendam, ut iidem cives, hospites et populi praescriptae nostrae Civitatis Podolin *(Podolen a. W.)*, a modo et *(ut a. W.)* antea, deinceps perpetuis futuris temporibus eisdem libertatibus, indultis, gratiis, praerogativis et exemptionibus, quibus cives hospites et populi aliarum Civitatum nostrarum liberarum fruuntur et utuntur, eandem Civitatem nostram Podolin *(Podolen a. W.)* in numerum aliarum Civitatum nostrarum benignius aggregantes, gaudeant et potiantur. Nihilominus iidem nullum tributum, nullam tributariam solutionem in Tributo, ibidem in dicta Civitate nostra Podolin *(Podolen a W.)* exigi consueto, tam de personis, quam de rebus, mercibus et bonis ipsorum, cujuscunque materiei existentibus, undecunque deferendis et portandis solvere et facere. Insuper, quod de universis rebus eorum mercionalibus, de quibus scilicet Tricesimae solvi deberent, solum medietatem Tricesimae hujusmodi et non plus, aliam medietatem eisdem gratiosius

---

a) Edidit Wagner ex Apographo sed mance. P. 1. pag. 211. Cf. item de hoc Oppido Compen. Hung. Geograph. Matthiae Bel. editio. Poson. et Cassoviae. pag. 189.

perpetuo relaxantes, Tricesimatoribus pro tempore constitutis dare et solvere teneantur. Harum nostrarum vigore et patrocinio literarum, quas in forma nostri Privilegii redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae.*) *Quocirca vobis fidelibus nostris universis et singulis Tributariis in dicta Podolin, nostris Tricesimatoribus in Lublio (Ó-Lubló) et aliis ubilibet intra ambitum Regni nostri constitutis firmissime praecipimus et mandamus, quatenus praefatos cives hospites et populos nostros de dicta Podolin, ad solutionem dictorum Tributi et medietatis Tricesimarum praescriptarum, contra formam praemissae nostrae gratiae compellere et adstringere non praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Praesentes autem perlectas semper reddi jubemus praesentanti.* Datum Cassoviae Feria quinta proxima post Festum Paschae Domini. Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo duodecimo. *Regnorum nostrorum Hungariae et ceterorum XXV-o, Romanorum vero II-do.*

CXV.

Idem Rex suam Patentem et Capituli Privilegiales super Terra Stojanfelde elargitas literas confirmat. Anno Dni 1412.

Ex autographo in Archivo montis S. Georgii existente.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaque Rex, Marchio Brandeburgensis, nec non Bohemiae et Luxemburgensis Haeres; Omnibus Christi Fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Circumspecta Regiae providentiae dignitas commoditatibus subjectorum invigilans, ad ea, quae sicut fidei et devotionis incrementa promovent, sic non minus numerositatem augmentant, libenter et in his eorum petitionibus inclinare benigne consuevit. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod fidelis noster providus Vir Nicolaus, Judex Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis, sua et juratorum, nec non totius universitatis ejusdem nostrae Civitatis nominibus et in personis, nostrae

---

*) Sequentia: „Quocirca nobis“ etc. usque „jubemus praesentanti“ etc. porro: „Regnorum“ etc. usque „vero II-do“, apud Wagner l. c. non occurunt.

Majestatis veniens in conspectum, exhibuit Nobis quasdam duas literas, unam nostram patentem, Secreto Sigillo nostro, novissime propter augmentum tituli nostri, ratione electionis nostrae in Regem Romanorum factae, absque qualibet causa dubiosa permutata, consignatam, qua mediante Nos quandam terram Stojanfelde (*sic*) vocatam, in Comitatu Scepusiensi existentem, a Monasterio beatae Mariae Virginis do Sebnek[a] sequestrasse et in concambium ejusdem aliam Possessionem Prímfalva nominatam, ad Civitatem nostram Lewchoviensem alias spectantem, eidem Monasterio perenniter donasse, ad Civitatemque nostram Montis S. Georgii nuncupatam, sub modis, formis et pactis, inferius in tenore earundem literarum nostrarum lucidius contentis et expressatis, in perpetuum aplicasse dignoscimur. Et aliam literam Capituli Ecclesiae Sancti Martini de Scepus privilegialem, Alphabeto intercisam, super ipsius Possessionis seu Villae, Stojanfalva vocatae, legitima statutione pro eisdem Civibus seu Universitate Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, eorumque haeredibus et posteritatibus universis rite facta, confectis, tenorem subsequentium. Supplicans exinde Nicolaus Judex nominibus, quibus supra, Majestati nostrae humiliter et devote, ut ejusdem literas ratas, gratas et acceptas habendo, nostrisque literis privilegialibus verbotenus inseri faciendo, pro ipsis eorumque haeredibus et posteritatibus universis innovantes, perpetuo valituras, dignaremur confirmare: Quarum unius, ut puta, ipsius nostrae Patentis literae tenor talis est.

Nos Sigismundus etc V. Diplom. CV. 1411. pag. 167. Alterius vero, ut puta, annotati Capituli Ecclesiae Scepusiensis literae Privilegialis continentia verbalis dignoscitur fore talis.

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Diplom. CV. 1411. pag. 169.

Nos igitur humillimis et devotis antefati Nicolai Judicis, per ipsum Nostrae nominibus, quibus supra subjective oblatis, Majestati supplicationibus antefatis, Regia benignitate exauditis, et clementer admissis, praefatas binas literas, nostram videlicet Patentem, et ipsius Capituli Ecclesiae Scepusiensis Privilegialem, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, imo merae et sincerae veritatis integritate pollentes, praesentibusque de verbo ad ver-

a) Sive Schavnik.

bum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum articulos, clausulas et continentias acceptamus, approbamus et ratificamus; eas nihilominus tum requirentibus dictorum Civium nostrorum fidelitatibus, et fidelium servitiorum gratuitis meritis et sinceris famulitatibus, per ipsos Nobis exhibitis, sedulo et impensis; tum etiam pro utilitate et commodiosiori statu, et augmentatione praefatae civitatis Montis Sancti Georgii, simul cum perpetua applicatione et donatione praefatae terrae, seu Possessionis, Stojanfoelde vocatae, concambialique permutatione et legitima statutione ejusdem praemissa, aliisque omnibus et singulis, superius in tenoribus earumdem geminarum literarum latius explicatis et contentis, mera autoritate Regia et potestatis plenitudine, ac ex certa scientia nostrae Majestatis, de consensu et beneplacito Serenissimae Principis Dominae Barbarae Reginae, Conthoralis nostrae percharae, Praelatorumque et Baronum nostrorum consilio praematuro, ac uniformi decreto eorundem, pro dictis civibus et populis, ac tota Universitate Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, eorumque haeredibus et posteritatibus universis innovantes, perpetuo valituras, confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante; salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et autentici Sigilli nostri duplicis, videlicet, quo ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Domini Eberhardi Episcopi Zagrabiensis, Aulaeque nostrae Majestatis Summi Cancellarii fidelis nostri dilecti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo, Sexto Idus Maji, Regnorum autem nostrorum Anno Hungariae etc Vigesimo quinto, Romanorum vero Secundo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: Johanne Strigonien, Andrea Spalaten, et altero Andrea Regusiensi Archiepiscopis. Colocensi et Jadrensi Sedibus vacantibus. Eodem Dno Eberhardo Zagrabien. Andrea Varadien. Stephano Transsylvan. Stiborio Agrien. Joanne Quinque Ecclesien. Benedicto Boznen. Johanne Jaurien; Fratribus Philippo Vacien. Dosa Chanadien. Hincone Nitrien. Ladislao Tinninien.[b] et Thoma Seniensi Ecclesiarum Eppis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Vesprimien. Sirmien. Tragurien. Sibincen. Nonen. Sardonen. Macarien. Pharen. et Carbaurensi Sedibus vacantibus. Nec non Magnificis viris, Nicolao de Gara, Regni nostri

b) Illo videlicet Ladislao de quo in superioribus Diplomatibus fit laudabilis mentio, et in subsequentibus commendatur.

Hungariae praedicti Palatino, Stiborio de Stiborich Vajvoda nostro Transsylvaniae, Comite Simone de Rozgon, Judice Curiae nostrae, Petermano de Medve, Dalmatiae et Croatiae Regnorum praedictorum, Ladislao et Emerico filiis quondam Bartholomaei de Wylak Machoviensi, Paulo Chuppor de Monoslo, totius Slavoniae Banis, honore Banatus Zewriensis vacante. Joanne Bubek de Pelseuch T*ha*varnicorum, Joanne Graff de Corbavia Dapiferorum, Johanne filio Gregorii de Alsan Pincernarum, Petro Cseh Agazonum nostrorum Magistris et Kaplerio Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CXVI.

Idem Rex posssessionem Stojanfalvam Civitati Montis S. Georgii et Primfalvam Monasterio Cisterciensium in Schawnik apropiat et adjudicat, non obstante protestatione Michaelis Hank, suorumve filiorum. Anno Dni 1412.

Ex autographo in Archivo Montis S. Georgii existente.

NOS Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex : Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus incumbit universis: Quod cum Michael filius Hank de *Zthoy*anfalfa, ac Ladislaus et Emericus filii ejusdem contra Reverendum in Christo Patrem, Dnum Fratrem Ladislaum Episcopum Tininiensem, Commendatoremque Abbatiae Monasterii beatae Mariae Virginis de Scepus, Ordinis Cisterciensis, Nobis in eo; Quomodo idem Dnus Ladislaus Episcopus praefatam possessionem *Zthoy*anfalva, dudum per Praedecessores Abbates, ut puta praefati Monasterii Praedecessores eorundem et demum per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum in sua, et sui Conventus personis propriis, pro certo censu annuo in feudum perpetuo collatam et arendatam ignorarent, qua de causa et ratione ab ipsis omni sine lege auferendo, Civibus et Civitati Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis quodam modo assignasse et perpetuasse, conquesti fuissent: Nos ipsum Dnum Ladislaum Episcopum, harum rationem redditurum, ad certum terminum nostram in praesentiam, mediantibus literis nostris, vocare fecissemus. Tandem Nobis Feria tertia proxima post Festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum,

*

una cum universis et singulis Statibus, Praelatis, Baronibus, Regnique nostri Proceribus in Diosgyör *(sic)* constitutis et causas cunctorum Regnicolarum nostrarum, Nobis conquerentium, exaudientes, ac justo aequitatis tramite discutientes, praefatus Michael filius Hank, personaliter in sua, ac dictorum Ladislai et Emerici filiorum suorum personis, ad nostram personalem veniens praesentiam et praefatam possessionem *Zthoy*anfalva Praedecessoribus suis et consequenter sibi ac dictis filiis suis, exhibitione literarum Capituli Scepusiensis, Secundo die Festi Ascensionis Domini, Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo undecimo, privilegialiter emanatarum, tenore aliarum literarum ejusdem Capituli, similiter privilegialium, Anno Dni Millesimo ducentesimo nonagesimo quarto confectarum, transumptive in se continentium, primo per Albertum Abbatem praefati Monasterii beatae Virginis de Scepus (Schawnik) et Conventum Loci ejusdem, Hilbrando, Praedecessori suo, pro duabus, postremoque per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum in suo et sui Conventus personis, sibi scilicit Michaeli et dictis filiis suis et eorum haeredibus pro quatuor Marcis fini argenti in certis terminis et conditionibus, poenisque et obligationibus, literis eisdem limpidius expressatis, praefato Monasterio, Abbatibus, nec non Conventui pro tempore constitutis, annuatim solvendis, in feudum perpetuo collatam et arendatam fore, declarans, rationem praemissae ablationis Possessionis antedictae, per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum assignari postulavit coram Nobis. Quo audito, idem Dnus Ladislaus Episcopus nostrae personaliter adhaerens praesentiae, ex adverso respondit eo modo: Quod non ipse sed Serenitas Nostra visis et consideratis defectu et carentia terrarum usualium, nec non pratorum, praedictorum Civium et Incolarum praefatae Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, praescriptam possessionem *Zthoy*anfalva, tam ab ipso Michaele filio Hank et filiis suis praenotatis, quam a praedicto Monasterio, Abbate et Conventu ejusdem auferendo, eidem Civitati suae applicasse, quandam aliam possessionem Civitatis Leu*tze* *(h. Lőcse)*, praefatae Terrae nostrae Scepusiensis, Primfalva nuncupatam, eidem Monasterio pro ipsa Possessione *Zthoy*anfalve concambialiter condonando et ibidem exhibitione literarum nostrarum in Temes*var* Feria quarta proxima post Festum beatorum Viti et Modesti Martyrum, proxime praeterita, sub secreto sigillo nostro patenter confectarum, praefatam terram seu possessionem *Zthoy*anfalva nominatam, praefati Monasterii in vicinatu praedictae Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii adjacentem, quam hactenus memorati Michael filius Hank, cum praedictis filiis suis, eorumque Antecessores tenuissent et

possedissent, cum omnibus ipsius utilitatibus et pertinentiis universis, ab eisdem Monasterio nec non Abbate et Conventu, per consequensque Michaele et filiis suis antelatis in concambium et concambialem permutationem jam dictae possessionis, seu Villae praefatae Civitatis nostrae Leu*tza*, Primfalva vocatae ab ipsa Civitate nostra Leu*tza* receptae et separatae, separatisque Monasterio et per consequens Abbati et Conventui ejusdem pro tempore constitutis, mera nostra Regia auctoritate et potestatis plenitudine in forma hujusmodi concambialis permutationis, sub conditionibus, nudius explicatis, datae, donataeque et permutatae, per Nos ablatam et ipsi civitati Montis Sancti Georgii applicatam et annexatam esse, comprobans tam ipse Dnus Ladislaus Episcopus sibi quam praefatus Michael similiter sibi, et dictis suis filiis in praemissis juris aequitatem per nostram Majestatem postularunt impertiri. Verum licet praefatus Dnus Ladislaus Episcopus, Commendator scilicet praefatae Abbatiae Monasterii beatae Mariae Virginis, praescriptam possessionem ipsius Monasterii, *Zthoy*anfalva nuncupatam memorato Michaeli filio Hank et filiis suis pro censu annuo in feudum, Regio absque consensu, perpetuo donaverit, et arendaverit; tamen quod ipse Bona praefati Monasterii, cujus jus Patronatus immediate ad Regem pertinet et ab ipso Monasterio alienare mimime potuisset; et ex eo Serenitatem nostram saepelatam possessionem dicti Monasterii, per ipsum scilicet Ladislaum Episcopum et Praedecessores suos Abbates scilicet ipsius Monasterii ab eodem modo praemisso alienatam, eidem reappropriare et reintegrare, reappropriatamque et reintegratam ab eodem in Concambium seu permutationem, praetitulatae alterius possessionis nostrae, ipsi Monasterio utilioris recipere et praetactae Civitati Montis Sancti Georgii applicare, annectere et donare, de jure et Regni nostri consuetudine suadente, voluisse, sicque causis de praemissis praescripta possessio *Zthoy*anfalva, pro praelibata possessione nostra, Primfalva vocata, memoratae Civitati nostrae Montis Sancti Georgii applicata per Nos est donata eidem Civitati. Ipsa autem Possessio Primfalva antedicto Monasterio, ejusdemque Abbatibus et Conventui pro tempore constitutis, virtute et vigore praemissae concambialis permutationis appropriari et jure per*h*ennali adjudicari et committi debere, Nobis ac dilectis Praelatis, Baronibus, Regnique nostri Proceribus, Nobiscum in horum examine et judicio sedentibus et diutius super hisce deliberantibus, cernebatur. Pro eo Nos eorundem Praelatorum, Baronum et Regni nostri Nobilium, maturo assumpto consilio, praetitulatam possessionem *Zthoy*anfalva, antefatae Civitati nostrae, Montis

Sancti Georgii, praetactam vero Villam, seu Possessionem, Primfalva nuncupatam, saepefatis Monasterio, Abbatibusque et Conventui, pro tempore existentibus et pertinentiis quibuslibet, quovis nominis vocabulo vocitatis, appropriantes et adjudicantes, relinquimus et comittimus eisdem in perpetuum possidere, tenere pariter et habere, salvis juribus alienis; Annotato Michaeli filio Hank et ejus filiis praenotatis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis super inde silentium perpetuum imponentes, cunctis literis et literalibus instrumentis, pro parte ipsius Michaelis ac praedecessorum et filiorum suorum, sub quacunque verborum forma super facto ipsius possessionis, *Zthoy*anfalva vocatae, emanatis, annulatis, cassatis et viribus porsus destitutis, harum nostrarum vigore et testimonio literarum. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes, concessimus literas nostras privilegiales, pendentis authentici sigilli nostri novi duplicis, quo ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum in Diosgyör secundo die termini praenotati. Anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc Vigesimo quinto. Romanorum Secundo.

CXVII.

Literae Metales Silvae Matthaeivillensis, a Jacobo Kurgui, Comite Saxonum etc reambulatae. Anno Dni 1412.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Reverendus in Christo Pater, et Dnus Dnus Frater Ladislaus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Tininiensis, Commendator et Gubernator Abbatiae Monasterii beatae Mariae Virginis de Schewnik, providus et discretus vir Jacobus Comes Saxonum, Terrae Scepusiensis de Leuche *(h. Löcse)* ad nostram personaliter venientes praesentiam, proposuerunt viva voce, quomodo ipsi de literario mandato Serenissimi Principis Dni nostri Sigismundi Dei gratia Romanorum Regis, semper Augusti, et Hungariae etc Regis, ipsis firmiter injuncto, inter alia mandata et negotia ipsius Domini nostri Regis exercenda, prout in suis literis desuper emanatis, plenius et lucidius continentur, ad superficiem metarum Silvae ac Vil-

larum Slakendorff[a] Mathisdorff[*] et Montis Sancti Georgii accedendo, ipsosque revidendo et reambulando, hoc ordine ab invicem distinxissent metaliter et separassent: Quarum prima meta Villae Matthaei inciperet in quodam loco, Sarffek[b] appelato, a parte Orientis, ubi esset meta terrea, magnis petris circumdata, in cujus medio arbor Illicis, quae vulgo Rothbomen *(sic)* Holtz dicitur, haberetur. Deinde versus Aquilonem, ascendendo per quandam viam graminosam, per bonum spatium veniret ad latus montis Nivium[c] ubi in ipso latere Montis nivei, Kalberg dicti, esset alia meta terrea truncum Illicis in medio habens; abhinc reflecteretur ad Occidentem per longum spatium veniret usque ad Caput rivuli qui Awynwasser[d] vulgariter nominaretur: Qui quidem rivulus Awynwasser separaret Silvam Hospitum de Monte Sancti Georgii et de Villa Matthaei: dehinc descendendo in ipso rivulo similiter per bonum spatium, perveniret ad metam quandam lapideam, qui lapis Silix vocaretur, qui lapis Silicis distingueret silvam Villae Slauci [e] a silva praedicti Montis Sancti Georgii et Villa Matthaei. Abinde directe eundo per competens spatium per quandam aliam viam graminosam bene apparentem et in latere ipsius Silvae Slauci; quae Fridbusch vulgariter vocaretur et veniret ad primam metam Sarffek, ubi ipsa reambulatio incepta extitisset; quas quidem metas populi et hospites de dictis Villis Slaukendorff, Mathisdorff, et Montis Sancti Georgii communi consensu et voluntate cum viis antiquis, semitis et utilitatibus et pertinentiis juxta Regium et literarium mandatum, ipsis Domino Ladislao Episcopo et Comiti injunctum. Quibus sic, ut praemittitur, peractis et finitis, relationibusque ipsorum Dni Episcopi et Comitis factis, per Nosque admissis et receptis, ad petitionem populorum et hospitum de eisdem Villis, praesentes nostras concessimus literas eisdem, pendentis Sigilli nostri munimine roboratas et Alphabeto per medium intercisas. Datum Feria tertia proxima post Festum Visitationis Virginis Gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo.

---

a) Etiam Grosz-Schlagendorf, Nagy-Szalok.
*) Matheócz, Mathsdorf.
b) Id est: Scharf-Ek, vel Scharf-Weg.
c) Sive Carpati.
d) Recte Anna-Wasser.
e) Sive Nagy-Szalok.

CXVIII.

Metales Literae Civitatis Igló, cujus Territorium sub Jacobo Rusdorff, Comite Saxonum est reambulatum. Anno Dni 1413.

Ex autographo ibidem habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidebus praesentibus pariter et futuris, notitiam praesentium habituris, salutem in omnium Salvatore: Quoniam ea, quae aguntur in tempore, simul cum tempore caligine vicissitudinis obfuscantur, nisi praesidio literarum et fidelium testium adminiculo in statum solidum reducantur: Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod cum Nos de literario mandato Serenissimi Principis, Domini nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis, semper Augusti, ac Hungariae etc Regis, una cum Honorabili, et Providis Viris: Christiano, Cantore dictae Ecclesiae nostrae, Petro dicto Jurk, Judice de Leuche, et Jacobi Rissdorff Comitis Terrestris[a] Ladislao de Wilkendorff[b] *(h. Vilkócz)* et Petri Henrici Donawitz, Comitis Castri Scepusiensis, item Petro de Sperndorff[c] Nicolao Knoblach de Suburbio[d] dicti Castri; Crisilino de Balmar[e] *(h. Pálmafalu)*, et Hamano de Odorino Iudicibus, in Viginti quatuor Judicum Civitatum Terrae Scepusiensis personis, et eorum vices gerentium hominibus ejusdem Domini nostri Regis, in literis suis conscriptis et deputatis, Reverendo in Christo Patre Domino Ladislao Episcopo Tinniensi[f] felicis recordationis, ad hoc similiter

a) Hic fuit ultimus Comes Saxonum, vulgo Landgraffius dictus.

b) Wilkotz, Slavis Wilkowce.

c) V. Part. I. pag. 96.

d) Szepes-Varalja.

e) Hinc etiam Villa Balmari, alias Baldmari, nec non Palmarum nominata est, quae Harikotz nomenclatur.

f) Non titularis sed actualis fuit olim Episcopus Tinninii. Redivit vero, tanquam fidelis subditus Sigismundi Regis, in Hungariam, post infelicem pugnam, quam anno 1396 cum Bajazete Turcarum Imperatore ad Nicopolim habuit: propterea etiam ab eodem Rege ac Imperatore pro Commendatore Cisterciensis Monasterii in Schawnik denominatus, ubi vitam suam quoque posuit. *) Notandum. In sensu legum patriae nostrae sub nomine „Commenda"-rum intelligitur id genus beneficiorum sive per Pontificem sive per regem collatorum, vi cuius Abbatiae vel Praepositurae dignitariis aut gratis ecclesiasticis personis ad usum fructuum vel provisionem conferebantur. Comendatarii collata sibi taliter beneficia independenter a corporatione administrabant. Observationem autem disciplinae qua talis, aut per substitutos aut vero per Priores monasterii (seu capita ordinis) dirigebant. — Commendas aut ad longius tempus, aut vero usque ad mortem collatas fuisse, notum quin in titulum investirentur. Exinde exorta distinctio inter beneficia titulata et commendata. Maximopere conferebantur tales commendae invasione barbarorum pulsis e sedibus suis Episcopis retento jure ad Episcopatum, ut tali modo intertentioni ipsorum provideatur.

deputato, universo debito Carnis persoluto, pro parte providorum virorum, Sigismundi dicti Reyber Judicis, nec non universorum Hospitum, Civium et Inhabitatorum Civitatis suae, Iglow *(h. Igló)* appelatae, in dicto Scepus adjacentis ab una, ac Ladislai filii Marias, Antonii filii Nicolai, Johannis filii Petri et Jacobi filii dicti Ladislai, Nobilium de Markusfalva parte ab altera, nostrum testimonium et hominem, videlicet Dominum Stephanum de Karpona, Fratrem et Concanonicum nostrum, quod eadem sua Regia Majestas ad contenta ipsarum literarum exercenda et peragenda, inferius declaranda, per Nos transmitti mandavit, fide dignum deputassemus: Tandem iidem Regii sui et nostri homines exinde ad Nos reversi, nobis concorditer retulerunt: Quod cum ipsi, dicto testimonio nostro praesente, juxta series ipsarum literarum octavo die Festi beati Michaelis Archangeli, proxime praeterito, personaliter et unanimiter ad facies metarum ipsorum Nobilium de dicta Markusfalva et dictae Civitatis Iglow, intra se contigue tangentium, praesentibus etiam Nobilibus de eadem Markusfalva, secundum annotationem Testimonii nostri ipsis factam, pro infrascriptis metarum erectionibus faciendis accessissent, ex tunc Partes eadem pari voluntate et consensu, ex causis ipsos moventibus, ut dixissent, erectiones ipsarum metarum ad diem Dominicum proxime futurum inter eos fiendarum prolongassent, quo termino adveniente et dictis partibus ad eundem terminum in locis praedictis ad praemissa facienda comparentibus, ipsi inter se de metis earundem diutius certassent, iidem Regii et noster homines eosdem homines Nobiles, utrum aliqua jura, privilegia et literalia instrumenta super possessione Markusfalva et ipsius metarum erectione, si quae haberent confecta, ad praedictum literatorium mandatum Dni nostri Regis deponere vellent, requisivissent, qui aliquando se habere et nolle deponere respondissent, et sic altercationibus praedictarum in erectione metarum ipsarum aliquamdiu ventilatis, tandem praedicti hominis Regii, praefato Testimonio nostro praesente, pari et unamini voluntate earundem partium demonstrantium, volentium et significantium, primam metam novam terream versus Orientem in prato, in quo ~~fluit~~ Lewterbach[g] fluvius, ubi fines metarum illarum de Odorino, de Balmar *(h. Pálmafalu)*, de Markusfalva et de Nova Civitate[h] conveniunt, erexissent et consignassent; deinde vertendo se versus Occidentem, et declinando ad terras arabiles illorum de Nova Civitate juxta dictum pratum,

g) Leutschbach.

h) Iglovia, alias etiam Neo-Comium dicta.

~~quod~~ Reem dicitur, secundam metam terream, deinde continuo ascendendo usque ad Berch seu Collem usque ad viam tritam, quae vadit de Nova Civitate versus Markusfalvam, duas alias metas terreas in terris arabilibus illorum de Nova Civitate, juxta terras arabiles ipsorum Nobilium, de Markusfalva praedicta, cum evidentibus signis. Deinde de illa quarta meta declinando in dictam viam tritam versus Occidentem, in terra non arabili, quae dicitur Drisch, quintam novam metam terream: deinde continuo descendendo usque ad fluvium Hornad, flectendo se modicum, e converso versus Meridiem semper in terris ipsorum de Nova Civitate, tres novas metas terreas: deinde pertranseundo dictum fluvium Hornad inter ipsum fluvium Cyseyfen *(sic)*, alio nomine Brusnik vocatum, unam novam metam terream et lapidosam, juxta veterem innovatam: deinde pertranseundo dictum rivulum Cyseyfen, continuo eundo versus Meridiem, inter duos montes, in parte sinistra, in valle et pede montis, juxta pratum usque ad aciem et finem montis sinistri, sex novas metas terreas, juxta veteres innovatas. Deinde aliis diebus sequentibus ad id ~~ipsis~~ sufficientibus, retro aciem Reem montis praedicti, in dicta parte sinistra in monte praedicto, inter salices modicum directius se flectendo versus meridiem, inter dictum rivulum Cyseyfen, alio nomine Brusnik, et alium rivulum, qui venit de metis illorum de Villa Botisi,*) unam metam novam terream juxta duas veteres inventas. Deinde procedendo et directe ascendendo in magna aclivitate ad montem nigrum, dictum Schwarczenberg, versus Meridiem, alio nomine Fekete erdő *(sic)* contra duas abietes magnas stantes in cacumine montis ipsius usque ad summitatem inter arbores, tres metas novas terreas, juxta veteres ibidem renovatas, in quarum tertia meta veteri in medio stat una Tilia sub Capite montis. Deinde veniendo superius ad cacumen montis nigri praedicti directe sursum, ubi a sinistris stant praedictae duae abietes magnae, sunt duae metae lapideae, quarum unam versus dextram manum sub abiete lata et dispersa renovassent. Deinde directe versus Meridiem, quandam vallem pertranseundo, ad altiorem montem, qui vocatur Lubizland *(sic)*, ubi penes cacumen ipsius montis unam metam lapideam prope quandam arborem Tiliae, novam juxta veterem. Deinde de dicto monte descendendo et pertranseundo

*) „Villa Botisi" nequaquam confundatur cum similis nominis „villa Botizi" hodie Batizfalu ad pedes montium Carpaticorum. Uti ex contextu praenominati documenti patet sub „villa Botisi" exiguum pagum ad fluvium Hernad hodie Teplicska dictum et parochiae Markusfalviensis affiliatum, esse intelligendum clare elucet.

quandem vallem magnam, in cujus dextra parte inter arbores densas sub quodam monte Caput fluvii Brusnik dimittitur et pervenitur a sinistris per unam viam tritam ad montem Isenbach, alio nomine Altenberg, ubi novam metam terream, juxta duas veteres inventas, in quarum medio veterum stat una magna arbor abietis, inferius combusta. Deinde descenditur in magna declivitate usque ad vallem, in quam Isenbach[i] in qua fuit olim minera urburaria pro cupro cudendo, habens duos lapides magnos erectos, unum a sinistris pro meta illorum de Markusfalva, et alium illorum pro meta de nova Civitate a dextris. Deinde descendendo per unam viam de lapide dextra: Sic illorum de nova Civitate per unam densam silvam, et deinde descendendo pervenitur ad locum, qui vocatur Krigh *(sic)*, ubi olim fuerunt montana, et ubi unam metam terream juxta veteres inventas: deinde descendendo, perveniter ad aquam, quae vocatur *B*righseiffen, inter duos montes magnos et altos, quorum unus a sinistris, Hunnenberg[k] dictus, pro meta illorum de Nova Civitate designatur. Deinde partranseundo dictos montes et sequendo continue vallem, in qua currit aqua Krighseiffen, a sinistris versus meridiem in magna silva et veniendo ad altitudinem et finem silvae et montis versus fluvium Nagygilincze *(Nagy-Hnilecz)*, unam novam metam terream circum quandam arborem magnam et latam, vulgariter Ohorn dictam. Deinde flectitur modicum ad Occidentem per unam vallem et ascendendo pervenitur ad unam viam, quae circuit in medio montis, supra quam a dextris versus montem, veteres metas arenosas et lapidosas inventas, habentes supra se immediate duos truncos abietum succisarum. Deinde descendendo infra dictam viam a sinistris et veniendo ad dictum fluvium Nagygielnicze ad circuitum magnum et reflexum ipsius fluvii, qui vocatur vulgariter Die grosse Kier *(sic)*, quasi per modum clypei triangulati, seu brachii curvati, novam metam terream et ibi cadit in dictum fluvium Nagygielnicz *(sic)* ubi metae partium praedictarum et erectiones praedictae illorum Nobilium de Markusfalva a sinistris et eorum de Nova Civitate a dextris terminantur. Quarum metarum erectionibus et distinctionibus praedictarum mediantibus, praedictas particulas Silvarum litigiosas, per ipsos Nobiles occupatas, dictis hospitibus et incolis dictae Civitatis Iglow, juxta tenorem literarum, Dni nostri Regis praedictarum, reliquissent et commisissent possidendas. In cujus

i) Eisenbach germanis.

k) Ne fors ab Hunnis, ibidem conquiescentibus, dum superiorem Hungariam, pugnaturi contra Svatoplugum, ingressi fuissent, ita dictus.

rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes nostras literas, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas, partibus praescriptis duximus concedendas. Datum decima die diei erectionis et distinctionis metarum, anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo.

CXIX.

Sigismundus Romanorum ac Hungariae Rex Petro Comiti Comitatus Scepusiensis mandat, ut Iglovienses et Montis Sancti Georgii Oppidanos contra Máriássyanos, eorundem Silvas occupare nitentes, strenue defendat. Anno Dni 1414.

Ex autographo in Monte Georgii existente.

Commissio propria Domini Regis.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex: Fidelibus nostris, Egregio militi Petro[a] filio Henrici, comiti vel ejus Vice-Comiti et Judicibus Nobilium Comitatus Scepusiensis, salutem et gratiam. Ex insinuatione Serenissimi Principis, Dni Wladislai, Dei gratia Regis Poloniae, Fratris nostri Carissimi displicenter intelleximus: Quomodo nonnuli Nobiles et possessionati, praedicti comitatus homines, in vicinitate quarundum civitatum nostrarum Regalium Terrae nostrae Scepusiensis, utpote Nobiles de Markusfalva, penes novam Civitatem alias Iglow et alii prope Civitatem nostram Szent-Georg[b] *(h. Szepes-Szombat)* vocatas, residentes, certas metas et terras earundem Civitatum nostrarum[c] pro se ipsis usurpare et iisdem civibus Civitatum praedictarum ac nostris Regiis et Honorabilis Capituli Scepusiensis hominibus, praetextu erectionis metarum, et Terrarum Civitatum earundem, molestias, minas, damna et perturbationes inferre non cessarent, imo continuo eisdem nostris civibus ac dicti populi hominibus, praetextu erectionis metarum praedictarum, dictas vexationes et molestationes graviores conantur inferre in futurum.[d] Propter quod praedictae nostrae Civitates non eodem ordine et Terrarum,

---

a) Fuit de Berzevicze. Wagn. P. III. pag. 214.

b) Mons S. Georgii.

c) Non obstante impignoratione suas nihilominus Civitates esse scribit.

d) Isthoc prima fuit horum Oppidorum post impignorationem impetitio, quam aliae secutae sunt.

Silvarum ac aliarum pertinentiarum usu, quo per nostram Majestatem eidem Fratri nostro carissimo fuissent obligatae, possent gubernari. Unde Fidelitati vestrae firmissime praecipimus et mandamus, quatenus mox habitis praesentibus, praedictos universos et quoslibet Nobiles, in vicinitate quarumlibet Civitatum nostrarum, eidem Fratri nostro impignoratarum et signanter praeattactarum duarum praememoratarum, cum damnis et gravaminibus earum non modicis, ab usu hujusmodi Terrarum, seu Silvarum, per ipsos post tempus impignorationis, seu metarum earundem Civitatum erectis, occupatarum, certius prohibere et dictos nostros Cives in eisdem Terris et Civitatum praedictarum pertinentiis tueri et defendere ac manutenere debeatis. Aliud pro nostra gratia non facturi. Datum Placentiae in Dominica Invocavit, anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo quarto. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc vigesimo septimo, Romanorum vero quarto.

CXX.

Wladislaus Rex Poloniae Incolis Civitatis Lublo, bello ac peste attritis, medietatem Telonii per Terram Cracoviensem remittit. Anno Dni 1414.

Ex autographo ibidem habito.

WLADISLAUS, Dei gratia Rex Poloniae, Lithvaniaeque Princeps Supremus et Haeres Russiae; significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod consideratis magnis et gravibus desolationibus Civitatis Lublio *(Ó-Lubló)*, in Terra Scepusiensi consistentis, per Serenissimum Principem Sigismundum, Romanorum Regem, semper Augustum et Hungariae Regem, — Fratrem nostrum carissimum, Nobis obligatae, quae videlicet desolatio ipsi Civitati Lublio ex crebris vastationibus guerrarum et pestilentarium, temporibus proxime praeterritis in illis partibus, prout didicimus, evenit.[a] Cupientes itaque, ut nostri tempore regiminis, ipsa Civitas Lublio respirare, ipsaque sic desolata et desertata reaedificari, redintegrarique et ad statum pristinum iterum adduci valeat, de Regiae

a) Sub attacto bello Polonico utique Civitas Lublo, velut in confiniis sita, plurimum pati debuit. Hinc et illos Regios favores, in Diplomate contentos, ut semet restaurare successive valuerit, consequi merebatur.

benignitatis pietate solita, praedictae Civitati Lublio et ipsius incolis medietatem Telonii, in locis Terrae nostrae Cracoviensis, in quibus Teloneum recipi consuevit a ferro, cupro et ab aliis quibuscunque rebus, et mercantiis ipsorum Incolarum Civitatis memoratae, in eundo Bochnam et Cracoviam, ab indeque redeundo, pepercimus et indulsimus; nec non quodlibet centenarium salis grossi in Zuppa[b] nostra salis Bochnensis, per quatuor grossos latos Pragensis monetae, vel etiam pro ferro, cupro, seu aliis rebus mercimonialium emi et commutari praenotatae Civitati Lublio et ipsius Incolis juxta antiquam consuetudinem, tempore Regis Casimiri, divae memoriae, nostri Praedecessoris, observatam, concessimus et concedimus tenore praesentium gratiose, ad nostrae tamen dumtaxat beneplacitum voluntatis. Quapropter vobis praesentibus et aliis pro tempore futuris Zuppariis[c] salis Bochnensis et Teloneatoribus Cracoviensibus, nostris fidelibus firmiter praecipientes, mandamus, quatenus Zupparii Bochnenses quodlibet centenarium, per quatuor grossos latos Pragensis monetae, aut pro ferro, cupro vel aliis rebus mercimonialibus vendere et commutare, vosque Teloneatores tantum medietatem Telonei a praefata Civitate Lublio et ipsius quibuscunque Incolis, nec non ferro, cupro et aliis quibuscumque rebus ipsorum exigere ac tollere, nostrae sub obtentu gratiae debeatis. Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum et datum Cracoviae Feria secunda post Laetare proxima. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quarto decimo. Relatio Dni Alberti Episcopi Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarii.

CXXI.

Literae Palatinales, quibus Belenses Cives ad Judicia evocantur. Anno Dni 1416.

ANALITATI suis Reverendis, Capituli Ecclesiae Scepusiensis pro Vincentio, filio Thoma Soldus, ac Ladislao Dionysy de Kachwinkel *(h. Kaczvin)*, contra Judicem et Juratos Cives de Bela ad Octavas Festi beati Apostoli Jacobi: Amicis suis Reverendis Capitulo Ecclesiae Scepusiensi, Michael Országh de

b) Id est, Fodina. Ex ista Ludovicus I. Hung. Rex ad instantiam Casimiri Regis Poloniae, qui in Diplomate provocatur, sales evehi admisit usque ad Civitatem Sáros, et Lypto.

c) Sive Praefecti salis fodinae.

Guth, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Noveritis, quod Vincentius Soldus de Rudnya *(h. Harakócz ?)*, in quem mortuo Thoma, similiter Soldus Patre ejusdem praesens causa est condescensa pro se personaliter ac pro Ladislao de Kachwinkel, nec non Judice et Juratis Civibus Civitatis Késmark, tum pro actoreis literis vestris juxta continentiam literarum quondam Magnifici Laurentii de Hedervara, similiter Regni Hungariae Palatini et nostrarum prorogationalium in Octavis Festi beati Georgii Martyris in figura nostri judicii comparentes, contra Judicem et juratos de Bela quasdam literas vestras inquisitoriales, dicto quondam Laurentio Palatino ad amicabilem literatoriam suam petitionem rescriptas, tenoremque literarum, vobis directarum verbaliter in se habentes, asserens actionem et propositionem dictorum Actorum literis contineri, in eisdem Nobis praesentavit, declarando coram in personis Valentini, Johannis literati de Olzawice *(h. Olasvicza)*, ac Thomae et Georgii dictorum Soldus, nec non Dionys*y* filii Ladislai de Kachwinkel, item Georgii et Francisci de Szent-Miklós, ac Petri de Becke, ac judicis et juratorum Civium de K*e*smark, eidem Laurentio Palatino dictum extitit; quomodo quidam cives, videlicet Petrus Lumnitzer et Nicolaus Poltz Feria sexta proxima post Festum beatae Agnetis Virginis, cujus in Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo perstitisset revolutio annualis, ex commissione et voluntate Joannis Plebani, Jacobi Judicis, Juratorum Civium et totius Communitatis de B*e*la *(h. Béla)*, quosdam homines, videlicet Jacobum parvum, Vincentium et Jordanum Jobagiones praefatae Civitatis Bela et Dionys*y*, in possessione Ruckus *(h. Rokusz)* demorantes, in silvis et rubetis Actorum intra metas dictae possessionis Ruckus existentibus, ligna secantes reperiendo, tres equos ipsorum et eisdem recipissent et ad praefatam possessionem Bela deduxissent, ac Judici et juratis Civibus de eadem praesentassent; Qui quidem Judex et jurati eosdem Jacobum, Vincentium et Jordanum Jobagiones dictorum Actorum in tribus florenis pactantes, praedictos tres equos eisdem retinuissent, potentia mediante, in praejudicium dictorum Actorum valde magnum. Super quo vestram amicitiam idem Laurentius Palatinus literatorie petivisset diligenter: quatenus vestrum mitteretis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus, infra declarandus, scita praemissorum mera veritate, citaret praefatos Dnum Johannem Plebannum ac Judicem et juratos ac totam Communitatem de Bela contra annotatos Dionys*y*um de Kachwinkel ac Judicem et Juratos de Kesmark, ipsius Laurentii Palatini in praesentiam, ad terminum com-

petentem, rationem praemissorum reddituros. Et post haec ipsorum inquisitionis et evocationis seriem cum nominibus evocatorum, termino assignato, eidem Laurentio Palatino amicabiliter rescriberetis. Vos itaque petitionibus ejusdem Laurentii Palatini satisfacere volentes, una cum Nicolao filio Johannnis de dicta Olszavicze, hominem ejusdem, unum ex Vobis, videlicet honorabilem Virum Dnum Petrum de Késmark, Socium et Concanonicum Vestrum deduxissetis, destinantes pro testimonio fide dignum; qui tandem exinde ad vos reversi, vobis concorditer retulissent, quod ipsi die Dominico proximo ante Festum Simonis et Judae Apostolorum, in Comitatu Scepusiensi simul pergentes, inibi ab omnibus, quibus decens fuisset, Nobilibus et ignobilibus ejusdem Comitatus hominibus diligenter de praemissis inquirentes, omnia sic, ut praemissum fuit, et quemadmodum tenor literarum dicti Dni Laurentii Palatini contineret, fore facta, comperissent et rescivissent, factaque hujusmodi inquisitione idem homo ipsius Laurentii, ipso testimonio Vestro praesente, annotatos, Dnum Johannem Plebanum ac Judicem et juratos, nec non totam Communitatem de Bela, in eadem contra annotatos Dionysium de Kachwinkel, ac Judicem et Késmark, ad Octavas Festi Epiphaniarum Domini, tunc venturas, in ejusdem Laurentii Palatini praesentiam citassent, rationem praemissorum reddituros. A quibus quidem Octavis Festi Epiphaniarum Domini per eum praescripta, primo seriebus literarum ipsius Laurentii Palatini, tandemque ipso e medio sublato et Nobis per Regiam clementiam in ipso honore Palatinatus sublimatis, nostrarum prorogatorialium de termino in terminum currentium, medioque tempore praefatis Thomae Soldus et Dionysio de Kachwinkel decedentibus, ut causa ipsa in praefatos, Vincentium Soldus filium Thomae et Ladislaum filium Dionysii condescensa, praesentes Octavas Festi beati Georgii Martyris dilative attigisset, ad quas quidem Octavas Festi beati Georgii Martyris, jam fati Judex et Jurati Cives de Bela, per annotatum Vincetium in sua ac dicti Ladislai personis, congruis diebus ipsarum Octavarum eorum Nobis exspectati, nostram in praesentiam non venerunt, neque miseruut, se mediantibus aliis literis nostris judicialibus, exinde confectis, in judiciis aggravari permittentes. Postulans praefatus Vincentius sibi et dicto Ladislao filio Dionysii, per Nos in praemissis juris aequitatem impertiri. Et quoniam annotati Judex et jurati Cives de Bela, in causam attracti, ad praemissa vice secundaria evocandi fore videbantur, pro eo vestram Amicitatem praesentibus petimus diligenter, quatenus Vestrum mittatis hominem, pro testi-

monio fide dignum, quo praesente Martinus de Miklosfalva *(h. Miklósfalu)*, vel Sigismundus Aczel, aut Simon Helmes de Hisfalva *(h. Kisócz)* sive Nicolaus Aczél de Szent-Andras seu Johannes Krig, sive Balthasar literatus de Chypanfalva *(h. Csepánfalu)*, neve Johannes Chuchak*(sic)* de Aranias *(sic)*, aliis absentibus homo noster, memoratos Judicem et Juratos Cives de Bela in praemissis perhemptori responsuros, rationemque efficacem reddituros, contra annotatos Vincentium Soldus de Runya *(sic)*, ac Ladislaum filiium Dionysii de Kaczwinkel *(h. Kaczvin)* ad Octavas Festi beati Jacobi Apostoli nunc venturas, nostram evocet in praesentiam et post haec hujusmodi evocationis seriem cum nominibus evocatorum Octavas ad praedictas, Nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae Sexagesimo quarto die octavarum Festi beati Georgii Martyris praedictarum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo sexto. Aliorum vero tenor verborum est talis: Amicis suis Reverendis, Capitulo Ecclesiae Scepusiensis, Michael Országh de Gut Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, amicitiam paratam cum honore. Noveritis, cur Vincentius filius Thomae Soldus de Rudnya pro se personaliter ac pro Ladislao filio Dionysii de Kaczwinkel, in quos mortuis praefatis Thoma ac Dionysio Parentibus eorundem, praesens causa est condescensa cum praeteritis literis vestris, juxta continentiam literarum quondam Magnifici Laurentii de Hedervara, scilicet Regni Hungariae Palatini et nostrorum prorogationalium in Octavis Festi beati Georgii Martyris, in figura nostri judicii comparentes contra Judicem et juratos Cives de Nagybela quasdam literas vestras inquisitionales et evocatoriales dicto quondam Laurentio Palatino ad amicabilem literatoriam suam petitionem rescriptas, tenoremque literarum ejusdem, vobis directarum, verbaliter in se habentes, asserens actionem et propositionem dictorum actorum literis contineri in eisdem, Nobis praesentavit declarando coram in personis Valentini filii Johannis literati de Olsavicze ac Thomae et Georgii dictorum Soldus, nec non Dionysii filii Ladislai de Kaczwinkel, item Georgii et Francisci de Szent-Miklós *(h. Miklósfalu)* ac Petri de Rechke, eidem Laurentio Palatino dictum extitisset: Quod, cum ipse Feria quinta proxima post Festum beati Matthaei Apostoli et Evangelistae cum in anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo advenisset revolutio annualis ad renovationes metarum Possessionis Ruckus *(h. Rokusz)* dictae, ipsorum Actorum accessissent, et easdem metas renovassent, tunc discretus vir Johannes Plebanus de Nagy-Bela*)

*) „Nagy-Bela“ — in opposito ad „Kis-Bela“ hodie Nagy-Eőr, germ. Nehre, slavis Stražka, — hodie communiter „Szepes-Béla“, germ. Ungrisch-Béla, etiam Ó-Béla vocatur, ut tali ratione a pago Uj-Béla ad limites Hungariae et Galliciae prope fluvium Bialka sito distingvatur.

ac Jacobus Gerg Judex, Antonius Oroslan, Sigismundus et Jacobus, jurati Cives, dictae possessionis Nagy-Bela, ex commissione voluntate totius Communitatis et populorum de eadem Bela: item Elias de Villa Palmarum (*h. Pálmafalu*), Laurentius de Quintoforo (*h. Csötörtökhely*), Petrus de Monte S. Georgii (*h. Szepes-Szombat*), Egidius de Villa Durandi (*Durand*), Judices Regalium Civitatum, Petrus Judex cum suis juratis de Birbron (*h. Viborna*), Urbanus similiter cum suis juratis de Landek (*h. Landok*); item Joannes Judex cum suis juratis de Nerer (*Nagy-Eör*), postquam praedictas reambulationes et metarum erectiones, rubeta et silvas permissionales praefatae possessionis Ruckus succidi, lignaque succissa levari et asportari fecissent, facereque non destiterant, insuper metas ejusdem possessionis Ruckus sub ipsos occupassent potentia mediante, in praejudicium ipsorum Actorum valde magnum. Super quo vestram Amicitiam idem Laurentius Palatinus literatorie petivisset diligenter, quatenus vestrum mitteretis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente homo suus, infra declarandus, scita praemissorum mera veritate, citaret praefatos Judicem et juratos praefatarum Civitatum Regalium, contra annotatos actores ejusdem Laurentii Palatini in praesentiam ad terminum competentem rationem praemissorum reddituros; et post haec ipsorum inquisitionis et citationis seriem, cum nominibus citatorum terminoque assignato, eidem Laurentio Palatino amicabiliter rescriberetis. Vos igitur petitionibus ejusdem Laurentii Palatini satisfacere cupientes, una cum Nicolao filio Johannis de dicta Olsavicze, homine ejusdem Laurentii Palatini unum ex vobis, videlicet honorabilem virum Dnum Petrum de Kesmark, Socium et Concanonicum vestrum ad praemissa exequenda, vestro pro testimonio fide dignum, duxissetis destinandum. Qui tandem exinde ad Vos reversi, vobis concorditer retulissent hoc modo: Quod ipsi die Dominica, proximo ante Festum Simonis et Judae Apostolorum, tunc proxime transacto, in Comitatu Scepus. simul procedentes, ab omnibus quibus decuisset Nobilibus et ignobilibus ejusdem Cottus *(Comitatus)* hominibus diligenter de praemissis inquirentes, omnia praemissa sic et suo modo rescivissent, quemadmodum eidem Laurentio Palatino dictum extitisset et sicut tenor literarum ejusdem continuisset praescriptarum, factaque hujusmodi inquisitione idem homo dicti Laurentii Palatini ipso testimonio vestro praesente, praefatos Judices et juratos de dicta Nagy-Bela eadem, eodem die in domibus eorum propriis contra annotatos Actores ad Octavas Festi Epiphaniarum Domini, tunc venturas, in eandem Laurentii Palatini citasset praesentiam, rationem praemissorum reddituros. A quibus

quidem Octavis Festi Epiphaniarum Domini causa partium praescripta, Partes inter easdem primo seriebus literarum ipsius Laurentii Palatini, tandemque ipso e medio sublato et Nobis per Regiam clementiam successive in ipso honore Palatinatus sublimatis, nostrarum prorogatorialium, de termino in terminum currentium, medioque tempore praefatis Thoma Soldus et Dionysio de Kaczwinkel decidentibus et causa ipsa in eosdem Vincentium et Ladislaum, ut praemittitur, condescensa, praesentes Octavas Festi beati Georgii Martyris dilative attigisset; ad quas quidem Octavas Festi beati Georgii Martyris, jam fati Judex et jurati Cives de Bela per annotatum Vincentium Soldus in sua et dicti Ladislai personis, congruis diebus ipsarum Octavarum coram Nobis expectati, nostram in praesentiam non venerunt, neque miserunt, se mediantibus aliis literis nostris judicialibus, exinde confectis, in Judiciis aggravari comittentes. Postulans praefatus Vincentius sibi et dicto Ladislao filio Dionysii de Kaczwinkel, per nos in praemissis, juris aequitatem, justitiaeque complementum elargiri. Et quia annotati Judex et Jurati Cives de Bela, in causam attracti, ad praemissa vice secundaria evocandi fore videbantur, pro eo vestram amicitiam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo testante Martinus de Mikl*o*sfalva, vel Sigismundus Aczel, aut Simon Helmes de Hisfalva, sive Nicolaus Aczel de Szent-András, seu Joannes Krig, sive Balthaser literatusde Chypenfalva (*h. Csepanfalu*) neve Joannes Tuthochk (?) de Aranias, aliis absentibus homo noster, memoratos Judicem et Juratos de Bela in praemissis peremptorie responsuros, rationemque efficacem reddituros, contra annotatos Vincentium Soldus de Rudnya, et Ladislaum filium Dionysii de Kaczwinkel, ad Octavas Festi beati Jacobi Apostoli, nunc venturas, nostram evocet in praesentiam et post haec hujusmodi evocationis seriem cum nominibus evocatorum, Octavas ad praedictas nobis amicabiliter rescribatis. Datum Budae sexagesimo quarto die Octavarum Festi beati Georgii Martyris praedictarum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.*)

*) Ratione habite contradictionis quoad annum palatinatus Michaelis Guth inter hocce documentum, quo annus 1456 signatur et Catalogum Palatinorum et Locumtenentium Regiorum, prout in corpore Juris Hungarici etc (Budae 1822. edito Tom. II. fol. 213.) habetur, quo annus 1458. notatur, liceat nobis adnotare Michaelem Guth Officium palatinatus anno 1458. aggressum fuisse, quamvis aliam praemanibus teneamus ejusdem temporis Copiam, in qua quoad hanc rem datum numeris clare 1456 — et antiquo scribendi modo sequenter: „Anno Dni M° quadm° A° 6°ᶜ — notatum legitur. (Consule oppidi Szepes-Béla archivum, Nro 2do.)

CXXII.

Stephanus Hover de Lucsivna et Andreas Scolasticus, gravi compulsi necessitate Chetenam pro 300 flor. auri puri, Felkensi Communitati in perpetuum vendunt ac arendant. Anno Dni 1417.

Ex geniuno transumpto apud Felkenses existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariterque futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in salutis Largitore. Quoniam omnium habere memoriam et nullius oblivisci divinum est potius, quam humanum: Rationabile igitur est, ut acta temporali ministerio in statum solidum redigantur: Proinde ad universorum notitiam tam praesentium, quam futurorum, harum serie volumus pervinere. Quod Stephanus, dictus Hover de Leuchwa[a] et Andreas Scholasticus de eadem per se personaliter et pro amicis et consanguineis ipsorum, quibuscunque nominibus vocitatis, quorum onera et cuncta gravamina, ratione infra scriptorum, in se assumpserunt ab una, item Honorabili et discreto viro Dno Caspar Plebano de Oppido Filka (*h. Felka*), Laurentio Judice, Petro, genero Johannis Sicci, ac Georgio Wolfart civibus juratis de eadem, similiter pro se personaliter, et pro tota Communitate civium, hospitum et populorum ibidem, parte ab altera coram Nobis personaliter constitutis; per eosdem Stephanum et Andream confessum extitit ministerio vivae vocis, et relatum, quod ipsi compulsi gravi necessitate, ipsos ad praesens urgente, quandam terrae particulam de possessione haereditaria ipsorum Chetena, alias Howerfeld apellatam, ex utraque parte magnae viae, qua itur de dicto Oppido *V*ilka (*h. Felka*) ad villam Bothys[b] existentem, partim cultam, partim incultam, a parte dextra viginti cordas mensurae populorum de villa Bothys praenotata, continentem; a sinistra autem ejusdem magnae viae rubetum juxta easdem metas populorum de dicto Oppido Filka situm, inter viam jam dictam et fluvium Poprad habitum, inter metarum, infra specificatarum, sequestrationem et distinctionem contentam, memoratis Dno Caspar Plebano, Laurentio Judici, Petro, Georgio, ac toti Communitati ipsius Oppidi Filka appellati, pro trecentis florenis auri puri et justi ponderis ab eisdem ut dicebant, plene habitis et receptis, per ipsosque et totam Communitatem plene persolutis, cum effectu vendidissent et arendassent, imo vendiderunt

a) Sive Lucsiwna, ultima possessio in Scepusii limitibus.
b) Sive Batizfalva, de qua alias dictum est.

et arendarunt coram Nobis, jure perpetuo et irrevocabiliter in filios filiorum, haeredumque ipsorum seu successores possidendam, tenendam, pariterque habendam, nihil juris, nil proprietatis, nihilque dominii ipsius, et ipsorum haeredibus, ac successoribus quovis modo in praefata terrae particula reservando, sed totum jus et dominium et proprietatem ejusdem particulae terrae et suarum pertinentiarum in praescriptos, Dnum Caspar Plecanum, Laurentium Judicem, Petrum, Georgium et totam Communitatem ipsius praefati Oppidi Fílka sufferentes, excipiente se de Dominio ejusdem penitus, et in toto, assumentesque eosdem Dnum Caspar Plebanum, Laurentium Judicem, Petrum, Georgium et totam Communitatem ratione praemissorum ab omnibus impetitionibus, propriis ipsorum laboribus et expensis, expedire, tueri et defensare, ad quod se faciendum sponte obligarunt coram Nobis. Insuper universas et quaslibet literas, factum dictae particulae terrae concernentes, si quas reservassent, mortuas, cassas, inanes, viribusque dimisissent carituras, et exhibitoribus earundem nocituras, imo dimiserunt coram Nobis testimonio praesentium mediante. Metae vero ipsius particulae terrae, prouti didicimus partibus a praemissis, hoc ordine distingnuntur: Quod prima meta incipit in metis populorum dicti Oppidi Fílka juxta viam magnam, qua itur versus supra dictam Villam Bothys a dextris, usque ad spatium secundum longitudinem viginti cordarum mensurae populorum de saepefata Villa Bothys, longitudo vero ipsarum viginti cordarum protenditur a jam dicta magna via usque ad fluvium, praeatactam Villam Bothys transeuntem; a sinistris vero ab eisdem metis, juxta metas eorundem populorum Oppidi Fílka praedicti, tendit directe ad fluvium Poprad, et per eundem ascendendo protenditur usque ad quendam pontem, fluvium ipsum transeuntem, ac deinde proceditur de ipso ponte per viam, qua itur ad Luchva *(h. Lucsivna)* et ad Villam Bothys usque ad viam magnam supra dictam, qua itur de Oppido Filka ad Villam Bothys, ac per eandem viam descendendo progreditur ad locum, ubi latitudo viginti cordarum praedictarum terminaretur. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes nostras concessimus literas, per modum Alphabeti intercisas, pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum Feria quarta proxima post Festum Pentecostes, anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo septimo.

CXXIII.

Sententionales Capituli Scepus circa controversiam Decimae naturalis a quibusdam agris Plebano Kakas Lomnitzensi denegatae. Anno Dni 1417.

Ex autographo in Tabulario Oppidi Matthaeivilla existente.

IN nomine Domini. Amen. Nos Johannes Canonicus Ecclesiae beati Marde Scepus, Vicarius Venerabilis viri Domini Georgii, Praepositi Ecclesiae ejusdem[a] in spiritualibus Generalis: Memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: quod orta alias dudum in anno proxime elapso materia quaestionis inter dictum virum Dnum Augustinum Plebanum Ecclesiae beatae Catharinae Virginis et Martyris de Kakas-Lomnitz, actorem ab una, et providos viros Filveiner, dictum Judicem acto tam Universitatem civium, hospitum et populorum de Mathisdorff *(h. Matheócz)* in causam attractorum, parte ab altera, super quibusdam particularum terrearum Decimis, in metis ipsorum de Mathisdorff adjacentium, de quibus sibi Decimas fere a tribus annis, ut asseruisset, dare recusassent, et aliquamdiu in praesentia discreti viri Magistri Martini, pridem ipsius Ecclesiae beati Martini Vicarii in spiritualibus Generalis, Praedecessoris nostri ventilata, diversisque prorogationum cautelis intervenientibus, summariter et ultimo ipsa causa ad ferendam sententiam ad Feriam sextam proximam ante Festum beati Michaelis Archangeli partes inter easdem, habita prius conclusione, causa fuisset prorogata. Infra quem terminum eodem Magistro Martino, ab eodem Vicariatus officio amoto, nobisque in eundem honorem per dictum Dnum Praepositum promotis et restitutis, praefatae utraeque partes coram Nobis personaliter comparentes, allegationum et recensionum ipsorum, cum exhibitionibus literalium instrumentorum reiteratis, ac sententiam in causa eadem renunciatis omnibus amnesticulis, ferri postulantes. Nos itaque auditis earundem partium reiteratis propositionibus allegationibus, visisque literalibus instrumentis productis, Christi nomine invocato, solum Deum et ejus justitiam prae oculis habentes, de earundem partium voluntate, habito deliberativo consilio et assensu, honorabilis Capituli Ecclesiae praedictae, et aliorum Assessorum mox una cum eodem Capitulo, et aliis Assessoribus nostris per ea, quae

a) Fuit Georgius de Palocz, quem Author Veteris Catalogi Archiepiscoporum Strigoniensium, et alii, Successorem Joannis Kanisai praemature fecerunt.

vidimus et cognovimus, signanter ex tenore ejusdem literae dicti Capituli emptionali et venditionali, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, pronunciamus, sententiamus et declaramus, dictarum particularum Decimas in metis dictorum populorum Mathisdorff existere[b] et ex vero contractu emptionali ab eadem Ecclesia Sancti Martini, et suorum praepositorum literis efficacissimis, et instrumentis pertinere ad eosdem; dictamque Ecclesiam beatae Catharinae Virginis et Martyris de dicta Kakas-Lomnitz et per consequens eundem Dnum Augustinum Plebanum ejusdem Ecclesiae nullum jus habuisse, et habere. Ideo ab ulteriori impetitione ipsius Dni Augustini Plebani, eosdem Judicem ac totam Communitatem absolventes, primo absolvimus in his scriptis, eidemque Dno Augustino, et Ecclesiae suae praedictae perpetuum silentium imponentes. Taxam vero expensarum in lite hujusmodi factarum Nobis in

---

b) Ad Sententionales has debite intelligendas, scire necesse est, causam hanc ab Augustino Plebano de Kakas-Lomnitz motam esse propter quosdam agros, Lomniczensibus metis adjacentes, quos Gochalcus Judex Matthaeivillensis cum suis Villanis anno 1285. Comiti Ricolpho de Lumpnitz, ejusdemque haeredibus de sua terra absque omni solutione (scilicet Censu Regio) libere et in perpetuum possidendos dedissent: postea vero, necessitate cogente, idem Comes Ricolphus, agros praedictos Matthaeivillensibus, quorum nempe antea fuerunt, juxta initam sponsionem vendi exposuisset; Villanis vero memoratos agros, ob nimiam paupertatem suam, emere nequeuntibus, Gochalcus eorum Judex medietatem agrorum illorum pro 24 marcis argenti a Comite Ricolpho simili solutione a se, suisque haeredibus libere possidendos, perennaliter emisset: Ut adeo divisione agrorum horum inter Comitem Ricolphum et Gochalcum Judicem suscepta, Gochalcus agros in superiori parte montis obtinuerit V. Part. I. pag. 245. Ne autem aliquando circa hos ingrata oriretur disceptatio, providus vir Hank, filius Petri, Judex de Villa Matthaei, praenotatas anni 1285-ti emptionales et venditationales literas, futura jurium suorum pro cautela, anno 1508 coram Scepusiensi Capitulo autentice transumi curavit (V. isthoc privilegium supra pag. 29.) parteque agrorum horum ad 24 jugera se extendente, tam ipse, quam sui successores pacifice ac privative usi sunt tamdiu, quoad Martinus Danesvard Matthaeivillensis civis gravi compulsus erat necessitate, anno 1408 particulam hanc terrae suae, per praedecessores suos a Magistro Ricolpho de eadem Lumpnitz pro 24 Marcis argenti emptam, Ecclesiae Matthaeivillensi Sancti Stephani Regis pro 100 florenis auri, adeoque singulum jugerum a $4^1/_6$ aureis, testibus privilegialibus Capituli Scepusiensis literis oppignorare. Devolutis hac ratione ad Ecclesiam Matthaeivillenssem dictis 24 agrorum jugeris, autumabat tota Matthaeivillensis Communitas una suo cum Parocho, ut ab impignoratis Ecclesiae agris legalem decimam Plebano Kakas-Lomnitzensi, porro non persolveret, quod alioquin manifestum esset, dictam terrae particulam ad ipsorum terrenum ab olim spectasse et actu pertinere. De negatione Decimae praefato Augustino taliter facta, is tandem suo atque Ecclesiae suae nomine in memorato anno providos viros Filweiner Judicem, ac totam Universitatem civium et populorum de Mathisdorf, qua arendatores nuncupatorum 24 jugerum coram Capitulo Scepusiensi in causam attraxit, de quibus sibi scilicet Decimas fere a tribus annis dare recusassent. Joanni Canonico Scepusiensi in spiritualibus Vicario Generali pro tunc existenti cum suis Assessoribus tandem visum fuit, istam, quae in superioribus literis habetur, ferre sententiam. Quamdiu porro hanc terrae particulam Matthaeivillensis Ecclesia tenuerit, nullum extat indicium. Sed neque scitur, quo anno, quave ratione aut jure, an precario saltem ista agrorum particula ab hac Ecclesia ad Kakas-Lomnitzensem ad quam hodiedum adhuc spectat, sit derivata. Alteram medietatem successorio jure, inde a Ricolphi temporibus, J. Familia Berzevitzi, idem Kakas-Lomnitzium incolens, continuo tenet, eaque perfruitur.

posterum reservantes. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes nostras concessimus literas, pendentis nostri Sigilli munimine roboratas. Datum apud praedictam Ecclesiam Sancti Martini, Feria sexta praenotata, anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo septimo.

CXXIV.

Sigismundus Roman. ac Hung. Rex sub poena 3. aureorum flor. silvas et rubeta Civitatis Késmark succidi vetat. Anno Dni 1417.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae et Rex: fidelibus nostris universis et singulis Nobilibus, ac quibuslibet aliis, et praecipue nostrarum Regalium Civitatum, Oppidorum et Villarum, in terra Scepus existentium, civibus et incolis, cum fidelibus nostris nostrae Civitatis Késmark (*sic*) civibus confinitates et metas habentibus, salutem et gratiam. Gravem et manifestam querelam eorundem nostrorum fidelium dictae nostrae Civitatis Késmark civium in personis, nostrae Regiae Majestati porrectam, accepimus, continentem, quomodo nonnulli ex vobis essent, qui ipsorum silvam et rubeta, ad eandem Civitatem pertinentia, quae ipsi pro eorum usu nutriunt et crescere permittunt, per suam potentiam succidere et abducere facerent, ipsis per hoc maxima et inaestimabilia damna faciendo, in ipsorum praejudicium multum grave: quorum parte nostrae Regiae Celsitudini extitit supplicatum, ut ipsis contra praemissa de remedio opportuno dignaremur providere. Unde cum Nos praedictos fideles in eorum juribus indemnes contra quoslibet, ipsis damnum machinantes, volumus conservare; igitur per praesentes statuimus et decernimus, ut facta in foro dictae nostrae Civitatis Késmark, die et loco celebrari solite et consueto, publica praeconis voce proclamatione nostrarum praesentium literarum, quotiescumque aliquem seu aliquos ex vobis cum suis curribus sive vehiculis, qui in dictis ipsorum silvis ligna abscinderent, ac in curru seu vehiculo tres florenos puri auri accipere valeant et possint; imo per hujusmodi curruum, vehiculorum, equorum, boum et aliarum rerum ac bonorum apud vos et vestros ibi repertorum ablationem exigere, et fortissime extorquere, authoritate nostra ipsis Regia, vigore praesentium attributa, mediante, habeant et teneantur, et

eosdem currus, vehicula, equos, boves et praemissas res ac bona ablata tamdiu tenere ac servare, donec ipsis Civibus de dictis tribus florenis auri satisfactio impendatur. Datum Constantiae in Festo beatae Mariae Magdalenae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo septimo. Regnorum nostrorum Anno Hungariae etc XXX. Romanorum vero VII.[a]

CXXV.

Idem Rex Civitatis Késmark privilegia confirmat. Anno Dni 1419.
Ex autographo coram Barkocziana Commissione 1755. producto.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Hungariae, Dalmatiae etc Rex — Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Regia sublimitas ex debito officio Regiminis praeassumpti juris, consonis petitionibus fidelium sibi subjectorum aures exaudibiles consuevit inclinare benigne cum favore: Proinde ad universorum praesentium futurorumque notitiam harum serie volumus pervenire, quod fideles nostri providi viri Nicolaus de Menyharthsdorff, (*lat. villa Menhardi hung. Menhard*), et alter Nicolaus Klugel, Judices nostrae Kismark, in terra nostra Scepusiensi constitutae, in suis ac omnium Civium, hospitum et incolarum dictae Civitatis nostrae Kismark personis, nostrum adeuntes conspectum, exhibuere Nobis quoddam privilegium nostrum, priori majori authentico Sigillo nostro duplici, aliis rationabilibus ex causis confracto, communitum confirmans quasdam literarum nostrarum patentes, minori Secreto Sigilli nostro, modo simili alias demactato, consignatas tenore quarundum literarum privilegium quondam Dni Belae, praedecessorum nostrorum, Regum scilicet Hungariae, felicium recordationum, in factis libertatum et praerogativarum dictae nostrae Civitatis Kismark et civium ejusdem confectum, confirmative in se continentes tenoris subnotandi: supplicantes iidem Nicolaus et alter Nicolaus suis et quorum supra nominibus Majestati nostrae devote et humiliter, ut idem privilegium nostrum ratum, gratum et acceptum habendo nostrisque literis privilegialibus de verbo ad verbum inferi et con-

a) Idem privilegium Anno 1418. Feria 4-ta post Dominicam Reminiscere rursum rescriptum est.

scribi faciendo, pro iisdem civibus, hospitibus et incolis, eorumque haeredibus et successoribus universis innovando, perpetuo valiturum, dignaremur confirmare: Cujus tenor is est:

Sigismundus Dei gratia Hung. Rex etc V. Dipl. 1399. pag. 144.
Bela, Dei gratia Rex Hung etc V. Dipl. 1269. pag. 10.

Nos itaque humillimis et devotis supplicationibus antedictorum Nicolai et alterius Nicolai, dictae nostrae Civitatis K*i*smark Judicum, per ipsos in suis et aliorum, quorum supra personis, nostrae humiliter oblatae Majestati, Regia benignitate exauditis et clementer admissis, praefatum privilegium nostrum non abrasum, non cancellatum, nec aliqua sui parte vitiatum, sed omni prorsus suspicione destitutum, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollens, praesentibus nostris literis privilegialibus de verbo ad verbum insertum, quoad omnes ejus continentias, clausulas et articulos acceptamus, approbamus et ratificamus; ipsum nihilominus ob augmentum nostrae Civitatis K*i*smark saepe dictae profectum ac utilitatem, et commodum civium et hospitum ejusdem simul cum omnibus libertatibus, et libertatum praerogativis, aliisque singulis superius in tenore ipsius privilegii lucide contentis et expressis, mera authoritate Regia et potestatis plenitudine, e certa nostrae Majestatis scientia, de consensu etiam et beneplacito Serenissimae Principis, Dnae Barbarae . . . . . dictorum Regnorum nostrorum, consilio praematuro et uniformi decreto eorundem, pro dictis civibus et incolis et hospitibus saepe fatae nostrae Civitatis K*i*smark ipsorumque haeredibus et successoribus universis perpetuo valituras non obstante non exhibitione ipsius nostri privilegii, juxta formam generalis nostri decreti, alias cum Praelatis et Baronibus nostris de et super confirmandis inter cetera literis nostris, sub prioribus nostris deperditis et permactatis Sigillis emanatis, infra certum tempus sub poena revocationis et cassationis literarum hujusmodi nostrarum mox producendarum et confirmandarum edicti, durante hujusmodi temporis intervallo fieri debere, confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis authentici Sigilli nostri duplicis, quo videlicet ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendi in Christo Patris Dni Eberhardi, Episcopi Zagrabiensis, Aulae nostrae Summi Cancellarii fidelis et dilecti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo nono, Quinto Idus Junii. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc trigesimo tertio, Romanorum vero nono. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis: Dionysio Spa-

latensi, et Andrea Ragusiensi, Archiepiscopis: Strigoniensi, Colocensi et Jadrensi Sedibus vacantibus. Eodem Dno Eberhardo Zagrabiensi, Andrea Varadiensi, Stiborio Agriensi, Joanne Quinque-Ecclesiensi, Benedicto Bosnensi, Clemente Jaurinensi, Dosa Chanadiensi, Hinkone Nitriensi, Petro Corbaviensi, Simone Traguriensi et Thoma Senniniensi. Tinniniensi, Noniensi Sedibus vacantibus. Nec non Magnificis viris: Nicolao de Gara Regni nostri Palatino Hungariae, Nicolao de Csák, Wajwoda nostro Transsylvaniae, Comite Petro de Perény, Judice Curiae nostrae, Alberto de Ungk, Priore Auraniae, et Regnorum nostrorum Dalmatiae et Croatiae praedictorum, Dyonysio de Marschali Regni nostri Slavoniae, Desew de Gara Machoviensi Banis; honore Banatus Zewriensis vacante, Joanne Bubek de Pelsuch, Tavernicorum, Ladislao filio Joannis Wajwoda de Thamasy, Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Petro Krompolch Pincernarum, Nicolao de Rychno Agazonum nostrorum Magistris et Caplerio Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CXXVI.

Idem Rex Olasziensium privilegium confirmat. Anno Dni 1419.
Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex etc Omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus, quam futuris praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ordo suadet aequitatis et pertinet ad apicem Regalis dignitatis, ut ea, quae rite processerunt, illibate conserventur, et quae a fidelibus juste petuntur, ad gratiam exauditionis admittantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fidelis noster providus vir Michael Judex Civitatis nostrae, Villa Latina *(h. Szepes-Olaszi)* vocatae in terra nostra Scepusiensi habitae, in personis universorum civium et hospitum nostrorum ejusdem nostrae Civitatis, nostram accedens in praesentiam, exhibuit Nobis quasdam literas privilegiales Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis super reambulatione et renovatione metarum dictae nostrae Civitatis confectas, tenoris infrascripti; supplicans exinde idem Michael Judex nostrae Serenitati humiliter et devote, ut easdem literas ratas, gratas et acceptas habentes, nostrisque literis privilegialibus verbaliter inseri facientes, pro eadem nostra Civitate, Villa

*

Latina appellata, et nostris civibus eandem inhabitantibus, perpetuo valituras innovando, dignaremur confirmare: Quarum tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Diplom. anni 1399. pag. 139.

Nos itaque humillimis et devotis supplicationibus praefati Michaelis Judicis in personis, omnium nostrorum civium Civitatis nostrae de Villa Latina, antefatis, Majestati nostrae subjective oblatis, Regia benignitate exauditis et clementer admissis, praetactas literas memorati Capituli Ecclesiae Scepusiensis privilegiales non abrasas, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua eorum parte suspectas, sed omni prorsus ambiguitatis scrupulo destitutas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earum continentias clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime sunt emanatae, et viribus earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus: eas nihilominus pro utilitate, commodo et profectu dictae Civitatis nostrae, Villa Latina vocatae, simul cum praescriptis reambulatione et renovatione metarum, literis in suprascriptis specificatarum, pro eadem nostra Civitate, et nostris civibus, in eadem commorantibus, nostra authoritate Regia et potestatis plenitudine, ac ex certa scientia nostrae Majestatis, nec non de consensu et beneplacito Serenissimae Principis Dnae Barbarae Reginae, Conthoralis nostrae Carissimae, Praelatorum etiam et Baronum Regni nostrorum consilio praematuro, et uniformi decreto eorundem innovantes, perpetuo valituras, confirmamus, praesentis Scripti nostri patrocinio mediante, salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales pendentis et authentici Sigilli nostri duplicis, quo videlicet, ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Eberhardi Episcopi Ecclesiae Zagrabiensis, Aulae nostrae Summi Cancellarii fidelis nostri dilecti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo nono, tertio Nonas Junii, Regnorum autem nostrorum Hungariae etc tricesimo tertio, Romanorum vero nono, Venerabilibus in Christo Patribus etc (ut supra), item Petro de Rozgon Vesprimiensi, Paulo Vaciensi electis. Sirmien. Tininien. Nonen. Scarden. Pharen. Sibinicen. et Makariensi Sedibus vacantibus. Nec non Magnificis Viris: Nicolao de Gara etc ut supra

CXXVII.

Idem Romanorum ac Hung. Rex, Cives Leutschovienses, signanter autem eorum Mercatores ab altera Tricesimae medietate relevat. Anno Dni 1419.

Ex autographo apud dictam Civitatem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex, Marchio Brandenburgensis, nec non Bohemiae et Luxemburgensis Haeres: omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Coelestis Altitudo Consilii ad hoc in orbe terrarum Regum et Principum constituit potestates, ut ipsi directis circiter oculorum aspectibus illis suae largitatis suae favorem exhibeant, quos devotionis, et fidei sinceritas propensius recomendat. Dum enim illis provident, dum donis libertatis eos fovent, sui honoris fastigia prudentes extollunt, et suffulciunt. Proinde ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fideles nostri dilecti, providi viri Hieronymus Selvi, Nicolaus Ruszdorffer, Johan Glovatch, et Stephanus Rokolfinger, jurati Cives Civitatis Leutschoviensis, Terrae nostrae Scepusiensis, suis et universorum civium, hospitum et populorum, mercatorum et habitatorum ac incolarum Civitatis nostrae Leutschoviensis, nominibus et in personis nostrae Serenitatis adeuntes conspectum, Nobis humiliter declarare curarunt: Quod quamvis nostra sublimitas sedulius pensatis multifariis fortuitis, et inopinatis casibus, quae dudum praeteritis disturbiorum temporibus, omnes sacrae coronae nostrae Regiae, ac nostri fideles, et specialiter cives, populi et hospites praedictae nostrae Civitatis Leuchoviensis, pro observanda Nobis et eidem Coronae nostrae intemerata fidelitate subire non expaverunt, personas eorum, res et bona, ac dictam Civitatem saepissimis obsessionibus, impugnationibus, distractionibus, dispendiosis perturbationibus, et periculis timorosis submittentes damnaque gravia in eorum mercantiis et aliis negotiationibus non exequendo sufferentes, et tolerantes, eisdem civibus, et signanter mercatoribus et commorantibus, pro dictae Civitatis uberiori commodo, statu meliori, et utilitate majori, rectam et aequalem mediam Tricesimam seu solutionem mediae Tricesimae de quibuslibet mercantiis, et rebus venalibus et commutabilibus, olim per eos solvere consuetam, perpetuo relaxaverit, et remiserit gratiose: consideratis tamen insuper multi-

modis et multifariis servitiis et obsequiis, quibus et postea, et hucusque dicta Civitas tam communiter, quam ipsius cives, populi et hospites in diversis, imo gravibus nostris et sacrae Coronae agentiis, et expeditionibus, sibi et suis bonis ac rebus non parcentes, imo personas diversis formidabilibus fortunae casibus creberrimis vicibus audacter submittentes, nostrae complacuerunt, seque gratos reddere studuerunt, utique et acceptos Majestati: propter quae, licet multo majoribus Regiae munificentiae antidotis digni essent proemiari, ut tamen nostrae bonae intentionis argumentum erga se existere sentiant de praesenti, et de majoribus spem habeant, et fiduciam in futurum, Regioque dicta Civitas largius adjuta subsidio, de bono in melius progredientes, tam fidelitate, constantia, quam rerum affluentia augeatur, sicuti dudum, dictam rectam aequalem mediam Tricesimam, seu solutionem mediae Tricesimae, praefatis civibus mercatoribus, ac eorum haeredibus, de rebus, et mercantiis eorum venalibus quibuslibet, et commutabilibus, aliis literis nostris mediantibus perpetuo dimisisse, et relaxasse dignoscimur, et recordamur: ita nunc de uberiore dono gratiae nostrae, aliam seu residuam medietatem dictae Tricesimae, de Omnibus rebus mercimonialibus et commutabilibus, per dictos cives et mercatores dictae Civitatis Leutschoviensis hactenus solutam, et solvi consuetam, de consensu et beneplacita voluntate Serenissimae Principis, Dnae Barbarae, Romanorum et Hungariae etc Reginae, nostrae Consortis carissimae, Praelatorumque et Baronum ad hoc accedente consilio, eisdem civibus et ipsorum haeredibus, haeredumque cunctis successoribus, Civitatem eandem pro tempore inhabitantibus, et in ea commorantibus, ad ejusdem Civitatis profectum et commodum, nec non civium et mercatorum ac habitatorum ejusdem utilitatem et subventionem perpetuo, et irrevocabiliter relaxandam duximus, et concessimus, imo concedimus et relaxamus praesentium per vigorem ita, et taliter, ut praefati cives, mercatores, hospites, et populi annotatae Civitatis nostrae Leuchoviensis a modo et deinceps in antea perpetuis successivis temporibus de rebus et bonis eorum mercimonialibus, et aliis quibuscunque tam in exeundo quoque de Regno, quam in idem Regnum nostrum redeundo, nullam penitus Tricesimam, vel aliam quamcunque solutionem nomine Tricesimae ubilibet intra ambitum Regni nostri dare, et solvere debeant, ac teneantur; sed a totali solutione dictae Tricesimae semper, et ubique penitus et in toto sint liberi, et omnimode exempti habentur. Quocirca vobis fidelibus nostris Tricesimatoribus, et eorum Vice-Tricesimatoribus, et aliis Oficialibus, in exactione Tricesimarum ubilibet constitutis, et in futu-

rum constituendis, firmissime nostro Regio sub edicto praecipimus, et omnimode volentes mandamus, quatenus a praefatis civibus, populis, hospitibus, incolis et inhabitatoribus, ac mercatoribus ejusdem Civitatis nostrae, ipsorumque rebus et bonis tam mercimonialibus, quam aliis quibuscumque, nullam Tricesimam, vel aliam quamcunque nomine Tricesimae petere, recipere, et exigere, petique recipi, et exigi facere aliquatenus praesumatis, et nec sitis ausi modo aliquali; sed semper eosdem cives, hospites, mercatores, populos, incolas et habitatores de dicta Leuchovia, simul cum eorum rebus, et mercimonialibus bonis et aliis videlicet quibusvis tam in eundo, quam in redeundo de locis Tricesimarum, absque omni exactione, et receptione Tricesimae, ac alterius solutionis, dictam Tricesimam denotantis, libere, tute, et secure, sine impedimento et vexatione aliquali adire, et recedere permittatis. Et ut praemissa nostra totalis Tricesimae relaxatio, pro eisdem Leuchoviensibus per nostram Majestatem gratiose facta, firma semper sit, et permaneat inconcussa, nec per quempiam processu temporis possit, et valeat aliquatenus in irritum revocari, praesentes eisdem concessimus literas nostras privilegiales, pendentis Sigilli nostri novi duplicis, prout Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Dni Eberhardi, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, et Aulae nostrae Hungaricae Supremi Cancellarii, dilecti nostri et fidelis[a] Anno Dni Millesimo quadringentesimo decimo nono. Undecimo Kalendas Septembris, Regnorum autem nostrorum Hungariae etc tricesimo tertio, Romanorum vero nono. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis: Dionysio[b] Spalatensi et Andrea Ragusiensi Archiepiscopis, Strigoniensi, Colocensi[c] et Jadrensi Sedibus vacantibus. Eodem Dno Eberhardo Zagrabiensi, Andrea Varadiensi, Stiborio Agriensi,

---

a) Eberhardus Zagrabiensis Episcopus videtur hoc anno in Archipraesulem Salisburgensem electus fuisse, siquidem in privilegio Sigismundi Regis, quo donationem possessionis Szent-Péter pro Coenobio B. Petri Apostoli Ordinis S. Pauli primi Eremitae anno 1420 stabilivit non jam Eberhardus, velut Supremus Aulae Cancellarius, verum Joannes Praepositus Budensis, qua Aulae Vice-Cancellarius legitur subscriptus, postea supremus Cancellarius factus, qua aeque Episcopus Zagrabiensis.

b) Rectius, Doymo Spalatensi.

c) Quum in utroque, sive tam in praecedenti, quam isto Diplomate Regio, Sedes Strigoniensis et Colocensis referantur vacasse, certum est, Joannem de Kanizsa Archiepiscopum Strigoniensem vel circa finem anni praeteriti 1418, vel initio istius naturae debitum persolvisse. Hoc ipsum etiam de Colocensi Archi-Praesule Andrea, de quo Harduinus in Collectione Conciliorum Tom. VIII. pag. 479 ita scribit: „Andreas Episcopus Colocensis pro se et Rege Romanorum juravit (scilicet in Constantiensi Concilio, adversus Hussum celebrato) approbationem Capitulorum. Cf. P. Nicol. Schmitth. Compend. Arch. Epp. Strigon. Tom. I. pag. 229.

Joanne Quinque Ecclesiensi, Benedicto Bosnensi, Clemente Jauriensi, Petro Corbaviensi, Simone Traguriensi; Fratribus Dosa Chanadiensi, Hinkone Nitriensi, et Thoma Segniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Petro de Rozgon Vesprimiensi, Georgio Transilvaniensi[d] Nicolao Vaciensi, Francisco Sirmiensi electis, Scardonensi, Sibinicensi, Nonensi, Tinniniensi, Macariensi et Pharensi Sedibus vacantibus. Nec non Magnificis viris, Nicolao de Gara, praedicti Regni nostri Palatino, altero Nicolao de Chaák Wajwoda nostro Transsilvano, Comite Petro de Perény, Judice Curiae nostrae, Alberto de Ungh, Priore Auraniae Dalmatiaeque et Croatiae Regnorum nostrorum praedictorum, Desew Machoviensi, Dionysio de Matzal[e] totius Regni Slavoniae Banis, honore Banatus Zeuriniensis vacante, Petro filio Henrici[f] de Berzewicze Tavernicorum, Ladislao filio Johannis de Thamásy Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Petro Kompold de Nana Pincernarum, Nicolao de Richno (sive Perény) Agazonum nostrorum Magistris, et Caplerio Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

---

d) Georgius iste Transsilvanus plura iam ingenia fatigavit. Author veteris Catalogi Archi — Episcoporum Strigoniensium: Joanni de Kanizsa Successorem dedit Georgium de Palocz. Contra R. P. Szentiványi in suo Catalogo ponit post Joannem de Kanizsa Archi — Episcopum Strigoniensem, Georgium ex Episcopo Passaviensi. Eandem seriem texit P. III. pag. 43. fidem Diplomatum, ut ait, secutus, Joanni de Kanizsa, Georgium, Comitem de Hohenlohe, seu ipsum Passaviensem Episcopum, huic vero Georgium de Palocz suggerit, expunctis penitus Joanne Lacaczensi, Georgio Lépes et Thoma Praeposito Strigoniensi, idque propterea, quod in Diplomate Sigismundi dato anno 1419. 5 Idus Junii, quo priviiegia Urbis Késmark confirmat, item in Diplomate 1420 die 4 Idus Augusti Ordini D. Pauli primi eremitae elargito, sedes Strigoniensis scribitur vacasse. Non assequor, ait ultro, quomodo Georgius Passaviensis anno 1418, seu Joannes Labaczensis anno 1420, confirmatus sit? Sed, quia porro notat, post obitum Stephani Transsilvani Episcopi, anno circiter 1419, Georgium de Palocz Scepusiensem Praepositum, a Sigismundo Rege eo translatum fuisse, qui exacto quadriennio (videtur plus concedendum esse) Metropolitanae Sedis Strigoniensis fastigium conscendisset, restat resolvendum, quis hic Georgius Transsilvanus reapse fuerit? Utique si Martini V. Summi Pontificis ad Georgium III. de Késmark Praepositum Scepusiensem datas literas inspicimus, evidens ex illis fit, non alium, quam ipsum Georgium de Pálocz fuisse. Strigoniensem vero Sedem, quod attinet, ea nondum suum actualem Pastorem habuit; siquidem teste Diplomate ejusdem Regis Sigismundi de anno 1413-o Georgius Episcopus Pataviensis, Almae Strigoniensis Ecclesiae Administrator, et Aulae Romanae Regiae Cancellarius (Wagner Anal. Scep. P. I. pag. 15.) fuit. Proinde minime confirmationem Roma accepit XXII, Decembris, anno 1418: ut vult R. P. Szentiványi. Anno 1424. teste Diplomate in hac Parte sequente, scribitur unus Georgius postulatus Strigoniensis. Hic mihi alter esse non videtur, quam Paloczajus, qui Georgio Passaviensi successisset. Quidquid sit, certum est, ipsum anno 1434 diserte nominari in Diplomate inferius adducto, Strigoniensem Archi-Episcopum.

e) Alibi Marchali vel de Marczal.

f) Sive Emericus ita in nonnullis.

CXXVIII.

Leutschovienses Sigismundi Regis privilegium rescribi curant. Anno Dni 1420.

Ex genuino transumpto ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providi viri Johannes dictus Glovatsch, et Lazarus Institutor, jurati Consules Leutschae (*Lőcse*), ad nostram personaliter venientes praesentiam, exhibuerunt Nobis quasdam literas Serenissimi Dni nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae et Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc Regis, sub Sigillo ipsius novo duplici et autentico, privilegialiter confectas, tenoris infra scripti: petentes Nos suis ac totius Communitatis Civium et hospitum personis de eadem, humili precum cum instantia, ut easdem sub Sigilli nostri testimonio rescribi facere dignaremur ad cautelam: Quarum quidem literarum tenor talis est:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum etc Rex V. Diplom. praecedens 1419. pag. 213.

Nos igitur justis et legitimis petitionibus praedictorum Johannis et Lazari, ac totius Communitatis civium et hospitum de praefata Leucha, personis, Nobis factis, favorabiliter inclinati, supra dictas literas ipsius Domini nostri Regis non abrasas, non cancellatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali, praesentibus inseri facimus, et conscribi, appensioneque sigilli nostri munimine roborari, ad cautelam praenotatam. Datum apud Ecclesiam nostram supra dictam, Feria sexta proxima ante Dominicam, Reminiscere qua cantatur. Anno Verbi Incarnati Millesimo quadringentesimo vicesimo.

CXXIX.

Podolinensis Communitas emit medietatem Judicii et libertatis cum quarta parte Molendini ac nonnullis Macellorum portionibus. Anno Dni 1423.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod relicta Dna Margaretha, filia quondam Petri Judicis dicti Niewmat-Kieswen (*sic*), ac Stanislao filio Sophiae, filiae ejusdem de Podolino pro se et ipsis personaliter, ac omnibus aliis, quorum interest personis, ab una, item providis et discretis viris Nicolao Haricz, Dno Luca Plebano, et Nicolao Konrady, cive jurato, de praedicto Podolino, modo simili pro se personaliter, ac pro tota Communitate civium et hospitum de eadem personis, quorum onera ratione infrascriptorum in se recipientium, parte ab altera coram Nobis personaliter constituti, per ipsos: Dnam Margaretham, Stanislaum et Sophiam ipsorum, extitit in ministerio vivae vocis confessum: quod ipsi compulsi gravi quadam necessitate, ipsos ad praesens urgente, medietatem Judicii et libertatis cum quarta parte cujusdam Molendini, in fluvio Poprad decurrentis, superius ipsam Civitatem Podolinensem exeuntis, cum quibusdam portionibus Macellorum ipsorum ibidem existentibus, ipsos de jure concernentibus, eisdem civibus et hospitibus, ac toti Communitati de ipso Podolino, eo jure et libertatis plenitudine, quibus ad ipsos pertinere dinoscuntur, pro septingentis quinquaginta florenis, numeri et computus Cassensis (*Cassoviensis*), quemlibet per quinquaginta denarios novos computando, vendidissent, et vendiderunt coram Nobis tali modo: Quod ipsi cives et hospites de praedicto Podolino, eos septingentos et quinquaginta florenos sub praeviis conditionibus, terminis et annis infrascriptis, persolvere iisdem venditoribus tenebuntur, videlicet centum florenos in Dominica Invocavit; item centum et quinquaginta florenos in revolutione annuali Festi Penthecostes, iterum ad aliam revolutionem annualem praedicti Festi Penthecostes residuam partem praedictorum septingentorum florenorum, ternis annis et Festivitatibus se se sequentibus affuturis, tali conditione introserta: Quodsi praefati cives et hospites de praedicto Podolino primam solutionem facerent et secundam negligerent, ex tunc prima solutio pro non soluta habebitur, et eodem modo in omnibus aliis terminis solutionum sequentium, usque ad finalem solutionem conditio praemissa suos continuos sortietur effectus.

Quae omnia praemissa, et quaevis praemissorum singula praefati Nicolaus Haricz Judex, Dnus Lucas Plebanus, Nicolaus Kowredi civis juratus, suo modo facta extitisse retulerunt, et ratificarunt, quaemadmodum ipsi venditores coram Nobis recitarunt, et ad omnia praemissa eosdem de antedicto Podolino obligarunt: Adjicientes nihilominus partes praemissae, quod si quis hunc praemissorum contractum ipsorum attemptaret, extunc talis attemptator contra eosdem cives et hospites de memorato Podolino in centum marcis Budensibus convincetur ipso facto. Datum Feria sexta proxima post Festum Sanctae Agnetis Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo vigesimo tertio.

CXXX.

Sigismundus Romanorum ac Hungariae Rex binas privilegiales Capituli Scepus literas, Civitatem Podolin tangentes, ratas habet. Anno Dni 1423.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fideles nostri dilecti, providi viri, Nicolaus dictus Haricz Judex, et alter Nicolaus Conradi, jurati cives, Petrus, dictus Preros, et Johannes Kreiber concives de Podolino, pro se ipsis personaliter, ac discreto viro, Dno Luca Plebano Ecclesiae, et pro tota Communitate civium et hospitum nostrorum de eadem Podolino, Culminis accedentes conspectum, exhibuerunt nobis quasdam geminas literas fidelium nostrorum Capituli Ecclesiae beati Martini de Scepus, unam privilegialem, et alteram patentem, de et super quadam Scultetia, et Curia, nec non parte Judicii, ac quibusdam terris arabilibus, silvis, pratis et rubetis, nec non parte Molendini, pretio Scampriorum seu Macellorum carnium; item super alia medietate Judicii et libertate, ac quarta parte ejusdem Molendini in fluvio, Poprad vocato, decurrente, superius ipsam Civitatem nostram Podolinensem existentis, ac quibusdam portionibus Macellorum ibidem existentibus, emanatas, tenore subsequentium: supplicantes exinde Culmini nostro iidem uterque Nicolaus et Petrus nominibus, quibus supra precibus subjectivis, quatenus easdem literas ratas, gratas et acceptas habendo,

nostrisque literis verbotenus inseri faciendo, ad easdem et singula contenta ipsarum, nostrum Regium consensum praebere dignaremur, benevolum et assensum. Quarum unius, ut puta ipsius literae privilegialis tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc V. Diplom. C. 1391. pag. 137.

Nos Capitulum etc Quod relicta Dna Margaretha V. Dipl. CXXIX. p. 218.

Nos itaque ex innata Regali pietate cunctorum Nobis subditorum petitiones admissione dignas, ad veridictionis gratiam admittere debemus, petitionibus et humillibus supplicationibus eorundem fidelium civium et hospitum nostrorum, ac ipsius Plebani de Podolino, per praedictos Nicolaum Hazricz Judicem, et alterum Nicolaum et Petrum Preros, nec non Johannem Creiber, nominibus eorundem nostrae subjective porrectis Majestati, solita Regia benignitate inclinati, praedictas binas literas praedicti Capituli non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua eorum parte suspicionis vitio offuscatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos, ratas, gratas et acceptas habendo, ac easdem singulasque continentias, clausulas et articulos earundem ex certa scientia nostra Praelatorumque etiam et Baronum nostrorum consilio praematuro, nostrum Regium consensum praebuimus, imo praebemus benevolum et assensum, easdem literas utrasque simul cum omnibus et singulis in eisdem contentis, pro saepe nominatis civibus et hospitibus nostris, ac Plebano, pro tempore constituto, eorundemque civium et hospitum nostrorum haeredibus et posteritatibus universis, perpetuo valituras, ratificamus, atque approbamus, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus Sigillum nostrum secretum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, testimonio literarum. Datum in nostro Oppido Leusbich (*h. Leubitz*) terrae nostrae Scepusiensis, Feria sexta proxima post Festum Annunciationis Mariae Virginis: Anno Dni Millessimo quadringentesimo vigesimo tertio. Ungariae tricesimo sexto, Romanorum tredecimo, et Bohemiae tertio.

CXXXI.

Sigismundus Rom. ac Hung. Rex reambulatorias Igloviensium literas confirmat. Anno Dni 1424.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae etc Rex, Marchio Brandeburgensis, nec non Luxemburgensis Haeres: Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Solet a Principe confirmari, quod licite postulatur. Quia sicut juris est, occupata indebite in statum debitum reducere, ita juri consonum est, obtenta legitime, Regio patrocinio roborare. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fideles nostri, providi viri, Georgius Stechler Judex, et Ambrosius juratus civis Civitatis nostrae Iglow *(h. Igló)*, in terra nostra Scepusiensi situatae, in personis omnium civium, hospitum et incolarum ejusdem Civitatis nostrae, Majestatis nostrae veniendo in conspectum, exhibuerunt Nobis quasdam literas privilegiales, Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis, super erectione, consignatione, et renovatione metarum, inter ipsam Civitatem nostram ab una, et ex alia Nobiles de Markusfalva partibus, modo et ordine literis in eisdem conscriptis, tenoris infra scripti; supplicantes exin Serenitati nostrae humiliter, ut easdam literas ratas, gratas et acceptas habendo, nostrisque literis similiter privilegialibus verbotenus inseri faciendo, pro eadem Civitate nostra, atque Civibus et populis nostris de eadem, dignaremur perpetuo valituras confirmare. Quarum tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc V. Diplom. CXVIII. Millesimi quadringentesimi duodecimi, pag. centesima nonagesima secunda.

Nos igitur humillimis, devotisque supplicationibus praefatorum Georgii Stechler Judicis, et Ambrosii jurati civis dictae Civitatis nostrae, Iglow vocatae, per eos, ut praemittatur, vice et nomine universorum civium nostrorum, ipsius Civitatis, Majestati nostrae subjective oblatis, Regia benignitate exauditis, et benigne admissis, praefatas literas Capituli Ecclesiae Scepusiensis privilegiales non abrasas, non cancellatas, nec aliqua sui parte vitiatas, sed omni ambiguitatis scrupulo destitutas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibusque de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, eatenus, quatenus

eaedem rite et legitime sunt emanatae, et viribus earum veritas suffragatur quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos acceptamus, approbamus et ratificamus; easque nihilominus simul cum consignatione praedictarum metarum, erectione et renovatione, mera authoritate Regia et potestatis plenitudine, ex certa scientia nostrae Majestatis, nec non de consilio Praelatorum et Baronum nostrorum, pro praedicta Civitate nostra Iglow, atque Civibus ejusdem perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante, salvis tamen juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et autentici Sigilli nostri duplicis, quo videlicet ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Dni Johannis Episcopi Zagrabiensis, Aulae nostrae et Reginalis Majestatum Supremi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, Sexto Idus Januarii. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc tricesimo septimo, Romanorum quarto decimo, et Bohemiae quarto. Venerabilibus in Christo Patribus: Domino Georgio postulato Strigoniensi, Doymo Spalatensi, et Andrea Ragusiensi A.-Episcopis, Colocensi et Jadrensi Sedibus vacantibus. Item Johanne Zagrabiensi, Thoma Agriensi,[a] Henrico[b] Quinque-Ecclesiensi, Benedicto Bosnensi, Clemente Jaurinensi, Nicolao Vacziensi, Fratre Hinkone Nitriensi, Jacobo Sirmiensi, Petro Corbaviensi, et Thoma Segniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Petro de Rozgon, Vesprimiensi,[c] Blasio Tragnensi, et Ladislao de Marchaly Chanadiensi, electis Traguriensi, Scardonensi, Sibiniensi, Tininiensi, Nonensi, Macariensi et Farensi Sedibus vacantibus.[d] Nec non Magnificis viris Nicolao de Gara, Regni nostri Hungariae praedicti Palatino, altero Nicolao de Chaak Wajwoda nostro Transsilvaniae, Comite Stephano Kompold de Nána Judice Curiae nostrae, Hermanno Comite Ciliae, Zagoriaeque ac totius Regni nostri Slavoniae, Alberto de Ungh Priore Auraniae, Dalmatiae et Croatiae Regnorum nostrorum praedictorum, Desew de Gara Machoviensi Banis, honore Banatus Zeuriniensis vacante. Petro filio Henrici de Berzewicze Tavernicorum,

---

a) Thomas videlicet III. qui eodem quoque anno vivere desiit. P. Nicol. Schmitth P. I. Episc. Agrien. pag. 411.

b) Sive Emerico, more Hungarorum.

c) Petrus Rozgon communi Vesprimiensium Canonicorum voluntate die 24 Novembris in proprium Praelatum electus fuit. Ibid. P II. pag. 1.

d) Sedis, Episcopique Transsilvani nulla hic fit mentio, fortassis ideo, quod expeditioni harum literarum non interfuerit, vel potius sub Georgio postulato Strigoniensi intelligi debuerit.

Ladislao filio Johannis Wajwodae de Thamasi Janitorum, Stephano de Bathor Dapiferorum, Nicolao de Perén Agazonum nostrorum Magistris, et Stephano de Rozgon Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CXXXII.

Conventio inter Georgium de Kesmark Praepositum Scepusiensem et XXIV. civitatum regalium plebanos intuitu annui census per dictos plebanos Praeposito solvendi. Anno 1427.

*Ex originali in Archivo Ven. Capituli Scepusiensis Scr. 10. Fasc. 2. N° 28. habito.**)

IN Christi nomine amen. Anno nativitatis eiiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo septimo Indictione quarta die vero vigesima prima mensis februarii horarum tertiarum vel quasi. In domo habitationis venerabilis viri Domini Petri prioris Claustri beate Elisabeth vidue de Suburbio Castri Scepusiensis ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini Strigoniensis dioecesis, pontificis sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia papae quinti, anno eius decimo. In mei notarii publici infrascripti testiumque subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia personaliter constitutus, discretus vir dominus Thomas plebanus de villa Sweui nomine vigintiquatuor civitatum regalium plebanorum habens et tenens in suis manibus, quandam literam Reverendissimi in Christo patris et Domini domini Philippi felicis recordationis quondam Archiepiscopi Strigoniensis, in pergameno scriptam duobus

---

*) Documentum hocce, quamvis neque apud Wagner neque in manuscripto auctoris Schmauk mentio illius fiat, huic libro tamen inserendum ratione habita tenoris sequentibus ex causis necessario putavimus:

1° quod documentum praejacens facta historica eaque prima Mathiae praepositi Scepus ab anno 1239—1258. tempora attingentia commemoret.

2° quod nostro scitu atiquissimum (1278) Catalogum. XXIV. regalium Civitatum exhibeat.

3° quod clare indubitanterque demonstret, parochias XXIV. regalium Civitatum primis temporibus Mathiae praepositi (a. 1239.), respective longe ante tempora Mathiae exstitisse, — prout hoc ex differentiis intuitu census annui, praeposito dependi soliti dictum Mathiam inter et parochos XXIV. reg. Civitatum exortis et per hocce documentum adductis, in lucem prodit.

4° quod ad illustrandam historiam antiquissimam praepusituralem Scepusiensem, adducta correlatione Praepositum inter et parochos XXIV. reg. Civitatum vigente, quoad prima tempora, multum conferat.

Sigillis pendentibus uno in rubeo serico non fuso oblongo praedicti Archiepiscopi in cera alba habens in se imaginem pontificalem, alio vero venerabilis capituli Strigoniensis rotundo similiter in alba cera et serico fuso, cum media imagine in capite infulam habens eandem, de mandato venerabilis viri domini Petri prioris Claustri beate Elisabeth vidue de Suburbio Castri Scepusiensis ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini Strigoniensis dioecesis, ac venerabilis viri, domino Petro praeposito ecclesie beati Johannis Baptiste de Jasow ordinis Praemonstratensium Commisario unico a sede apostolica specialiter deputato subdelegati, per compulsorias litteras ad requisitionem honorabilis viri domini Johannis de Pudlino Canonici ecclesie beati Martini de Scepus dicte dioecesis, ab eodem domino Petro emissas et emanatas, ipso pro tribunali sedente, praesentavit, quarum literarum tenor sequitur in haec verba: Philippus miseratione divina Sancte Strigoniensis ecclesie Archiepiscopus aulae Regiae Cancellarius, omnibus praesentes litteras inspecturis Salutem in auctore salutis. Ex cura pastoralis officii tenemur discordantes ad concordiam revocare, removere scandala, et quieti nostrorum prospicere subditorum, ut sopitis et sedatis litibus, et contentionibus quae materiam criminibus creare noscuntur, inter eos pacis comoda, quae rupto caritatis vinculo exstiterant, dante domino reparentur, proinde ad universitatis vestrae notitiam tenore praesentium volumus pervenire, quod cum inter dilectos filios scilicet, discretum virum magistrum Mothmerium praepositum de Scepus: ex una parte, et de Suburbio (*h. Szepes-Váralja*). de Ewlenbach (*h. Velbach*). de Odoryn (*h. Odorin*). de villa *n*ova (*h. Igló*). de villa Baldmar (*h. Pálmafalu*). de villa Vrssy (*h. Illésfalva*). de Vilgustorph (*h. Vilkócz*). de sancto Ladislao (*h. Csötörtökhely*). de villa Kabuz (*h. Káposztafalu*). de villa Sweui (*h. Svabócz*). de villa Theutonicali (*h. Poprád*). de Vylka (*h. Felka*). de sancto Georgio (*h. Szepes-Szombat*). de Milymbach (*h. Müllembach*). de Lomnicha (*Nagy-Lomnicz*). de villa Ysaac (*h. Zsákócz*). de villa Menhardi (*h. Menhard*). de villa *p*oloni (*h. Hunfalu*). de Bela (*h. Béla*). de Lewbitza (*h. Leibicz*). de villa Durandi (*h. Durand*). de villa Ruzkyn (*h. Ruszkin*). et de Leucha (*h. Lőcse*). plebanos in comitatu de Scypes existentes, ex altera super diversis articulis videlicet decimis sive censu, visitationibus, procentuationibus, dampnis, offensis et iniurijs et quibusdam alijs rebus et juribus orta fuisset, hinc inde coram nobis materia quaestionis, tandem dicto praeposito pro se et eciam sua et Hermano de Lyucha (*h. Lőcse*), Habeno Cantore ecclesie sacti Martini et de Suburbio, plebanis syndicis seu Actoribus habentibus super

hoc, et exhibentibus id nobis ex parte praedictorum plebanorum sociorumque suorum mandatum sufficiens et legale pro se et pro memoratis plebanis, statuto ad hoc per nos termino in nostri praesentia constitutis, tam ipse praepositus, quam dicti syndici seu actores habentes ad compromitendum super praedictis, et praefatis socijs suis plebanis speciale mandatum, per viam compendy procedere cupientes, in nos tamquam in arbitrum compromittere curarunt promittentes, et obligantes se praestito . . . . . corporali juramento tactis sacro sanctis evangelijs, quod nimirum super praemissis, arbitrium laudum vel ordinationum susciperent, et sinarent apposita nihilominus pena centum marcarum argenti, in quam inciderit pars, que ab huiusmodi nostro arbitrio resiliret. Ita quod ex praedictis centum marcis, quingatinta marcas parti arbitrium sinanti, reliquas vero quinquaginta marcas nobis vel Archiepiscopo Strigoniensi, qui pro tempore fuerit, solvere teneatur. Et eo ipso infamia perjurii sit notatus praesenti nostro arbitrio in suo robore perdurante.Nos igitur partium laboribus et expensis et quieti eorum consulere perenaliter cupientes, et dictam compromissionem in nos..... peticiones et omnia instrumenta litteras et munimenta partium totaliter nobis fecimus exhiberi. Quo facto cum praedictus praepositus ad solvendum sibi et successoribus suis, de singulis quinquaginta mansionibus parochianorum ad dictas ecclesias et plebanias spectantium, singulis annis unam marcam argenti ratione decimarum sive census compelli per nos plebanos peteret memoratos, fundare intentionem suam per quasdam patentes litteras quorundam plebanorum iam nobis exhibitas, in quibus ipsi plebani confiteri videbantur, ad solutionem unius marce de singulis quinquaginta mansionibus se teneri, et appellatione ipsum praepositum olym ad praedecessorem nostrum super hoc prius interponente renunciasse, praefatis syndicis respondentibus, ex adverso quod nonnisi de centum mansionibus id facere tenebantur. Quod eciam per literas felicis recordationis domini Benedicti praedecessoris nostri nobis exhibitas ostenderant. Quibus iam insertus fuerat tenor litterarum bone memorie Mathie tunc praepositi de Scypes, in quibus idem praepositus confitebatur, a tempore sui introitus in praeposituram de Scypes praedictos plebanos de centum mansionibus solvisse annis singulis unam marcam, et se illo jure usum esse pacifice et quiete Nos auditis partium racionibus et plenius intellectis, quia ex tenore praedictarum litterarum, quas dictus praepositus sub nomine eorundem plebanorum nobis exhibuerunt, deprehendimus manifeste, quod confessiones ipsorum plebanorum super solutione unius marce de quinquaginta mansionibus facte,

et renunciaciones huiusmodi personas potius dictorum plebanorum, et non ipsorum ecclesias contingebat. Et ideo non reales sed personales debebant potius indicari, nec per hoc praedictis ipsorum Ecclesiis debebat, praeiudicium aliquot gravare (?), de sumo nostrorum et aliorum sapientum consilio arbitrorum laudamus ordinamus et similiter pronunciamus et deffinimus pro bono pacis, quod non obstantibus praedictis plebanorum litteris, quas ipse praepositus, ut praemisimus nobis exhibuit. Et etiam praedictis litteris domini Benedicti Archiepiscopi memorati, praepositus et eius successores qui pro tempore fuerint, ratione praedictarum decimarum sive census de septvaginta mansionibus parochianorum huiusmodi, annis singulis in festo sancti Andr*ee* Apostoli recipere debeat et debeant unam marcam et quatuor pondera, cum pondere usuali tricesim*e* Comitatus de Scypes cum argento, equivalente eo argento, quo census et tributa regalia domino regi in illis partibus exigi consveverunt, qua pecunia de praedicto septvaginta mansionum numero singulis annis recepta, super hoc dictos plebanos amplius non molestet. Super numero autem mansionum villarum uniuscuiusque plebani*e* stabitur fidei cuiuslibet plebani, quaecunque parochia census huiusmodi exigeret. Super visitationibus autem super dictos plebanos per praepositum de Scypes faciendis, et procentuationibus exigendis taliter duximus ordinandum, quod visitationes huiusmodi tantum semel faciat in anno, et tunc vigintisex personarum et triginta equorum numero sit contentus, plebani vero ipsi eundem praepositum recipient honorifice, sicut decet ipsum, cum praedicto personarum et . . . . . numero per unam diem et unam noctem teneantur et debeant providere, visitationem autem huiusmodi licitum sit ipsi praeposito, incipere singulis annis a festo sancti Michaelis, quando voluerit, et usque Carnisprivium desinere et complere. Item statuimus et ordinamus, quod praepositus de Scypes non debeat excommunicare vel suspendere aliquem plebanum, vel interdicere aliquam ecclesiam, nisi secundum formam concilii generalis, nec praeficiet eis vicarium nisi plebanum discretum bon*e* fam*e* et honest*e* vit*e* hominem, quem ipsi plebani pro ipsius praepositi reveren*c*ia teneantur honorifice pertractare. Etsi aliqui plebanorum ipsorum ad nostrum provinciale concilium ultro venire voluerint, idem praepositus ipsos prohibere non debeat, vel e*c*iam impedire, salva synodo; praepositurali. Adiicimus etiam, quodsi collectam vel exactionem aliquam auctoritate apostolica in Hungaricis ecclesiis indici contigerit, plebani superius comprehensarum ecclesiarum . . solutionis eis commitere, super hoc imponendo pro media parte, praepositus vero cum al*y*s suis sacerdotibus et eccles*y*s, pro reliqua media parte

subire debeant et agnoscant. Statuimus eciam quod quicunque ex praedictis plebanis super aliquo illato, vel comminato gravamine, vel . . . . . differentiam ad nos et Strigoniensem ecclesiam a praeposito de Scypes duxerit appellandum, id faciat coram viris ydoneis et honestis, et petat ab eodem praeposito appelos id est litteras super appellatione a se interpositas. Et si dederit bene quidem, alioquin id ipsum appellans protestetur. Et tunc non erit quod appellanti possit super hoc aliquid imputari. Ad hec si aliquis plebanorum per decorum de omnibus bonis suis mobilibus fecerit testamentum, eiusdem testatoris voluntas modis omnibus impleatur. Et testamentum huiusmodi efficax habeatur. Si vero intestatus decesserit, bona ipsa ad usus futuri plebani per vicarium praepositi et duos ex vicinis plebanis integraliter resignetur, salvo in utroque casu receptionis unius marce et quatuor ponderum, que praeposito singulis annis de septvaginta mansionibus debetur, quemadmodum est premissum. Si ante obitum non persolvit. Et tunc super omnibus praedictis articulis in controversia huiusmodi de dictis facta, favente domino per nos decisio salubris et a partibus acceptata, omnia instrumenta, documenta, litteras et, alia munimenta cassavimus, et cassamus, ac cassata et irrita nunciamus. Si quae autem alia huiusmodi instrumenta praeter illa, que in praesentiarum exhibita, rumpi et dilaniari fecimus, per dolum, incuriam, negligentiam vel per oblivionem apud alterutram partem forsitan remanserunt, sint similiter cassa, vacua et inania, et carentia omni robore firmitatis, ita quod quaecunque partium praedictarum eis uti ullo unquam tempore praesumpserit, perjury et falsitatis infamia sit notata. Et nihilominus teneatur ad penam solvendam in arbitrio appositam, prout superius est expressum, praesenti ordinatione nostri nichilominus ut praemissum in suo robore perdurante. In testimonium igitur praesentis arbitry, laudis, ordinationis et deffinitionis sive sententie, super praemissis omnibus promulgate utrique parti praesentes litteras duximus concedendas, eisdem tam nostrum, quam Capituli nostri Strigoniensis ecclesie Sigilla ad maiorem cautelam apponi fecimus et appendi. Datum et actum Anno domini millesimo ducentesimo septvagesimo octavo 3. kl. decembris. Post cuius quidem littere praesentate lectionem, praefatus dominus Johannes venerabilis viri domini Georgii praepositi ecclesie beati Martini praedicte, et suo nominibus petivit *(sic)*, me notarium publicum infrascriptum, eandem de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento, ita quod ei fides in iudiciis et extra valeat adhiberi, transsumi et exemplari, et in publicam formam redigi more solito et consveto evidentiorem ad cautelam. Acta et fa-

*

cita sunt hec Anno Indictionis die, mense, horarum, loco et . . . . quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris dominis Petro de Kesmark, Michaele plebano, canonicis ecclesie beati Martini, Johanne de Suburbio, Martino de Leucha plebanis, Jodoco de Quintoforo artium liberalium magistro, predicatore de praedicta Leucha, Christiano similiter, praedicatore de dicto Suburbio, et Gregorio concionatore de Omnibus Sanctis, ac Petro de Almaschy notario, Anthonio de Lypscha notario publico, plebanis et clericis Strigoniensis et Agriensis dioecesis, et alys quam pluribus testibus fidedignis ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.



Et ego Petrus Petri de Art, clericus Pathaviensis dioecesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, quia praemissis punctationum lectionum, copiarum, petitionum, et decreti omnibusque et singulis praemissis, dum sic ut premititur fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manu mea propria conscripsi, et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consvetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et evidens testimonium omnium et singulorum praemissorum.

CXXXIII.

Sigismundus, Rex Civitati Késmark, ob lignorum defectum, medietatem Villae Rokus perpetuo donat. Anno Dni 1429.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Sigismundus, Dei gratia Rex Romanorum, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae etc Rex: memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Cum quia Nos nostram Regalem Civitatem, Kismark *(h. Késmark)* appellatam, in Comitatu Scepusiensi sitam, et existentem, respicientes, considerantesque in silvis et lignis ad ejusdem Civitatis constitutionem, aedificationem et reformationem necessario pertinentibus, adeo deficere, quod Cives et incolae ipsius juxta nostrae Serenitatis mandata et commissiones, ad nostrum honorem Regium, et

illarum partium fortitudinem, et conservationem commodissiorem, praedictam Civitatem in suis laboribus consumare, et etiam alia eorum peragenda necessaria, propter praemissarum silvarum, et lignorum defectum exercere nequeunt, neque possunt. Igitur Nos praelibatae nostrae Civitatis defectum, quum praeviis rationibus patitur, supplere volentes, totam medietatem cujusdam Villae Rukus *(h. Rokusz)* appellatae [a] intra metas et terminos ejusdem Civitatis nostrae K*i*smark, et cujusdam Villae, Bela vocatae, adjacentis, quae quidem medietas versus eandem Villam, Bela nuncupatam, existit situata, et quam accepimus, et habuimus a fidelibus nostris Ladislao filio Eliae de Gorgow [b] nobile Comitatus Scepusiensis, nec non Venerabili et Religioso viro Domino scilicet Ladislao [c] Abbatiae Monasterii beatae Mariae Virginis de Schewnik, ac Magistro Francisco, Canonico Ecclesiae beati Martini Confessoris de Scepus, Benedictoque et Thoma, ac Georgio et Elia filiis ejusdem Ladislai, filii Eliae pro portionibus possessionariis, nec non Curia, et domo condam Clementis de Saarus, *(h. Sáros)* in possessionibus Fri*ch* et Szent Kereszt vocatis, in dicto Comitatu de Saarus existentibus, habitis, per mortem et defectum seminis ejusdem condam Clementis, ad manus nostras Regias devolutis, per Nos eisdem Ladislao filio Eliae, et filiis suis praenotatis, titulo concambialis permutationis perpetuo jure datis, et collatis, ipsi Civitati nostrae, K*i*smark appellatae, cum cunctis hujuscemodi medietatis ante fatae Villae, Rokus appellatae, utilitatibus et pertinentiis universis, puta silvis, nemoribus, rubetis, terris arabilibus, pratis, foenetis, pascuis, piscinis, aquis, et aquarum decursibus, molendinorumque locis, et generaliter omnibus aliis, ad eandem medietatem Villae memoratae, rite et legitime pertinentibus, eatenus quatenus per memoratum Ladislaum filium Eliae, et filios suos, supra dictos, tenta fuit et possessa, animo deliberato, et ex certa nostra scientia dedimus, donavimus, contulimus, et aneximus, imo damus, donamus, conferimus et annectimus, jure perpetuo et irrevocabili per eandem nostram Civitatem possidendam, tenendam, pariter et habendam, salvo jure alieno ; Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum Nobis in specie fuerint reportatae. Datum Cassoviae in Dominica Reminiscere, Anno Dni Millesimo quadringentesimo vigesimo nono. Regnorum nostrorum anno Hungariae

a) Germanis Rox.
b) V. Part. I. part. 225.
c) Scilicet Episcopo Tinniniensi, de quo supra in diplomatibus saepius mentio facta est.

quadragesimo secundo, Romanorum decimo nono. Per Dominum Georgium Praepositum Scepusiensem.[d]

CXXXIV.

Idem Rex mandat Petro de Berzevicze, et Georgio Praeposito Scepusien. quatenus obortas ratione metarum Késmark et Belensium disceptationes, componerent. Anno Dni 1431.

Ex autographo apud Belenses habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex, fidelibus nostris Magnifico Petro de Berziwicze, Magistro Thavernicorum nostrorum, et Venerabili Domino Georgio Praeposito Ecclesiae Scepusiensis, salutem et gratiam. Nostrae Majestatis venientes in praesentiam fideles nostri providi, Petrus Judex, et Jacobus, juratus Civis Oppidi nostri, Bela vocati, ipsorum et ceterorum Concivium ac Cohospitum eorum de eadem Bela in personis. Nobis curaverunt significare, quomodo Judex et Jurati, ceterique cives Civitatis nostrae Kismark vocatae, et Nobilis Dionysius de Rukus *(h. Rokusz)* ipsos exponentes, ratione et praetextu contradictionis quarundam metarum reambulatione, quam scilicet reambulationem metarum iidem Cives nostri, de dicta Kismark et praedictus Dionysius de Rukus, taliter qualiter facere voluissent, per ipsos factae, in curiam nostram Regiam, nostram scilicet, seu Palatini in praesentiam, procurassent evocari, satagentes ipsos in eadem curia nostra calumniose opprimere, per sumptuososque labores vexare, et angariare: Supplicantes iidem Petrus et Jacobus, Cives nostri de praedicta Bela, suis et aliorum, quorum supra, nominibus, ut ipsis exinde de remedio dignaremur providere opportuno. Unde Nos eosdem cives nostros de ipsa Bela, per annotatos Judicem et Juratos, ceterosque cives Civitatis nostrae, Kismark praenotatae, in praetacta Curia nostra nequaquam vexari, opprimique et

d) Videlicet Gorgium III. de Késmark, qui primo Praeposituram Ecclesiae Sancti Adalberti Jaurini, a Branda Cardinale, V. Diplom. Anni 1412, Sacrae Sedis Legato, deinde Scepusiensem Anno 1419 est consecutus, utramque tamen ad tempus dimittere debuit, quod illicito modo easdem obtinuerit. Ipsum porro Sigismundi Regis Pro-Cancellarium fuisse, etiam scimus. Anno 1433. quando ab Hussitis, Scepusium depopulantibus, Civitas Kesmarkiensis capta fuit, ac ipse in eadem causa securitatis delituit, comprehensus, et obsidis loco Pragam abductus est, ubi quoque non multo post obiit. V. Wagner. P. III. pag. 45—55.

angariari volentes; sed causam hujusmodi per fideles nostros Palatinum, et Judicem Curiae nostrae, ipsorumque judicatus Vices gerentes, seriebus literarum aliarum nostrarum, exinde ipsis directarum, vestram transmitti mandavimus in praesentiam. Quapropter fidelitati vestrae fimissimo nostro Regio sub edicto praecipimus et mandamus, aliud habere nolentes, quatenus receptis praesentibus, in uno certo et brevi termino, per vos ad id praedictis partibus deputando, ad facies praescriptarum metarum contentiosarum accedentes, ipsisque partibus, quibus et Nos harum serie illuc accedere jubemus, vel eorum legitimis procuratoribus, nec non universis vicinis et commetaneis praedictarum Civitatum nostrarum K*i*smark et Bela, ac praefatae possessionis Rukus *(h. Rorusz)*, illic accersitis ac praesentibus, praescriptas metas contentiosas, terrasque exinde inter praedictas partes litigiosas taliter rectificare, universasque rixas et controversias, partes inter easdem praetextu hujus motas, et habitas, judicii libramine, aut per modum arbitrii et compositionis, in persona et authoritate nostrae Majestatis, vobis praesentibus in hac parte attributa mediante, adeo terminare, discutere, disponereque et complanare debeatis, ut quaelibet earundem partium suis juribus, distinctionibus, metalibus, per vos praemisso modo limitandis, contenta, rixis et contentionibus, exinde penitus et per omnia sedatis, et a modo deinceps tranquille permaneat et quiete; memoratique exponentes per amplius et de cetero nostrae super his non cogantur querulari Majestati, secus facere non ausuri. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in Feldkirchen in Festo beati Galli Confessoris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc quadragesimo quinto, Romanorum vigesimo secundo et Bohemiae duodecimo.

CXXXV.

Amica compositio inter Communitatem Felkensem et J. Familiam Máriássy ratione Chetene. Anno Dni 1432.

Ex autographo Felkae existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod constitutis coram Nobis Nobilibus Viris Georgio, quondam filio Magistri Ladislai, Máriás *(sic)* dicti, pro se personaliter, pro Johanne et

Ladislao filiis Jacobi, filii dicti Magistri Ladislai Máriás, in tenera aetate constitutis, quorum onera et cuncta gravamina, ratione infrascriptorum, si in infrascriptis persistere nollent, idem Georgius in se assumendo, ac Marco et Stanislao filiis Petri de Markusfalva ab una; item providis viris: Johanne Judice, Nicolao dicto Immelman, et Georgio dicto Wolfart, juratis civibus in Filka (*h. Felka*), per se similiter personaliter, et pro tota Communitate Concivium et hospitum ipsorum de eadem, quorum onera et cuncta gravamina, ratione infrascriptorum, modo similiter in se recipiunt parte ab altera; per eosdem propositum extitit ministerio vivae vocis, et relatum: Quod orta inter ipsos dudum materia quaestionis super occupatione ejusdem particulae terrae Chetenye[a] alio nomine Howerfeld[b] vocatae, prope metas populorum de dicta silva sitae, in Curia Regiae Majestatis, in praesentia Palatinali, diutiusque ventilata, imo ad definitivam sententiam inclusive deventae. In qua causa idem judex, jurati, ceterique cives et hospites de praedicta Filka contra et adversus praefatos Nobiles de praedicta Markusfalva, in facto potentiae, ex eoque in quinquaginta marcis denariorum convicti extitissent et aggravati.[c] Tandem vero praemissae partes tum habentes contemplationem Regiae Majestatis, tum etiam pro eorum commodo et utilitate, tum etiam ex proborum et Nobilium virorum informativa compositione interveniente, ad talem pacis et concordiae devenissent unionem, imo devenerunt coram Nobis tali modo: Quod praeallegati nobiles de praefata Markusfalva, praefatam particulam Chetenye, alio nomine Howerfeld, praefatis Judici, juratis et toti Communitati civium et hospitum de ante dicta Filka, pro censu feudali usque felicem adventum Serenissimi Principis, et Domini Dni Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis, semper Augusti, et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, in Regnum suum Hungariae, taliter locassent, et tradidissent, omnino sub limitationibus, conclusionibus territorialium metarum praefatae particulae terrae, ut praefati Judex, jurati. ceterique cives, jam dictae Villae Filka, pro annuo censu singulis annis in Festo Circumcisionis Domini duos florenos auri puri et justi ponderis praefatis nobilibus de jam dicta

a) V. Part. I. Pag. 98—134.

b) V. hic. Diplom. anni 1417.

c) Invasio domorum Nobilium aut eorundem possessionum occupatio, (qualem videntur Felkenses in Silva Chetene eotum perpetrasse) olim inter casus notae infidelitatis recensebantur. Sunt vero jure novillari, Carolino scilicet 1723 art. 10. cum nonnullis aliis casibus in poenam actus majoris potentiae commutati.

Markusfalva, sine omni contradictione dare, et persolvere tenerentur, et essent obligati. Quam solutionem fiendam praeallegati Joannes Judex, et Nicolaus Immelmann et Georgius Wolfarth in se, ac totam Communitatem civium et hospitum de ante dicta Filka, Villae ipsorum, recipientes, et se ac eandem Communitatem Villae ipsorum ad hoc faciendum sponte et libere, obligarunt. Ubi autem eadem Regia Serenitas occasione et praetextu dictae particulae terrae Chetenye appellatae, dictis Nobilibus de praeallegata Markusfalva aliquam possessionem, aut aliam particulam terrae, per modum concambii seu donationis titulis conferret, aut daret, ex tunc jam fati Judex, Jurati, totaque Communitas a tali solutione, dictorum duorum florenorum auri, ipso facto absolverentur, et omnino essent exempti et liberati; ipsa particula terrae haereditario jure cum omni proprietate in ipsos, Judicem, juratos, totamque Communitatem, absque omni solutione jure perpetuo et irrevocabiliter derivare, et redundare deberet eo ipso, contradictione dictorum Nobilium et aliorum quorumlibet non obstante: Alias, modo praevio datos duos florenos auri, praedicti Judex et ceteri Villani solvere temporibus perpetuis, et annis sint obligati. Assumentes insuper iidem Nobiles praefatos Judicem, juratosque cives, ac totam Communitatem praevia ratione ab omnibus et singulis impetitoribus specialiter vero a Joanne, filio praedicti Petri de dicta Markusfalva, fratre ipsorum, propriis ipsorum laboribus et expensis expedire, tueri et defensare. Nihilominus autem ex ipsorum proborum et Nobilium virorum compositione amicabili, praeallegati Nobiles Georgius, Marcus et Stanislaus, ante dictos Judicem, juratos ac totam Communitatem civium, populorum et hospitum de dicta Filka, super praedictis quinquaginta marcis denariorum, in quibus contra ipsos Nobiles processu judiciario convicti et aggravati extitissent, eisdem relaxassent, ac de et super eisdem eosdem solutos reddidissent, et expeditos, per omniaque satisfactos, imo reddiderunt, et commiserunt, coram Nobis, annuentes. Insuper iidem Nobiles paeallegatis civibus et hospitibus de praeallegata Filka, plenam et omnimodam facultatis potestatem ad abolendum, destruendum et annihilandum omnes et singulas metas, quas ipsi tempore restaurationis praedictae particulae terrae Chetenye, alio nomine Howerfeld vocatae, motu proprio erigi, et cumulari fecissent. Datum Feria secunda proxima post Dominicam Ramis Palmarum, Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo.

CXXXVI.

Sigismundus Romanorum ac Hung. Rex Capitulo Scepus mandat, ut Felkensi Communitati initam ratione terrae Chetene compositionem extradet. Anno Dni 1433.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum beati Martini de Scepus memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Nos literas Serenissimi Principis Dni nostri Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis, semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, pro parte civium et hospitum Oppidi Regiae Majestatis, Filka vocati, datas et concessas, Nobisque praeceptorie sonantes, omni cum reverentia recepisse in haec verba:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex: fidelibus nostris Ecclesiae Capituli Scepusiensis salutem et gratiam. Nostram, Praelatorumque et Baronum nostrorum veniens in praesentiam providus vir Georgius Wolfarth, Judex Oppidi nostri, Filka vocati, in personis universorum civium, et hospitum ejusdem Oppidi, coram Nobis ac eisdem Praelatis et Baronibus nostris exposuit querulose: Quod licet pridem inter ipsos cives et hospites nostros ab una, parte vero ab altera Georgium, Marcum, Stanislaum, et Johannem Nobiles de Markusfalva, in facto quarundam particularum terrae, ad idem Oppidum Filka spectantium, per fidelem nostrum Venerabilem virum, Dnum Georgium Praepositum praedictae Ecclesiae Scepusiensis, ac alios Nobiles et probos viros, juxta continentiam aliarum datarum literarum nostrarum, sub moderno secreto sigillo nostro emanatarum, fidelibus nostris Magnifico Petro filio Henrici de Berzevicze, Magistro Tavernicorum nostrorum, et praefato Dno Georgio Praeposito super inde datarum, quaedam limitatio, et arbitraria compositio facta fuerit, et celebrata, vobisque exinde iidem arbitrarii certam fecerunt fassionem: Tamen vos favore fortassis partis adversae allecti, literas vestras super inde necessarias, ipsis civibus et hospitibus praedicti Oppidi nostri, Filka appellati, extradare recusassetis, communem justitiam abnegantes ipsis in hac parte, in praejudicium ipsorum non modicum. Super quo fidelitati vestrae fimiter praecipientes, mandamus, quatenus habita petentium notitia, et rebus sic se habentibus, literas vestras super hujusmodi ordinativa dispositione, partes inter-

praedictas habita, quemadmodum vobis super inde fassio facta extitit, si aliqua legitima ratio non obstat, pro praefatis civibus, et hospitibus nostris extradare, et emanari facere debeatis, recusa absque omni: Caventes tamen, ne fraus et dolus eveniat aliqualis in hac parte. Datum Budae, Feria secunda proxima post Dominicam Oculi. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio. Regnorum nostrorum, anno Hungariae quadragesimo sexto, Romanorum vero vigesimo tertio, et Bohemiae tredecimo.

Quibus quidem literis ipsius Regiae Majestatis receptis, volentes mandatis suis obedire humiliter, easdem literas nostras super hujusmodi ordinativa dispositione, partes inter easdem certis ex rationabilibus causis non sigillatas infra scripto modo de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento, transcribi facientes: Quarum tenor sequitur in haec verba:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini etc V. Diplom. CXXXV. praecedens 1432. pag. 231.

Quibus sic, ut praemittitur, habitis, demum Marcus de Markusfalva, in Festo beati Georgii Martyris ad nostram personaliter veniens praesentiam, vice et in personis Johannis Nobilis de eadem Markusfalva, Domini sui, nomine Ladislai et Johannis filiorum Jacobi de eadem Markusfalva, praeallegatos Georgium, Marcum et Stanislaum facie ad faciem coram Nobis repertos; praefatos vero cives et hospites praefatae Filkae vocatae, absentes, ab hujusmodi compositione, fassione, ac literarum emanatione prohibuit et interdicit. Tandem aliquibus diebus praeterritis, praedicti Georgius, Marcus et Stanislaus, audita ejusmodi prohibitione, similiter in nostram accedentes praesentiam, et hujusmodi compositionem, et literarum emanationem modo simili prohibuerunt, et fassionem per ipsos factam, quoad omnes clausulas et articulos, et continentias revocaverunt. Quia autem eadem Regia Serenitas, virtute earundem suarum literarum nobis mandavit, ut quemadmodum Nobis super fassione ipsa constaret certitudo veritatis, suo modo pro praefatis civibus et hospitibus suis nostras literas dare et emanari facere debeamus, recusa absque omni. Ideo Nos praefatas literas nostras in superioribus conscriptas, eisdem civibus et hospitibus suis, praetacti oppidi sui, Filka vocati,[a] sub impresione sigilli nostri duximus concedendas, fraude et dolo absque omni. Datum in Dominica Judica. Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio.

---

a) Ex hinc quoque reffellitur Polonorum quorundam opinatio, quasi vero Sigismundus Rex Scepusii Oppida ita oppignorasset, ut nullum plane super his redimendis sibi jus reservasset.

*

CXXXVII.

Idem Rex, jam Imperator Roman. cunctis Regnicolis praecipit, ne Késmarkienses in eorum divexent juribus. Anno Dni 1433.

Ex autographo coram Barkocziana Commissione producto.

NOS Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, etc Rex : Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fidelis noster Gregorius filius Petri, juratus civis Civitatis nostrae Kĭsmark vocatae, terrae nostrae Scepus, nominibus et in personis fidelium nostrorum Judicis et Juratorum, ceterorumque universorum Civium, hospitum et incolarum, ac totius Communitatis ejusdem Civitatis nostrae Kĭsmark, lamentabiliter nostrae patefecit Majestati; quod dum pridem perfidissimi Hussitae, haeretici Bohemi, praetactas terras et partes nostras Scepus hostiliter subintrantes et easdem in non modica sui parte desolantes, praefata Civitate nostra Kĭsmark obtenta, magnam ipsius Civitatis nostrae partem ignis voragine consumpsissent; tunc per eosdem Hussitas haereticos, nedum universae aliae res, et bona praenarratorum civium, hospitum et incolarum antelatae Civitatis Kĭsmark ablatae, et absportatae sed et omnes literae, juraque et quaelibet literalia instrumenta ipsorum, super eorundem libertatibus, praerogativis, consuetudinibus, privilegiis et immunitatibus, quibus ipsi ac eorum Praedecessores ab antiquo freti fuissent, et gavisi, confectae et emanatae, ab ipsis alienatae, et deperditae extitissent: supplicans idem Georgius nostro Culmini humiliter et devote, sua et praetactorum aliorum civium in personis, ut Nos ipsis exinde, ex gratia speciali, de remedio providere dignaremur opportuno. Nos igitur praemissis consideratis, super quibus etiam aliorum fide dignorum relationibus, sumus edocti, hujusmodi supplicationibus memoratorum civium nostrorum benignius inclinati, id ipsum civibus, hospitibus et incolis, ac toti Communitati Civitatis nostrae Kĭsmark praenotatae, duximus annuendum, imo annuimus praesentium per vigorem, ut ipsi et eorum quilibet, cunctaque ipsorum posteritas, illis et eisdem omnibus libertatibus, praerogativis, legibus, consuetudinibus, indultis, gratiis, privilegiis, et immunitatibus, quibus dicti et eorum praedecessores ab antiquo, ut praemittitur, usque tempus invasionis et combustionis antefatae Civitatis nostrae, jurique et literalium instrumentorum ejusdem alienationis, per praenotatos Hussitas Bohemos factarum, freti, et gavisi extiterunt, uti, frui, et gaudere valeant,

atque possint, Quocirca vobis fidelibus nostris, Magistro Tavernicorum nostrorum nunc constituto, et in futurum constituendo, suisque vice-gerentibus praesentibus et futuris, item aliis cunctis Regnicolis nostris, quibus interest, vel interereit, praesentium notitiam habituris, firmissimo nostro sub edicto praecipientes, mandamus, quatenus praetitulatos cives, hospites et incolas praedictae Civitatis nostrae Kismark, in praefatis ipsorum libertatibus, libertatumque et gratiarum praerogativis, legibus, consuetudinibus, indultis, privilegiis et immunitatibus, quibus, ut praedicitur, ipsi ac eorum praedecessores usque tempus praemissum, freti sunt et gavisi, impedire, perturbare et molestare ullo unquam tempore nusquam, et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, quin imo eosdem et quemlibet eorum, ac ipsorum posteros omnibus libertatibus, consuetudinibus, privilegiis eorum praelibatis pacifice et quiete, et absque damno et molestia aliquali, uti, frui et gaudere sinatis, et permittatis, ac permitti faciatis temporibus successivis universis ; et in eisdem ipsos, dum et quando, et quotiescumque necesse fuerit, protegatis, tueamini, et defendatis, et aliud gratiae nostrae sub obtentu, non facturi in praemissis. Praesentes denique post earum lecturam semper reddi jubemus praesentanti. Datum Feria post Festum Exaltationis Sanctae Crucis : Anno Dni Millesimo quaringentesimo tricesimo tertio. Regnorum nostrorum Hungariae Quadragesimo septimo, Romanorum Vicesisimo tertio, Bohemiae decimo quarto, Imperii vero primo.[a]

CXXXVIII.

Idem Imperator et Hung. Rex ordinat, ut combustis Varaliensibus ex certis silvis ligna admittantur. Anno Dni 1433.

Ex autographo eorundem in Archivo habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae etc Rex. Fidelibus nostris universis et singulis Nobilibus et alterius cujusvis status hominibus, in Comitatu Scepusiensi existentibus, quos infrascriptum tangit negotium. Quod insinuatione fidelium nostrorum universorum civium, hospitum, populorum et incolarum nostrorum, in Civitate nostra, Varalia *(Szepes-Váralja)* vocata, commorantium,

a) Romae ab Eugenio IV. Summo Pontifice 25-a Junii coronatus est.

nostra audivit Serenitas: Qualiter, licet Nobis alias in Civitate Constantiensi[a] existentibus, ipsis et eorum cuilibet vigore certarum aliarum literarum nostrarum, exinde confectarum, et quidem cum ipsa Civitas ex quodam casu inopinabili, ignis incendio combusta extitisset, ab eisdem querulantibus deperditarum et alienatarum, hanc nostrae specialis gratiae praerogativam fecerimus, ut ipsi in universis et singulis Silvis liberis, et praesertim in silvis maiori et minori Tarcz, ac monte Humuli Oryn et Kirchberg vocatis, in praedicto Comitatu Scepusiensi existentibus, et in circuitn dictae nostrae Civitatis Varalia adjacentibus, ligna pro eorum usu, aedificatione et reformatione domorum, Curiarum et aedificiorum eorundem necessaria, apta et sufficientia secandi et deportandi haberent plenam facultatis potestatem. Quibus libertatibus ab illo tempore semper freti fuissent et gavisi illæse et sine impedimento: tamen vos, nescitur quo casu, quave potestate ducti a certis jam retroactis temporibus, et praesertim post nostrum de Regno nostro Hungariae recessum, hujusmodi nostras ipsis exponentibus per Nos, ut praemissum, concessas libertates, vestra propria auctoritate et potentia infringere satagentes, eosdem praefatis silvis uti et frui non permisissetis, neque etiam ad praesens pro aedificatione dictarum domorum, curiarum et aedificiorum eorundem, sic ut praedictum, combustarum, ac alio usu eorum, ligna necessaria ex eisdem deferre, et asportare permitteretis, in omnimodam ipsius Civitatis nostrae ruinam, atque desolutionem manifestam. Unde cum non sit licitum, neque conveniens rationi, afflictis superaddere afflictionem, nolentes, sicut nec decet, dictam nostram Civitatem Varalia, quae licet inter alias, praedictae Terrae nostrae Scepusiensis Civitates, rationabilibus quibusdam ex causis Illustri Regi Poloniae certo a Nobis substet titulo impignorationis, ipso tamen nostra Civitas jure perpetuitatis Nobis, et sacrae Regi nostri Hungariae Coronae pertinet jurisdictioni[b] sic desolari, civesque, hospites, incolas et inhabitatores ejusdem, contra eorum libertates et gratiosas concessiones nostras praenotatas, per vos quoslibet impediri, aut molestari; fidelitati vestrae firmiter praecipimus, et omnino volentes mandamus, quatenus a modo in antea annotatos cives, populos, incolas et inhabitatores praenotatae nostrae Civitatis, Varalia vocatae, non obstante eo, quod praedictae nostrae literae super praemissis libertatibus, per Nos, ipsis, ut

a) Ibi videlicet contra Hussii et Viclefii novam doctrinam generale Concilium est celebratum.

b) Inspectis his, nemo in posterum negare ausit, Tredecim oppignorata Oppida fuisse ita Regalia, ut etiam ad Coronam Regni pertinuerint; merito proinde hodie (1806) scribunt Coronalia. Quod ipsum etiam ex Diplomatibus Poloniae Regum, infra adducendis patebit.

praefertur concessis, confectae, ab eis tempore in praedicto alienatae sunt et perditae, praedictis silvis, prout et quemadmodum eisdem a tempore dictae nostrae per Nos ipsis, ut praescribitur, concessae libertatis, usi sunt atque freti, temporibus semper successivis universis pro eorum necessitate uti, et frui permittatis et permitti faciatis, ipsis, aut alicui ipsorum in secatione, aut asportatione praefatorum lignorum de silvis praedictis, pro eorum usu, reformationeque dictarum domorum, Curiarum et aedificiorum suorum necessariorum facientes, nullum impedimentum, nullasque molestias et perturbationes inferre, erogarique facere praesumentes, gratiae nostrae sub obtentu. Alioquin serie praesentium firmiter comittimus fidelibus nostris Comiti vel Vice-Comiti et Judlium *(sic)*praedicti Comitatus Scepusiensis praesentibus, et futuris, praesentium notitiam habituris, ut ipsi vos et vestrum quemlibet ad omnimodam hujusmodi nostrorum mandatorum observationem, per vestra gravamina arctius compellant, et astringant, mera nostra, ipsis praesentibus in hac parte attributa auctoritate mediante. Si vero iidem Comites et Vice-Comites et Judlium pro tempore constituti, forsan favore vestro allecti, se ad exequenda hujusmodi nostra mandata difficiles reddiderint, vel remissi, extunc Nos dictis exponentibus sic providebimus, et ad observationem dictorum nostrorum mandatorum vos et quemlibet vestrum adeo compellemus, et compelli faciemus, quod dicti exponentes in praemissa per Nos eis concessa libertate illaesi permanebunt, vosque praemissis poenitebit nostris non paruisse mandatis. Secus ergo uti ultra alia vestra incommoda nostrae Majestatis gravissimam indignationem incurrere pertimescitis, facere non ausuri in praemissis: praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Basileae in Festo beatae Catharinae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio. Regnorum nostrorum Anno Hungariae Quadragesimo. Imperii vero primo.

CXXXIX.

Idem Imperator et Rex Hungariae ordinat inquiri, utrum aliquando Késmarkienses depositorium Mercium habuerint. Anno Dni 1434.

Ex genuino transumpto ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Nos literas Serenissimi Principis, Domini nostri Sigismundi, Dei gatia Ro-

manorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, Comiti et Vice-Comiti ac Judlium Comitatus Scepus loquentes, pro parte providorum virorum Judicis, ac Juratorum, ceterorumque universorum Civium Civitatis Regiae Kismark vocatae, datas et concessas, omni cum reverentia percepisse in haec verba:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex: Fidelibus nostris Comiti,[a] Vice-Comiti[b] et Judlium Comitatus Scepus salutem et gratiam. Dicitur Nobis a Praelatis et Baronibus nostris, in personis fidelium nostrorum, providorum Judicis et juratorum, ceterorumque universorum civium et hospitum Civitatis nostrae, Kismark vocatae, Terrae nostrae Scepus: quamvis e primaevis consuetudinibus, ac antiquis libertatibus eorum, et gratiosis praerogativis, eis per pios Reges Hungariae, nostros utpote Praedecessores, consequenter per nostram Majestatem concessis, et roboratis et approbatis, et hactenus illibate observatis, requirentibus, quilibet mercaturas suas, venales res, et quaevis bona, mercimonia, quocunque nomine vocitatas et nominatas, cujuscunque generis vel materiei, undecunque ac de quibuslibet partibus in eandem Civitatem nostram apportandi, in eademque disponendi, deligendi, et venditioni exponendi: iidem vero cives et hospites nostrae praefatae Civitatis Kismark emendi, commutandi, pannos incidendi, resque ponderabiles, puta ferrum, cuprum, ceram, sebum et hujusmodi ad stateram et trutinam appendendi, et ponderandi plenam habuerint potestatem: Sed nunc Judex et jurati cives et incolae Civitatis nostrae Leutscha[c] et plerique alterius status praefatae terrae nostrae Scepus, audito, et revera cognito, quod iidem anno videlicet noviter praeterito, tempore hostilis introitus, perfidorum haereticorum Hussitarum Bohemorum in ipsam terram Scepus facti, captationis et obtentionis per eos jam factae nostrae Civitatis Kismark, inter alia ipsorum civium et hospitum nostrorum bona, per ipsos Hussitas in praedam directa et distracta, literas et literalia instrumenta nec non privilegia super hujusmodi eorum libertatibus, et gratiosis praerogativis et indultis emanata et confecta, ammissae penitus et deperditae, ac ab eis alienatae forent, ipsos cives nostros et hospites ejusdem Civitatis nostrae Kismark nuncupatae, in ejusmodi eorum

a) Fuit Joannes de Perén. V. Wagner P. III. pag. 214.
b) Fuerunt Ladislaus de Kier, et Andreas de Eperies. Ibid. pag. 241.
c) Semel cepta isthaec impetitio, porro etiam usque ad multam effusionem sanguinis continuabatur.

libertatibus, et gratiis ac praerogativis et indultis, quibus, ut praefertur, ad hucdum usque freti fuere et gavisi, diversis exquisitis, et excogitatis et adinventis novitatibus, in eorum oppresionem, dictorumque eorum jurium, ac libertatum, et praerogativarum vilipendium et derogamen multimode impedirent, et perturbarent, eisdem ipsorum libertatibus uti, atque gaudere non permittentes indebite injuste. Supplicatum itaque extitit, ipsis Judici ac juratis, et ceteris civibus et hospitibus praefatae nostrae Civitatis Kismark, circa praemissa de remedio providere opportuno. Verum cum Nos, praefatam nostram Civitatem Kismark, praefatumque Judicem et hospites eorum libertatibus et gratiosis praerogativis, quibus ab olim usi sunt, per quempiam indebite disturbari nolentes, de praemissis certius volumus informari fidelitati vestrae firmiter praecipientes, mandamus, quatenus ab omnibus praefatae terrae nostrae Scepus Nobilibus et alterius cujusvis status hominibus, quibus decet et licet ad fidem eorum, Deo debitam, fidelitatemque Nobis et sacro nostro diademati observandam, tacto Dominicae Crucis signo per cor[d] coram testimonio Capituli Ecclesiae Scepus, quod per idem Capitulum ad id praesentium serie destinari jubemus, probandi de eo, quibus juribus et libertitatibus, ac gratiosis praerogativis nostram memoratam Civitatem, et per consequens praelibatos Judicem, cives ac hospites ipsius hactenus usos atque fretos et gavisos fuisse sciverant, sciuntque et recordantur, inquiratur, sciatur, experiatur, meram, plenam atque omnimodam certitudinis veritatem. Cujus tandem rescitae veritatis per vos, et idem Capitulum, prout expediens fuerit, nostrae fideliter rescribi volumus Majestati. Praesentes quoque perlectas reddi edicimus praesentanti, quas propter absentiam sigillorum nostrorum, sigillo fidelis nostri Reverendissimi in Christo Patris Dni Georgii[e] Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis, vicariique nostrae Majestatis, per Nos in hoc Regno nostro Hungariae, nunc nostra in absentia constituti, fecimus consignari. Datum Budae secunda die Festi beati Aegidii Abbatis, anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Regnorum Hungariae etc quadragesimo octavo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiae decimo quinto, Imperii vero secundo.

Nos igitur mandatis ejusdem Dni nostri Imperatoris et Regis Hungariae humiliter, ut tenemur, obedire cupientes una cum Nobilibus viris

---

d) Antiqua haec, circa praestanda, praestitaque juramenta solemnitas fuit.

e) Georgii de Palocz, quem Carolus Wagner Vicarium suae Majestatis fuisse, non notavit. P. III. pag. 43. 45.

Ladislao de Kier, et Andrea de Eperies Vice-Comitibus, item Johanne de Tekew, de Krompach, Petro Ludmann de Bela, et Nicolao dicto Erlews de Abrahamfalva Judlium*) dicti Comitatus, nostrum hominem videlicet Dnum Johannem de Ujfalva, fratrem et Concanonicum nostrum ad praemissa exequenda transmisimus, pro testimonio fide dignum. Qui demum ad Nos reversus Nobis retulit commode: Quod ipse Feria secunda, nunc proxime praeterita, in Sede judiciaria Nobilium praedicti Comitatus Scepus Nobilibus, viginti trium Civitatum terrae Scepusiensis[f]) quibus decuisset, et licuisset, ad dictam Sedem judiciariam more proclamatae Congregationis, accersitis ad fidem coram Deo debitam, fidelitatemque Regiae Majestatis et suo sacro Diademati observandam, tacto Dominicae Crucis signo, quorum praerogativis memoratam Civitatem Regiam de dicta Kismark, et per consequens praelibatos Judicem, cives ac hospites ipsius hactenus usos atque fretos, et gavisos fuisse, scirent, et recordarentur, interrogatos, et requisitos habuissent; talem de praemissis ab eisdem scire et experiri, meram, plenam, atque omnimodam certitudinis potuissent veritatem: Quod praefata Civitas Kismark, et per consequens praefati Judex, cives, populi et hospites semper et ab antiquo, et a tanto tempore, cujus contrarium memoria hominum non existit, talibus consuetudinibus et antiquis libertatibus eorum et gratiosis praerogativis, eis per Divos Reges Hungariae, ut puta per Praedecessores Reges, consequenterque per Regiam Majestatem concessis, et roboratis, approbatis, et hactenus illibate observatis, usi, freti, et gavisi fuissent, ut quilibet mercatorum omnes suas venales res, et quaevis bona, mercimonia, quocunque nomine vocatas et nominatas, cujuscunque generis et materiei, undecunque ac de quibuscunque partibus in eandem Civitatem Regiam deponendi, disligandi, et venditioni exponendi, iidem vero cives et hospites praefatae Civitatis Kismark emendi, commutandi, et pannos incidendi, resque ponderabiles, puta ferrum, cuprum, ceram, sebum, et hujusmodi ad stateram et trutinam appendendi, et ponderandi plenam habuissent potestatem. Sed nunc Judex et jurati cives et incolae Civitatis Regiae Leutscha, *(Lőcse)* audito et revera cognito, quod pridem anno videlicet noviter praeterrito, tempore hostilis introitus perfidorum haereticorum

*) Judlium = Judicum Nobilium. Antiquioribus temporibus singulus comitatus in quatuor processus, circulos, divisus fuerat. Cuilibet eiusmodi processui praeerat sic dictus Judex Nobilium, qui in Officiosis correspondentiis etc brevitatis causa sub nomine Judlium = Judex Nobilium veniebat.

f) Kapostafalva (h. Káposztafalu), hic desideratur, velut Rozgonio jam collata.

Hussitarum Bohemorum, in ipsam terram Scepus facti, captionisque et obtentionis per eos iam fatae Civitatis Regiae, Kismark appellatae, inter alia ipsorum civium et hospitum Regiorum bona, per ipsos Hussitas in praedam direpta, et distracta, literas et literalia instrumenta, nec non privilegium super hujusmodi libertatibus eorum, et gratiarum praerogativis et indultis emanata, et confecta, ammissa penitus et deperdita, ab eisque alienata forent, ipsos cives Regios, et hospites ejusdem Regiae Civitatis, Kismark nuncupatae, in talibus libertatibus eorum et gratiis ac praerogativis et indultis, quibus, ut praefertur, a dudum hucusque freti fuere, et gavisi, diversis exquisitis, et excogitatis, et adinventis novitatibus in eorum oppressionem, dictorum ipsorum jurium, ac libertatum et praerogativarum vilipendium, ac deroganem multimode impedirent, et perturbarent, eisdem ipsorum libertatibus uti atque gaudere non permittentes indebite et minus juste. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus eisdem Judici, juratis civibus, et hospitibus dictae Civitatis, Kismark vocatae, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum tertia die inquisitionis praenotatae, videlicet in Festo beati Michaelis Archangeli, anno Domini suprascripto.

CXL.

Idem Imperator ac Rex Hung. Késmarkienses relevat a vexis, quae ipsis praetextu dirutae beati Michaelis Archangeli Ecclesiae atque domorum Plebaniae intendebantur. Anno Dni 1434.

Ex autographo ibidem habito.

Commissio propria Domini Regis.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Fidelibus nostris: Reverendo in Christo Patri Dno Georgio Archiepiscopo Strigoniensi, suoque vicario in spiritualibus generali, item magnificis Palatino et Judicibus et Justitiariis, Ecclesiasticis videlicet et secularibus praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris salutem et gratiam. Nostrae Majestatis venientes in praesentiam fidelis nostri providi Mathias Sculteti, juratus civis, et Georgius Notarius, universorum civium et hospitum ejusdem Civitatis nostrae Kismark personis Celsitudini nostrae declararunt: Quod, quia tempore illo,

*

quo alias perfidissimi et immanissimi Hussitae haeretici diabolicas fimbrias suas dilatantes, potenti et valida fortitudine praedictas terras nostras Scepusienses, machinationeque easdem, imo et totum Regnum nostrum Hungariae eorum perversis conatibus subverterunt, et devastarunt, ac Christicolas in iisdem existentes, ad nefandam eorumdem sectam convertentes, subintrassent, ibidemque combustiones ac crematines plurimarum villarum, et Oppidorum[a] aliasque diversas et indicibiles vastationes commisissent. Egregius Johannes filius condam Comitis Petri de Peren, Capitaneus seu Comes praedictae terrae nostrae Scepus, solerti vigilantia intendens, saltem ad Civitatum munitarum, et fortalitiorum ejusdem terrae nostrae Scepus[b] ab insultibus eorundem haereticorum defensionem, ne ipsi haeretici Hussitae obtentis iisdem, vel aliqui eorundem, ibidem moraturi, radicarentur, quandam Ecclesiam Parochialem, in honorem Sancti Michaelis Archangeli in Suburbio dictae Civitatis nostrae Kismark[c] et domos Plebani ejusdem Ecclesiae altis et fortibus Aedificiis instructis, ne easdem praedicti Hussitae intrantes, abinde insidiae et impedimenta ipsi Civitati nostrae in oppressionem et periculum ejusdem vergentia, per ipsos Hussitas fierent, et committerentur, ad cautelam destruere, et diruere fecissent; ideo nunc forent nonnullae personae Ecclesiasticae et Seculares, quae ratione et praetextu destructionis et abolitionis Ecclesiae et domorum Plebaniae ante dictorum, ipsos cives et hospites nostros de Kismark, et nonnullos ex iis per litigarios processus impedire, molestare et vexare niterentur, quod cederet in eorundem exponentium gravamen non modicum et jacturam manifestam. Et quia diruptio domorum, de quibus, ut praemittitur, multa incommoda praespecificatae Civitati nostrae, imo et toti terrae nostrae Scepus, de facili evenire potuissent, magis est ad profectum et utilitatem Reipublicae, quamsi eotum salvae remansissent, nolumusque propterea cives et hospites nostros praedictos, seu quempiam ex ipsis per quoscumque litigiarios processus, occasione praemissorum, impedire, molestari, seu quomodolibet tribulari. Ideo fidelitati vestrae et vestrum cuilibet praecipimus, et mandamus, quatenus praefatos cives et hospites nostros de Kismark praedicta, aut quempiam ex iis ad cujuscumque instantiam et requisitionem,

---

a) Pleraque in Scepusio etiam oppida, ut alias docebitur.

b) Munitae Civitates in Scepusio pro tunc erant Késmark, Leutschovia et Podolin.

c) Unde certum evadit, in hac Civitate duplicem fuisse Plebaniam unam Sanctae Crucis in ipsa Civitate, et alteram extra Civitatem Ecclesiae sancti Michaelis Archangeli.

praetextu destructionis et abolitionis praedictarum Parochialis Ecclesiae beati Michaelis Archangeli et domorum Plebaniae ejusdem, modo praetacto factae, praejudicare, vel vero adstare judicatui compellere et adstringere, ipsosque praevia ratione quovis modo impedire, molestare, aut vexare in personis, rebusque et bonis eorum nusquam et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Et secus sub obtentu nostrae gratiae facere non audeatis in praemissis. Praesentes post earum lectionem reddi jubemus praesentanti. Datum Posonii in Festo beati Michaelis Archangeli, anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Regnorum Hungariae quadragesimo octavo, Bohemiae decimo quinto, Romanorum vigesimo quinto, Imperii vero Secundo.[d]

CXLI.

Fassionales super metis Bela in Scepusio. Anno 1435.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod personaliter coram Nobis comparentibus Providis Viris Elia Judice de Villa Palmarum, Laurentio de Quintoforo, Petro de Monte S. Georgii, Egidio de Villa Durandi Civitatum Regalium Judicibus, nec non Petro Judice de Birbron *(h. Viborna)*, ac Urbano de Landek et Joanne de Newrern *(h. Nagy-Eör)* Hospitibus, pro testimonio, ut dicebant, per providos viros, Judicem, cives, juratos et totam Communitatem populorum de Bela vocati, invitati, et in praesentiam nostri per Judicem et cives de dicta Bela adducti, oraculo vivae vocis confessi sunt: Quod cum ipsi Feria quinta proxima post Festum beati Matthaei Apostoli et Evangelistae cum multis aliis probis viris de Villis vicinis et commetaneis ad metas infrascriptas pro veritate audienda, et dicenda, pro ostensione et demonstratione metarum suprascriptarum, ad quos pertinerent requisiti, petiti et invitati fuissent, tunc coram ipsis Judicibus quatuor Civitatum Regalium, praemissis

d) Cf. cum Wagner. Part. III. pag. 214.

inter ceteros viros de Villis, Commetaneis, et Vicinis infratacti viri seniores bonae famae, et fide digni per totum Districtum Scepusiensem reputati, videlicet Judex et alii duo Hospites de Landek, item Hospites duo de Birbrøn, item unus juratus civis et duo alii Hospites de Newrern homines, bonae aetatis et maturi, sub juramento, et fide sua, omni amore, odio, qualibet indignatione postergata, singuli per praefatos quatuor Judices Civitatum Regalium requisiti fuissent, ut de infrascriptis metis eis cognitam et scitam dicerent veritatem. Qui sub juramento et fide, ac conscientiis suis omnes unanimiter et concorditer retulissent, et dixissent, prout ipsis constaret, et a suis praedecessoribus, Parentibus, et Senioribus Villarum praedictarum audissent, et scirent, tunc metae infrascriptae semper fuissent ab antiquo tempore Hospitum et Inhabitatorum de Bela, et ipsi semper fuissent usi, et habuissent possessionem terrarum et silvarum intra ipsas metas existentium, et habitarum. Prima meta inciperet in loco, qui vulgariter dicitur Kalenberg, et vadit inde ad aliam metam, quae vocatur Kukesserwek *(sic)*; deinde proceditur ad tertiam metam, quae est in fine Kalenberg, ab ista itur ad quartam metam per quendam rivulum in vallem seu planitiem quandam, a qua itur ad quintam metam, ad locum, qui dicitur Molenstatt *(sic)*: deinde vadit ad metam, quae dicitur Legerstadt (*sic*); quae est sexta meta, et ab illa itur ad rivulum Liebseyffen, ad metam septimam, quae dicitur Mittelsteinweeg; deinde descenditur ad quandam vallem circa dictum rivulum Liebseyffen, et abinde directe ascendendo versus Alpes pervenitur ad quandam grandem planitiem, Wajdenau vocatam, a qua directe descendendo, transitur ad alteram planitiem, Kompenschecht *(sic)* vocatam, et abinde itur usque ad nigram silvam, et a nigra silva revertendo, transitur ad manum dextram per cacumen cujusdam montis lapidosi, ibidem habiti, quae est octava meta. Abinde descendendo directe pervenitur ad rivulum Weissenseyffen nominatum, in quo rivulo ad aliquod spatium transeundo, et descendendo, pervenitur ad fluvium quemdam, Belbach vocatum, et abinde, in eodem fluvio transeundo, itur ad quandam vallem, Chüttergrundt (*sic*) vocatam, et deinde per aliquod spatium transeundo pervenitur ad campum, in quo ad manum dextram tendendo transitur ad quemdam rivulum, Tiffenseyffen nominatum, in quo continuo transeundo itur ad fluvium Poprad vocatum, et in eodem fluvio ascendendo continuo, pervenitur in locum, ubi rivulus Schwartzbach vocatus, cadit in fluvium Poprad praedictum, ubi nona et ultima meta dicta Oppidi Bela terminaretur. Et idem per omnia et simili modo Petrus de Birbrøn, Urbanus de Landek

et Joannes de Nürern *(sic)*, supradicti fassi sunt personaliter coram Nobis. Datum Sabbatho die post Festum beati Francisci Confessoris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.[a]

CXLII.

Sigismundus Imperator et Rex Hung. Joanni de Peren Comiti Scepusiensi mandat, ut Felkenses contra Máriássianas impetitiones defendat. Anno Dni 1436.

Ex authographo apud Felkenses habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex. Fideli nostro Egregio Johanni de Peren, Comiti Comitatus Scepusiensis, vel ipsius Vice-Comiti, et Judicibus Nobilium Comitatus ejusdem salutem et gratiam. Veniens nostrae Majestatis in conspectum Johannes Judex de Vilka *(h. Felka)* sua et ceterorum universorum populorum et Jobbagionum nostrorum in eadem possessione nostra, Vilka vocata, commorantium, in personis, Nobis exposuit gravi cum querela: Quod licet ipsi ab antiquo quandam particulam terrae Howerfeld*t*, alio nomine Zethna (sive Chetena) vocatam, circa metas praefatae possessionis nostrae Vilka adjacentis, per eorum progenitores sub certo pacto emptam et comparatam tenuerint, et possederint, ac eadem particula terrae juxta libitum voluntatis eorum usi fuerint, singulisque annis certam pecuniae summam pro eadem particula terrae Georgio, Stanislao et Marco Nobilibus de Marksdorf*f* solverint, et assignaverint: tamen nunc iidem Georgius, Stanislaus et Marcus, nesciretur, quo motu ducti, praefatos populos et Jobbagiones nostros ab usu et fruitione hujusmodi particulae terrae perhibuissent, ipsos de ejusdem particulae terrae dominio minus juste et indebite excludere praetendentes, quod in ipsorum populorum et Jobbagionum nostrorum damnum, et praejudicium, jurisque derogamen cederet valde grande. Supplicant itaque

a) Has ipsas Fassionales Honorab. Dnus Alexius Plebanus, et providus Sigismundus Judex de Bela, in Venerabili Capitulo Scepusiensi transcribi curarunt in Festo beatae Dorotheae Virginis et Martyris. Anno 1477.

Johannes Judex nominibus, quibus supra, ipsis super inde per Majestatem nostram oportune provideri. Unde nos praefatos populos et Jobbagiones nostros, justis eorum juribus per quempiam indebite et absque lege destitui nolentes[a] et privari; Fidelitati vestrae, firmissime praecipientes, mandamus, quatenus receptis praesentibus, partibus praemissis ad unum certum et brevem terminum, per vos ipsos praefigendum, vestri in praesentiam, videlicet ad faciem praetactae perticulae terrae convocatis, et accersitis, quas et nos illuc accedere jubemus, auditis prius ambarum partium propositionibus et allegationibus, visis etiam literis et literalibus documentis praefatorum populorum et Jobbagionum nostrorum, quas ipsi super emptione memoratae particulae terrae se habere asserunt, si ex evidentibus probationibus, et legitimis documentis dictorum populorum et Jobbagionum nostrorum, memoratam terrae particulam sibi certo pacto aut conditione, ut praemittitur, justo juris titulo emptam, et comparatam comperietis; extunc ipsos populos et Jobbagiones nostros in dominio ejusdem particulae terrae contra memoratos nobiles de Marksdorf *f* protegere, et conservare debeatis, nostrae Majestatis in persona, et auctoritate vobis per praesentes attributa, et justitia mediante. Volumus tamen, quod iidem populi et Jobbagiones nostri illam pecumiae summam, quam ipsi ratione usufruitionis saepeafatae particulae terrae praelibatis Nobilibus ab olim usque modo, ut praefertur, solverunt et assignarunt, etiam de cetero solvant, et administrent locis debitis, et temporibus opportunis. Secus igitur non facturi. Praesentibus perlectis, et exhibenti restitutis. Seriem quidem praemissorum, ut fuerit expediens, in vestris literis nostrae fideliter rescribatis Majestati. Datum Znoymae partium Moraviae Feria sexta proxima post Festum Penthecostes, Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc quinquagesimo, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae decimo sexto, Imperii vero quarto.

---

a) Velut jam oppignoratos, ideo putantes, ab Rege Hungariae minus fore curandos, impetierunt evenit tamen contrarium.

CXLIII.

Idem Imperator et Rex Capitulo Scepus mandat, ut literalia Instrumenta pro Felkensibus reinveniri faciat. Anno Dni 1436.

Ex genuino transumpto apud eosdem habito.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore: Quoniam ea, quae aguntur in tempore, vacillant facile, nisi praesidio literarum, aut fidelium testium adminiculo in statum solidum redigantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire. Nos literas Serenissimi Principis, et Domini nostri, Dni Sigismundi Regis, Dei gratia Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis omni cum reverentia recepisse in haec verba:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariae etc Rex. Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Scepusiensis, salutem et gratiam. Dicit nobis Johannes, Judex de Villa Vilka *(h. Filka)* sua atque ceterorum universorum populorum, et Jobbagionum nostrorum, in eadem possessione nostra, Vilka vocata, commorantium in personis, quomodo quaedam literae, seu literalia ipsorum instrumenta facta, ad cujusdam particulae terrae Howerfeld, alio nomine Zethena (Chetena) vocatae, tangentia et continentia, ab ipsis casualiter deperdita essent, et alienata, quarum paria in vestra Sacristia, seu Conservatorio Ecclesiae vestrae, more solito reposita haberentur, quae nunc pro tuitione jurium ipsorum, ipsis nimium forent necessaria. Super quo fidelitati vestrae, firmiter praecipiendo mandamus, quatenus praedicta paria dictorum literalium instrumentorum in annotata Sacristia vestra, seu Conservatorio Ecclesiae vestrae diligenter requiri, et reinveniri faciatis, requisitarumque et reinventarum tenorem, si eosdem praefatos Johannem Judicem, et alios populos ac Jobbagiones nostros in eadem possessione nostra, Vilka vocata, commorantes, rite et rationabililiter tangere agnoveritis, in Transumpto literarum vestrarum eisdem concedatis ad cautelam; caventes tamen, ne fraus et dolus eveniat in hac parte aliqualis, secus non facturi. Datum Znoymae partium Moraviae, Feria tertia proxima post Festum Pentecostes, anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto. Regnorum nostrorum Hunga-

riae quinquagesimo, Romanorum vigesimo sexto, Bohemiae decimo sexto, Imperii vero quarto.

Nos igitur mandato ejusdem Serenissimi Domini nostri Imperatoris, ac Hungariae etc Regis, humillime, ut tenemur, obedire cupientes, visis et perlectis eisdem literis Suae Majestatis Nobis praesentatis, praedicta literalia instrumenta, factum praedictae terrae tangentia, in annotata Sacristia nostra, seu Conservatorio Ecclesiae nostrae diligenter requiri facientes, et inter cetera quoddam par alphabeto introsertum, Sigilloque nostro pendenti communitum, tenoris infrascripti invenimus, cujus tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus. V. Diplom. CXXII. 1417. pag. 204.

Nos igitur hujusmodi reinventi instrumenti testimonium, quia ipsum praefatum Johannem Judicem, ac alios populos de dicta Filka, rite et rationabiliter tangere agnosceremus, praescriptamque particulam terrae tangentem, tenorem ipsius praesentibus de verbo ad verbum inseri facientes, eisdem Johanni Judici et populis de dicta Filka sub appensione Sigilli nostri duximus concedendum, ad cautelam praenotatam. Datum Feria tertia proxima post octavam diei Festi Sanctissimi Corporis Christi, anno ejusdem Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto.

CXLIV.

Altera amica compositio inter Felkenses et Familiam Máriássy ratione Chetene, alias Hoverfeld. Anno Dni 1436.

Ex autographo apud Felkenses habito.

NOS Capitulum beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore: Quoniam ea, quae fiunt in tempore simul cum temporis cursu labuntur, nisi scripturarum et Sigillorum, patrociniis roborentur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Nobiles viri: Magister Georgius, Marias dictus, et Marcus filius Petri de Markusfalva pro se personaliter, et sine literis pro-

curatoriis, ipse Magister Georgius pro filiis fratris sui, Jacobi videlicet, Stanislai et Johannis, ac filio suo; praefatus quoque Marcus pro fratre suo Stanislao, filio praedicti Petri, et filiis ejusdem Stanislai de dicta Markusfalva, quorum onera et cuncta gravamina, ratione infrascriptorum, penitus et in toto in se assumentes ex una, parte vero ex altera providi viri, Nicolaus Imelmann Judex et Johannes Richtar dicti, juratus civis de Filka, in eorum et totius Communitatis civium et hospitum de eadem *Fi*lka personis, coram Nobis personaliter constituti, per eosdem extitit confessum, oraculo vivae vocis et relatum. Quod licet inter ipsos super quadam particula terrae dictorum Nobilium Chetene, alio nomine Howerfeld vocatae, circa metas ejusdem Oppidi, *Fi*lka vocati, existente, per ipsos Judicem, Juratos, et totam Communitatem de eadem empta, litis controversiae exortae, et aliquamdiu ventilatae fuissent, tamen ipsi de proborum et Nobilium virorum, pacem partium zelantium, amicabili compositione, inter ipsas partes interveniente, ad talem pacis et concordiae devenissent unionem: Quod praefati Nobiles de Markusfalva annotatam particulam Chetene, alio nomine Howerfeld vocatam, eisdem Judici, Juratis et toti Communitati civium et hospitum de jam dicta *Fi*lka, pro censu feudali, usque felicem adventum Serenissimi et invictissimi Principis, et Domini Dni Sigismundi[a] Dei gratia Romanorum Imperatoris, semper Augusti, et Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis in Regnum suum Hungariae, taliter locassent, et dedissent, locaverunt et dederunt omnino sub omnibus limitationibus et conclusionibus literarum emptionalium, et metarum ipsius particulae terrae, ut ipsi Judex, Jurati et tota Communitas de dicta *Fi*lka eisdem Nobilibus de Markusfalva, aut ipsorum haeredibus et Successoribus, singulis annis in Festo circumcisionis Domini duos florenos auri, et justi ponderis solvere debebunt, et tenebuntur, ac erunt obligati; tali tamen conditione adjecta quod si qua partium in hac dispositione, inter ipsos facta, persistere noluerit; videlicet quod si ipse Judex et Jurati, ac tota Communitas de ipsa *Fi*lka praescriptos duos florenos auri in termino praenotato persolvere negligerent, seu non curarent, vel ipsi persolvere volentibus, annotati Nobiles, aut ipsorum haeredes de dicta Markusfalva recipere nollent, sive recusarent, extunc talis pars, dictam compositionem non servans, seu servare recusans, in decem Marcis Budensibus fini argenti convinceretur eo facto. Et

a) Necessarias nempe moras in Moravia et Bohemia habuit.

easdem decem marcas fini argenti, Comites videlicet Nobilium et Civitatum Regalium Comitatus et Provinciae praesentis terrae Scepusiensis, a parte non tenente, seu contradicente, plena potestate per praesentium vigorem habita, recipere et extorquere, et duas partes pro se, tertiam parti servanti compositionem, juxta Regni consuetudinem recipere, et dare valeant, atque possint. Ad quod se praefatae partes sponte obligarunt coram Nobis. Cum vero praefatum Serenissimum Dominum nostrum, Imperatorem, ac Hungariae, Bohemiae etc Regem, in dictum Regnum ipsius Hungariae, Deo dante, feliciter in proximo redire contingeret, aut fortasse, ex divinae voluntatis permissione, ipso tempore medio ab hac luce decederet, alius futurus Rex Hungariae pro tempore in ipso Regno fuerit constitutus, et perstiterit: extunc ipsi Judex, Jurati, et tota Communitas de saepe dicta *Fi*lka, praetitulatos nobiles, aut eorum haeredes et successores de Markusfalva, per unum Judicem Nobilium ejusdem Comitatus Scepusiensis, et unum ex nobis ad hoc deputatum, similiter plena potestate, vigore praesentium praehabita, in praesentiam ejusdem Domini nostri Regis praesentis, aut futuri, ubi pro tunc in Regno Hungariae constitutus fuerit, ad terminum seu diem competenter evocare debeant, et teneantur. Tunc quidquid idem Serenissimus Dominus noster Rex Hungariae modernus vel futurus, in ipso termino inter ipsas partes in facto praedictae particulae terrae Chetene, alio nomine Howerfeld vocatae, non obstante absentia, vel non venientia alterius partis, in ipso termino comparere non curantis effecerit, discusserit, seu judicialiter decreverit, hoc ipsum ambae partes ratum, gratum atque firmum perpetuo et irrevocabiliter habere, et tenere assumpsissent, et assumpserunt coram Nobis, vigore et testimonio praesentium mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes nostras literas concessimus Nobilibus de dicta Markusfalva, ac Judici, juratis civibus et Communitati de dicta *Fi*lka supra dictis, pendentis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum in die Visitationis Gloriosae Virginis Mariae, Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto.

CXLV.

Ladislaus, Abbas Schawnikiensis, Oppido Teplicz per Hussitas ruinato quosdam favores praestat. Anno Dni 1436.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Frater Ladislaus, Abbas Monasterii beatae Mariae Virginis de Scepus juxta Schewnik, nomine totius Conventus Loci ejusdem Ordinis existentis, Strigoniensis Dioecesis, tenore praesentium memoriae commendamus, significantes, quibus expedit universis; Quod Nos cupientes ac desiderantes restaurationem, ac reaedificationem possessionis nostrae Tepliska *(sic)*[a] sic vocatae, considerantes et conspicientes hospitum et incolarum multis gravaminibus, nec non desolationibus ejusdem Villae, quae temporibus diversorum disturbiorum a nephandis Hussitis, et ab aliis exercituantibus hominibus, spolia ac ignis voraginem sunt compessi, privilegiis ac libertatibus, quibus per praedecessores nostros Abbates erant muniti, super omnes metas, solutiones et servitia, quibus sunt obligati Monasterio praetacto, satisfacere debeant. Igitur deliberata praeordinatione praedictam possessionem Jobbagionibus et Incolis sublevare et conservare, eisdem et in futurum gratiam de consensu nostri totius Conventus de novo fecimus, contulimus, et donavimus hoc, ob respectum servitiorum eorundem Jobbagionum praedictae nostrae Villae, Teplyka sic vocatae: imprimis, quod ipsi Jobbagiones praedictae possessonis Teplyka, et eorum successores omnes terras arabiles, silvas, rubeta, et nemora, prata, nec non piscationes, venationes et aucupationes in infrascriptis metis ejusdem Villae subjacentibus, uti debent perpetuo datis et concessis praelibatarum terrarum. Cujus terrae prima meta quidem incipit a rivulo Glivjanini potok *(sic)*, sic vocati, ubi cadit ad fluvium Poprad, ascendendo dictum rivulum usque ibi, ubi emanat, ibi lapis positus; abhinc directe ad rivulum Koolseyphen, sic vocatum, inter viam et semitam lapis positus; abhinc versus occidentem ad veterem montis Krizowa-hora, sic vocati, et semper in cacumine montis versus occidentem usque Charna, sic vocati, terra cumulata: deinde semper in cacumine montis versus eandem plagam supra Villam Michaelis, alio nomine Krawen[b] terra cumulata, et semper in

a) Sive Teplicz, postea Oppidum, nunc iterum possessio ad Episcopatum Scepusiensem spectans.
b) Kravján, germanis Kuhschwanz.

flectendo versus eandem plagam per fluvium Luchiwna, sic vocatum, pervenit cacumine montis versus eandem plagam usque Kozi-Kamen, sic vocati, eundo in cacumine montis supra Jeschow, terra cumulata; abhinc versus Aquilonem in cacumine montis usque Stelchow; abhinc flectendo usque Krizelowkut, sic vocati, circa quandam viam, terra cumulata; abhinc ascendendo in cacumine montis sub oriente, est lapis, qui lapis separat metas seu terras Luchiwna *(h. Lucsiwna)* et Teplyka: abhinc versus Aquilonem inter duas vias terra cumulata, abhinc eandem plagam versus Aquilonem supra viam, qua itur de praefata Teplyka ad Luchiwnam, terra cumulata inter montes existens; deinde ascendendo montem versus Aquilonem, et in vertice ejusdem montis vadit ad unam viam, terra cumulata; abhinc ad quandam viam, qua itur de Scepus ad Lyptoviam, circa quam terra cumulata; tandem transit abhinc versus eandem plagam circa fluvium Poprad, a parte Meridionali praedicti fluvii meta cumulata; inde per fluvium Poprad, a parte Meridionali praedicti fluvii meta cumulata; inde per fluvium descendendo usque primam metam, et sic metae omnes terminantur ipso facto. Et ut ordinationis et donationis nostrae series inviolabilis assidue, perpetuoque permaneat, praesentes eisdem Jobbagionibus, ac eorum successoribus praescriptae possessionis Teplyka contulimus, nostroque ac nostri Conventus sigillis, ne aliqua dubietas in posterum, aut calumnia de praemissis eisdem hospitibus praefatae possessionis nostrae, posset oriri, communimus, roboramus, et confirmamus. Actum et datum in praelibato Monasterio nostro in die Purificationis Mariae, anno Dni Millesimo quadringetimo tricesimo sexto.

CXLVI.

Joannes Folkys et Joannes Hotkoczy, hic XI. ille vero XIII. Civitatum Comites instant, ut Belenses reponantur in usum silvarum. Anno Dni 1437.

Ex autographo Belae existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Providi Viri et circumspecti Joannes Folkys de Suburbio Castri Scepusiensis *(h. Szepes-Váralja)*, et alter Joannes Hotkóczy, alio nomine Ungriss-

grob nuncupati, de eodem Suburbio, Comites XIII. Civitatum Regalium Terrae Scepusiensis, ad nostram personaliter venientes praesentiam, exhiberunt nobis quasdam literas Serenissimi Principis et Domini nostri Dni Sigismundi, Dei gratia Romanorum Imperatoris, semper Augusti ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, in papyro patenter confectas, Sigillo suae Regiae Majestatis minori sub impresso sigillatas, ad Commissionem propriam Dni Regis, Ladislao Chap, alias Vice-Cancellario referente emanatas, omni prorsus vitio et suspicione carentes, hunc tenorem continentes:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex etc. V. Diplom. CXXXIV. 1431. pag. 230.

Quibus quidem literis regalibus exhibitis, iidem Comites praefatarum tredecim Civitatum Regalium coram Nobis personaliter, ut supra, constituti, super praemissis extiterunt confessi oraculo vivae vocis in hunc modum: Quod, cum in anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo Feria tertia proxima post Festum Visitationis beatae Mariae Virginis ratione et praetextu praemissorum, praelibatis condam Magnifico Dno Petro Magistro Tavernicorum, et condam Dno Georgio[a] Praeposito Ecclesiae nostrae praedictae, in domo providi viri Martini, Raynold vocati, pro tunc Judicis de dicta Késmark *(sic)*, ipsisque Comitibus ac aliis quam plurimis probis et nobilibus viris praesentibus, personaliter constitutis, coram quibus memorati Judex et Jurati ac Cives de Késmark et Dionysius de Rukus *(h. Rokusz)* ex una, parte vero ex altera Judex et jurati Cives de praefata Bela personaliter adhaerentes, super praemissis, in dictis regalibus contentis, ipsis discussionem et finalem determinationem fieri postulassent: tandem visis et reverenter per eos acceptis praefatis literis Regalibus, et perlectis, iidem condam Dni Magister Tavernicorum et Georgius Praepositus, inter cetera annotatas ambas partes interrogassent, quae ex eis hucusque in dominio et possessione praedictarum terrarum ac silvarum, in metis contentiosis praedictis habitarum extitissent. Quae quidem partes allegassent, quod ipsi cives et hospites de dicta Bela fuissent: tunc iidem condam Dni, Magister Tavernicorum et Georgius Praepositus eisdem Judici et juratis ac ceteris civibus et hospitibus de dicta Bela, praefatis terris, pratis et silvis, in metis contentiosis habitis, uti et frui, proventus perci-

a) V. Wagner. P. III. pag. 45.

piendo, ligna succidendo, quousque ipsi inter eos superinde aliam discussionem et definitionem facere valerent, seu possent. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes nostras dedimus literas, Sigilli nostri pendentis munimine roboratas. — Datum Feria quarta proxima post Festum beatae Elisabeth Viduae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. b)

CXLVII.

Idem Folkys jam XI. Oppidorum Comes cum sibi adjunctis Judicibus 60. jugera Popradiensibus adjudicat. Anno Dni 1438.

Ex autographo in Monte S. Georgii existente.

NOS Joannes Folkys*ch*, Undecim Civitatum terrae Scepusiensis Comes, nec non jurati Judices Civitatum earundem memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod, licet Providi et circumspecti, videlicet Petrus cum suis juratis Civibus de Oppido Sancti Georgii *(h. Szepes-Szombat)* tanquam Actores, legitime ex parte totius Communitatis ejusdem Oppidi, Providum Judicem et juratos Cives de Villa Poprad quandam terrae particulam in numero sexaginta jugerorum, pro se ipsis usurparent, ipsisque in praejudicium ac damnum multum ingens, allegatos Judicem et Cives Oppidi praefati, ab omni participatione ac participifactione terrae praemissae exclusissent; quam videlicet terrae particulam, ipsis esse donatam, et appropriatam, literalibus munimentis Serenissimi Principis Dni Sigismundi, pro tunc Romanorum Regis, recolendae memoriae, asserebant se velle docere et probare. Saepe dicti vero Judex et Cives praetextu Universitatis, Villae Poprad scilicet, ex adverso vindicabant, quomodo eorum legitimis probationibus, signanter Capitularibus, literis Ecclesiae Sancti Martini, ac aliis evidentissimis privilegialibus documentis Viginti quatuor Civitatum Regalium Terrae Scepusiensis, possent probare, quod dicta terrae particula, scilicet sexaginta jugerorum diutive et ab antiquo fuisset appertinens ipsorum metarum, et inclusa cum erectionibus et praefixionibus signorum metalium, et praefati cives et hospites dicti Oppidi Sancti Georgii praefata sexaginta jugera nusquam, imo nunquam

b) Anno 1529. idem Diploma in V. Capitulo Scep. rescriptum est.

fuissent in ipsorum dominio et potestate. Nos itaque auditis ambarum partium dispositionibus et responsionibus, literas vero utrinque partium perlegere et perlegi fecimus diligenter; et ex literis civium et hospitum de Villa Poprad perspicue reperiebamus, praefata sexaginta jugera fore situata in metis eorundem, et non in metis populorum et hospitum praemissorum Oppidi Sancti Georgii, eandemque terrae particulam juxta continentiam literarum Capitularium Ecclesiae Sancti Martini, nec non Comitis et Judicum XXIV. Civitatum, nostrorum praedecessorum, dictis Civibus ac populis, dictam terrae particulam reperimus ab antiquo esse adjudicatam, lege et consuetudine Regni requirente. Pariformiter per edictum sententiae juris, praedicta sexaginta jugera civibus et populis Villae Poprad adjudicavimus, imo adjudicamus per omnia, jugis temporibus habenda, tenenda et conservanda, nullis penitus contradictoriis partis adversae obstantibus. In cujus rei memoriam appensione Sigilli nostri praesentes fecimus communiri. Scripta in Leubutz[a] Feria quarta ante Festum beati Petri ad Vincula. Anno Dni Millesimo quadringentesimo trigesimo octavo. (L. S.)

CXLVIII.

Montis S. Georgii Cives ratione 60. jugerum lite agunt cum Popradiensibus. Anno Dni 1439.

Ex authographo apud Monte Georgenses existente.

NOS Laurentius de Hedervára, Regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum[a] memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod cum Judex, Juratique et universi Cives Montis Sancti Georgii Terrae Scepusiensis, ratione cujusdam sexaginta jugerum terrarum arabilium, inter metas Possessionis Stojanfölde et ejusdem Civitatis Sancti Georgii adjacentium, in praesentiam Comitis, nec non Judicum Undecim Civitatum dictae Terrae Scepusiensis, traxissent in causam adjudicando, Judice tamen et Juratis dictae Civitatis Poprad de eorum Judicio non contentis, eandem causam in praesentiam Serenissimi Principis Domini nostri Alberti Regis transmisissent, idemque Dnus noster

a) Seu Leibitz Scepusii Oppido.

Rex inter ipsas partes per Nos in praemissis fieri judicium commisit: tandem nobis in Octavis Festi beati Georgii Martyris cum Regni Nobilibus pro faciendo moderativo Judicio causantibus, in Sede nostra Judiciaria sedentibus, Joannes dictus Flescher, Civis dictae Civitatis Montis S. Georgii, pro se, et pro dictis Judice, Juratis, ceterisque Civibus ejusdem Civitatis ab una, nec non Egidius Civis de dicta Poprad modo simili pro se, et pro Judice et Juratis, nec non tota Communitate ejusdem Oppidi Poprad in nostram venientes prasentiam; primo annotatus Joannes Flescher allegans sexaginta jugera terrarum intra metas Stojanfölde adjacere, volensque eandem Stojanfölde dictae Civitati S Georgii pertinere debere, declarae; duas literas privilegiales quondam Serenissimi Principis, et Dni Sigismundi Regis Nobis demonstravit; quarum primo anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo, Sexto Idus Mensis Maji. Regnorum autem suorum, Anno Hungariae etc Vigesimo quinto, Romanorum vero secundo; habens in se verbaliter et confirmative seriem et continentias duarum literarum, unius scilicet ejusdem Domini Sigismundi Regis patenter in Themeswar Feria quarta proxima post Festum beatorum Viti et Modesti Martyrum, ac alterius Capituli Ecclesiae Scepusiensis privilegiales, decimo die Feriae sextae proxime ante Festum beati Michaelis Archangeli, ambarum in Anno Dni Millesimo quadringentesimo undecimo confectarum declarabat, quod providus vir Christianus Civis dictae Civitatis Montis S. Georgii suo, et Judicis et Jurassorum, nec non totius Universitatis ejusdem Civitatis nominibus et in personis, in ipsius Dni Sigismundi Regis veniendo conspectum, eidem declarasset, quomodo eadem, Civitas propter terrae usualis et arabilis, nec non pratorum, de quibus fructus et utilitas, aliaque opulentia, victui ipsorum necessaria possent procreari, non modicam carentiam, et defectum paterentur satis magnum, propter quod census seu collecta annualis, sibi scilicet Dno Regi, ex eorum parte provenire solitus, difficulter et cum penuria nonnunquam per eosdem Cives exolveretur: supplicans nominibus, et in personis, quorum supra, eidem Dno Regi, ut eis circa praemissa remedio dignaretur succurrere oportuno. Ipse igitur Dnus Sigismundus Rex hujusmodi eorum defectui subvenire satagens, quandam terram Monasterii beatae Mariae Virginis de Sebnek *(h. Savnik-Kastély)*, Stojanfölde nuncupatam, in Comitatu Scepusiensi et Vicinatu praedictae Civitatis Montis Sancti Georgii adjacentem, quam usque nunc Michael filius Hank, cum filiis suis, eorumque Antecessores pro Censu feudali, durante beneplacito Abbatis et Conventus dicti Monasterii, habuissent et tenuissent, ab eisdem Monasterio, nec

non Abbate et Conventu, per consequensque Michaele et filiis, cum suis utilitatis et pertinentiis, cum quibus praedicti Michael, et sui Successores eandem rite et legitime possedissent, praefatae Civitati Montis Sancti Georgii; et e converso in hujus rependium Possessionem Civitatis Leucha *(h. Lőcse)*, Primfalva *(h. Primócz)* nominatam, in eodem Comitatu sitam, simul cum suis utilitatitibus et pertinentiis ab eadem Civitate Leutscha modo simili auferendo, memorato Monasterio et per consequens Abbati et Conventui ejusdem pro tempore constitutis, mera authoritate sua Regia sub forma et modo concambialis permutationis dedissent, donassent et contulissent, per ipsas utrasque partes tenendam, possidendam pariter et habendam, absque praejudicio juris alieni, sub conditionibus et articulis literis in eisdem conscriptis. Regius itaque et annotati Capituli Scepusiensis homines, literis in eisdem nominati, et ad Regium liberatorium mandatum transmissi, in praescripta Feria sexta proxima ante Festum beati Michaelis Archangeli, ad faciem dictae possessionis Stojanfalva, Vicinis et Cometaneis ejusdem universis, inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, introduxissent praefatos Cives dictae Civitatis Sancti Georgii, in dominium ejusdem, statuissentque eandem eisdem praemissae novae Regiae donationis titulo perpetuo possidendam, contradictione praefatorum Michaelis filii Hank, Ladislai et Emerici filiorum ejusdem, ac aliorum quorumlibet non obstante: Quas tandem possessionarias donationem et statutionem praefatus Dnus Sigismundus Rex praedictis civibus patrocinio dicti sui privilegii mediante, in perpetuum valituras confirmasset. Alterius vero in Diosgjur *(sic)* secundo die Feriae tertiae proximae post Festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum in dicto anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo editi series exprimebatur: Quod cum praefatus Michael filius Hank de Stojanfalva, Ladislaus et Emericus filii ejusdem, condam Reverendum in Christo Patrem, Dnum Fratrem Ladislaum, Episcopum Ecclesiae Tininiensis, Commendatoremque Abbatiae Monasterii beatae Mariae Virginis de Scepes[d] Ordinis Cisterciensium in eo, quod idem Dominus Episcopus praefatam Possessionem Stojanfalva, dudum per Praedecessores suos Abbates, Praedecessoribus eorum, et demum per ipsum Ladislaum Episcopum in sua et Conventus sui personis, ipsis praetacto censu annuo in feudum perpetuo collatam, et arendatam ignorarent, qua de causa

d) Intellige Schawnik.

ab ipsis sine lege auferendo, Civibus et Civitatis Montis Sancti Georgii perpetuassent, antefato Dno Sigismundo Regi conquesti fuissent; idemque Dnus Rex ipsum Dnum Episcopum, horum rationem redditurum, mediantibus literis suis ad certum terminum suam in praesentiam vocari fecisset, tandemque ipso Dno Rege in praescripta Feria tertia proxima post Festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum cum nonnullis Praelatis et Baronibus, Regni sui Proceribus, in dicta Diosgjur *(sic)* constituto, et causas Regnicolarum suorum, sibi conquerentium, exaudiente, ac justo aequitatis tramite discutiente, praefatus Michael filius Hank in sua, et dictorum filiorum suorum personis, in ipsius Dni Regis personalem veniens praesentiam, praefatam Possessionem Stojanfalva Praedecessoribus suis et consequenter sibi, ac dictis filiis suis exhibitione literarum Capituli Scepusiensis, primo per allegatum Abbatem praefati Monasterii beatae Mariae et Conventum Loci ejusdem, Hyldebrando, Praedecessori suo, postremoque per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum in sua, et Conventus sui personis, sibi scilicet Michaeli, et dictis filiis suis, eorumque haeredibus pro certis censibus feudalibus, in certis terminis ac conditionibus, poenisque ac obligationibus, literis in eisdem expressatis, praefatis Monasterio et Abbatibus, nec non Conventui pro tempore constitutis, annuatim solvendis, in feudum perpetuo collocatam, et arendatam fore declaramus, rationem praemissae oblationis Possessionis antedictae, per ipsum Dnum Ladislaum Episcopum coram dicto Dno Rege assignari postulasset: Quo audito, praefatus Dnus Ladislaus Episcopus in ipsius Domini Regis praesentia personaliter adhaerens, respondisset ex adverso: quod non ipse, sed idem Dnus Sigismundus Rex ipsam Possessionem Stojanfalva, tam ab ipso Michaele filio Hank et filiis ejusdem, quam a praedicto Monasterio auferendo; eidem Civitati Montis Sancti Georgii applicasset, quandam aliam Possessionem Civitatis Leuścha, Primfalva nuncupatam, eidem Monasterio pro ipsa Possessione Stojanfalva sub certis conditionibus concambialiter condonando: et ipse idem Dnus Ladislaus Episcopus exhibitionem praescriptarum literarum ipsius Domini Sigismundi Regis, in dicta Feria quarta proxima post Festum beatorum Viti et Modesti Martyrum, in dicto Anno Millesimo quadringentesimo undecimo confectarum et superioribus sensualiter insertarum, declarando, tam ipse Dnus Ladislaus Episcopus sibi, quam praefatus Michael similiter sibi, et dictis filiis suis, per ipsum Dnum Regem in praemissis juris aequitatem postulassent impertiri. Ipse igitur Dnus Rex praetitulatam Possessionem Stojanfalva antefatae Civitati Montis Sancti

Georgii, saepefatam vero Possessionem Primfalva praefato Monasterio, Abbatibusque et Conventui pro tempore constitutis, rationibus, literis in eisdem conscriptis, adjudicando, et reliquisset, commisisset, eisdem in sempiternum possidendam, tenendam et habendam, salvis juribus alienis, praefato Michaeli, et juribus ejusdem, eorundemque haeredibus superinde silentium perpetuum imponendo. Quibus praesentatis annotatus Egidius similiter in sua, nec non totius Communitatis dicti Oppidi Poprad personis, modo simili in hujus documentum, quod dicta terrae particula sexaginta jugerum terrarum arabilium, eidem Oppido Poprad de jure pertineat, tres literas, unam Comitis Provinciae, nec non Viginti quatuor Judicum Terrae Scepusiensis, ac aliam Abbatis et Conventus dicti Monasterii beatae Virginis Mariae, nec non tertiam Comitis et Judicum duodecim Civitatum praescriptae Terrae Scepusiensis omnino privilegiales, nostro judiciario conspectui offerre curavit. Quarum prima, puta dictorum Comitis et Judicum Viginti quatuor Civitatum Terrae Scepusiensis, octavo die Festi beati Michaelis Archangeli in Anno Dni Millesimo trecentesimo quadragesimo nono edita, hunc in se verbotenus tenorem literarum Comitis Saxonum et Juratorum, et universorum Judicum de Scepes in Leucha, in Festo beati Joannis Baptistae in Anno Dni Millesimo trecentesimo exortarum, enodabat: Quod Hildebrandus, Conradus et Nicolaus filii Hildebrandi ex una parte, et universi populi de Villa Poprad ex altera parte, coram ipsis Comite Saxonum, ac Judicibus et juratis personaliter constituti, confessi fuissent, quod cum super quadam particula terrae, quam praedictus Hildebrandus, Pater praefatorum Hildebrandi, Conradi et Nicolai prius possedissent, inter eos exorta fuisset materia quaestionis, et diutius ventilata, tandem arbitrio et compositione proborum virorum praedicti populi de Poprad praefatae terrae particulam, cum suis utilitatibus et pertinentiis devenissent praedictis Hildebrando, Conrado et Nicolao jure perpetuo, et irrevocabiliter pacifice possidendam, tali tamen conditione mediante, ut praefati Hildebrandus, Conradus et Nicolaus, ratione dictae particulae praedictis populis de Poprad in Festo beati Martini Confessoris dimidiam Marcam argenti, ponderis Scepusiensis, dare teneantur omni anno, sub aliis conditionibus et articulis, literis in eisdem specificatis.

Secunda vero earundem praefatarum videlicet Abbatis et Conventus Monasterii beatae Mariae Virginis duobus Sigillis eorum consignata, in Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo octavo confecta, manifestabat: quod constitutis coram ipsis Abbate et Conventu, Coxemanno de Villla

Stojani, filio condam Comitis Hildebrandi de Grenicz una cum Consorte sua Cunegunde, et liberis suis, ex eadem procreatis, videlicet quinque filiis et totidem filiabus suis, qui personaliter oraculo vivae vocis confessi fuissent: quod haereditatem suam, quam possedissent jure haereditario in Villa Stojani supra dicta, Curia videlicet cum terra arabili et foenetis, sub protectione et regimine Ecclesiae beatae Virginis usque tunc possessam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, simul cum terra et pratis quae possedissent sub metis populorum de Poprad, Johanni de Monte Sancti Georgii, filii condam Comitis Gerlani, pro octuaginta Marcis bonorum grossorum plene habitis, et perceptis ab eodem, eadem libertate ac jure, quibus ipsi eandem libertatem *(recte hereditatem)* possedissent, de Consilio et consensu Seniorum Fratrum et consanguineorum suorum, literis in eisdem nominatorum, sub expeditoria cautione vendidissent, sibi et suis haeredibus jure perpetuo pacifice possidendam.

Tertia vero earundem juxta Comitis nec non Judicum et Juratorum duodecim Civitatum Terrae Scepusiensis in Leubitz, Feria quarta ante Festum ad Vincula beati Petri Apostoli, proxime praeteritum, emanata, denotabat: Quod cum Judex et Jurati Cives dicti Oppidi Sancti Georgii, Judicem et Juratos Cives de Villa Poprad, in praesentiam dictorum Comitis et Judicum dictarum duodecim Civitatum citando, contra eosdem proposuissent: Quomodo ipsi Cives de Poprad quandam particulam terrae sexaginta jugerum pro se ipsis usurpassent, ipsos ab omni participatione ejusdem terrae excludendo, in cujus contrarium saepe dicti Judex et Jurati de Poprad respondissent, quod dicta terrae particula, scilicet sexaginta jugerum, ab antiquo in metis ipsorum inclusa fuissent, praetactique Cives dicti Oppidi Sancti Georgii inique in dominio ipsorum sexaginta jugerum terrarum extitissent. Ipsi igitur Comes et Judices dictarum duodecim Civitatum ex literis Civium de praedicta Poprad, praescripta sexaginta jugerum in metis eorundem situata, fore reperienda, eandem terrae particulam ipsis Civibus de Poprad adjudicassent, perpetuis temporibus tenendam et habendam. Quarum quidem literarum exhibitionibus factis, earumque continentiis perlectis, et dictis partibus suo modo expositis, eaedem partes per nos eis in praemissis juris vigorem, justitiaeque complementum postularunt elargiri. Verum licet annotatus condam Dnus Sigismundus Rex in praelibato anno Millesimo quadringentesimo undecimo, ad instantem supplicationem praelibatorum Judicis et Civium Montis Sancti Georgii praetactam possessionem Stojanfölde, a praedicto Monasterio beatae Mariae

Virginis, Abbatibusque et Conventui ejusdem per formam praescriptae concambialis permutationis auferendo, eidem Civitati applicaverit, iisdemque in dominium ejusdem introducti extiterint, in dicto etiam anno Dni Millesimo quadringentesimo duodecimo, in causa inter praefatum Michaelem filium Hank, et filios ejusdem ab una, nec non praetactum Dnum Ladisluum Episcopum ab alia partibus in facto dictae Possessionis Stojanfölde mota, eadem Possessio ipsi Civitati Montis Sancti Georgii praescripta sexaginta jugera terrarum, intra metas ejusdem Possessionis Stojanfölde dictae Civitati Sancti Georgii appropriare voluerint, in praetacto anno Dni Millesimo trecentesimo praelibati olim filii Hildebrandi ab una, ac praetacti Oppidi Poprad ex altera partibus, coram jam dicto Comite Saxonum et Judicibus Terrae Scepusiensis constituti, super praescripta particula terrae, quam iidem filii Hildebrandi et Pater eorum possidessent, per ordinativam compositionem concordasse, et in ipsa concordia iidem populi de Poprad eandem terrae particulam ipsius filii Hildebrandi, sub praemissa annuali solutione dimidiae Marcae argenti, tanquam terram ipsius Oppidi Poprad reliquisse. Et tandem in praenarrato anno Dni Millesimo trecentesimo vigesimo octavo, antelatus Coxemannus, nec non Consors filiique et filiae ejusdem in praesentiam praetactorum Abbatis et Conventus Monasterii beatae Virginis comparentes, haereditatem suam, quam in Villa Stojan possedissent, Curiam videlicet cum terra arabili et foenetis, sub protectione et regimine ejusdem Ecclesiae beatae Virginis usque tunc possessam, cum suis utilitatibus, simul cum praescripta terra, quam possedissent sub metis dictorum populorum de Poprad, praelibato quondam Johanni de Monte Sancti Georgii, filio Gerbani, pro praescriptis octuaginta Marcis denariorum eo jure, et ea libertate, qua ipsi eandem libertatem possedissent, vendidisse; et sic postmodum annotati Comes, et Judices duodecim Civitatum, ipsamque terram sexaginta jugerum non in metis Civitatis Sancti Georgii, sed in metis Villae Poprad situata fore, reperisse, praetactus etiam quondam Dominus Sigismundus Rex non terram in metis Villae Poprad, sed solum Possessionem Stojanfölde, antelatis Judici et Civibus dictae Civitatis Sancti Georgii contulisse, ex praemissis adinveniebantur; et ab hoc praescripta terra sexaginta jugerum, tanquam in metis Villae Poprad situata, et dudum per ipsos sub praedicto censu annuali dimidiae Marcae argenti, praelibatis filiis Hildebrandi arendata, eidem Villae Poprad, et civibus ac Hospitibus ejusdem relinqui, et adjudicari debere, Nobis et Regni Nobilibus, Nobiscum in Judicio existentibus, cernebatur. Pro eo dictorum Regni

Nobilium inducti consilio praematuro, nostri Palatinatus Officio incumbente praescriptique Domini nostri Alberti Regis authoritate, nobis in hac parte attributa mediante, praescriptam particulam terrae sexaginta jugerum antefato Oppido Poprad, et suis incolis in perpetuum adjudicantes, eandem terram sexaginta jugerum eidem Oppido Poprad, et sequenter praetactis Judici, Juratis et ceteris Civibus ejusdem relinquimus et committimus, in sempiternum possidere, tenere, pariter et habere, praemissa nostra judiciaria authoritate mediante, salvo jure alieno. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus eisdem Civibus de Poprad literas nostras privilegiales pendentis et authentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae Quadragesimo die Octavarum Festi Sancti Georgii Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo trigesimo nono.

CXLIX.

Albertus Romanorum ac Hungariae etc Rex ad querelas Civium Montis S. Georgii ordinat, ut Popradienses sua literalia instrumenta, et exposita 60. jugera tangentia, in Curia Regia, unde novam sententiam accepturi sunt, producant. Anno Dni 1439.

Ex autographo in Archivo Montis S. Georgii existente.

NOS Albertus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex, et dux Austriae etc memoriae commendamus per praesentes: quod fidelis noster Johannes Fleyscher, Judex Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis, nostram veniens in praesentiam, Nobis in sua, ac juratorum Civium ejusdem nostrae Civitatis nominibus et in personis exposuit querulose: Quomodo Judex et Jurati, ceterique Cives alterius Civitatis nostrae Pograph *(h. Poprád)* vocatae, ejusdem Terrae nostrae Scepusiensis, in quadam causa, ratione et praetextu quorundam sexaginta jugerum terrarum arabilium, alias in praesentia Comitis terrestris, et Judicum Undecim Civitatum dictae Terrae nostrae Scepusiensis, mota et ventilata, et tandem per eosdem ad instantiam praelibatorum exponentium, qui de Judicio ipsorum Comitis et Judicum contenti non fuissent, juxta Regni nostri consuetudinem in personalem nostrae Majestatis praesentiam

transmissa, ac juxta Commissionem nostrae majestatis per Magnificum Laurentium de Hederwar revisa, et adjudicata contra ipsos exponentes sententiam reportassent diffinitivam, vigore cujus iidem Judex et Jurati, ceterique cives praefatae nostrae Civitatis Popragh se in dominium praefatarum sexaginta jugerum terrarum arabilium introduci, et eadem sibi statui facere niterentur, atque vellent, praetendentes eadem per hoc sibi appropriare, et perpetuare, in eorundem exponentium praejudicium, et dampnum valde magnum: Cum tamen iidem exponentes super facto praelibatarum terrarum arabilium certas haberent literas, et literalia instrumenta pro se confectas, et emanata, quibus mediantibus iidem praelibatas terras arabiles ipsis rite et legitime pertinere debere, possent comprobare. Supplicans Johannes Fleischer pro se et in personis saepe fatorum aliorum exponentium nostrae Majestati humiliter et devote, ut ipsis circa praemissa de remedio providere dignaremur oportuno. Unde Nos, qui ex innata Nobis Regia Clementia cunctorum fidelium Regnicolarum nostrorum incommoditates, et casus nocivos semper dignis solemus remediis restaurare; supplicationibus praefati Johannis Fleischer per eum sua, et aliorum, quo supra, in personis, Nobis modo praemisso propterea porrectis, pie exauditis et clementer admissis, ipsis exponentibus de plenitudine nostrae Regiae potestatis et gratia speciali id duximus annuendi, et concedendi, annuimusque, et concedimus praesentium per vigorem; ut ipsi non obstante praemissa sententia, per praefatos Judicem, Juratos, et ceteros Cives Civitatis nostrae Popragh, ut praedicitur, repotata, aliisque exinde secutis processibus, universas literas, et literalia instrumenta, quas et quae in facto praeassertarum terrarum arabilium, haberet confectas, et emanata, in praefata Curia nostra Regia, nostrae Majestatis personali in praesentia, contra praefatos Judicem, et Juratos, ceterosque Cives dictae Civitatis nostrae Pogragh, in Octavis Festi beati Michaelis Archangeli, nunc venturis, producere et exhibere valeant, atque possint. Quocirca vobis fidelibus nostris, Capitulo Ecclesiae Scepusiensis firmiter praecipientes, mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Simon Magnus, vel Nicolaus Tatar de Bethlenfalva, aut Damianus de Iwanfalva *(h. Jánócz)*, sive Johannes filius Hank, seu Georgius de Aczyl de Fyllendorff, *(h. Filicz)*, sive Johannes de Swabi *(h. Schvabocz)*, aliis absentibus homo noster, praefatos Judicem, Juratos et ceteros Cives memoratae Civitatis nostrae Popragh, praescriptam sententiam in facto praetitularum terrarum arabilium, ut praenarratur, et per eos reportatam, simul cum omnibus et

singulis aliis processibus, ceterisque literis, et literalibus eorum instrumentis, si quas et quae super facto praenarratarum terrarum arabilium pro se habent confectas et emanata, in praescriptis Octavis Festi beati Michaelis Archangeli, contra praetitulatos exponentes similiter literas, et literalia sua instrumenta, factum earumdem terrarum arabilium tangentes, seu concernentia, eo tunc producere debent, exhibituras, nostram personalem evocati in praesentiam, novum Judicium in praemissis recepturi. Insinuando ibidem eisdem, ut si venerint, et praemissam sententiam cum singulis processibus ejusdem, ac literis et literalibus suis instrumentis praenotatis, pro rehabendo novo Iudicio praedicto, produxerint, bene quidem, alioquin non obstante ipsorum absentia, et non venientia id facimus in praemissis, quid juri videbitur expedire. Et post haec hujusmodi evocationis et insinuationis seriem cum nominibus evocatorum, prout expediens fuerit, Octavas ad praedictas Nobis fideliter rescribatis. Praesentibus perlectis, exhibendi restitutis. Datum Budae secundo die Festi Nativitatis beati Johannis Baptistae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo nono. (L. S.)

CL.

Elisabetha Regina Hung. mandat Civitati Késmark, ut 100. pedites stipendiarios ad rationem census conducant et interteneant. Anno Dni 1439.

Ex autographo coram Barkocziana Commissione per ipsos producto.

Commissio Thomae Zeech.[a]

ELISABETHA, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc Regina, Austriae et Styriae Ducissa, nec non Marchionissa Moraviae etc[b] fidelibus nostris providis Judici, Juratis, ceterisque Civibus, et toti Communitati Civitatis nostrae Kismark vocatae, salutem et gratiam: Quia Serenitati nostrae visum est, praesentis temporis qualitate exigente, circa

a) Alias Szécs, ex antiqua Comitum de Zech sive Szécs prosapia, a partibus Elisabethae Reginae fortiter stans post fata Alberti Regis, Consortis ejusdem. V. Nicol. Schmitth Tom. II. Episc. Agrien. pag. 34.

b) Cf Carl Gottlieb von Windisch kurzgefaste Geschichte der Ungarn pag. 241.

custodiam illius Civitatis nostrae, ex quo eadem in Confiniis Regni extat, et aemulorum quorumvis hiatui vicina est, majorem, quam aliis ad praesens diligentiam et operam atque vigiliam debere adhiberi. Fidelitati igitur vestrae firmiter praecipientes, mandamus, quod statim habitis praesentibus, ad rationem illarum pecuniarum, quam Nobis pro censu successive tenebimini, centum pedites stipendiariorum, vulgo Drabant: tales tamen, quorum experta notitia et fidelitas vos assecurat, aquirere, et unicuique eorum certa, de pecuniis praedictis disponentes, stipendia eorum, pro custodia vestra et ejusdem Civitatis aemulorum insultibus viriliter praeservaturi. Scripsimus autem per alias literas nostras universis Nobilibus Comitatus Scepusiensis, ut et ipsi universaliter consurgentes, in eandem Civitatem, si necesse fuerit, intrare, et vos defendere debeant, et tueri. Quos per vos eo casu ad eandem intromitti volumus, et mandamus. Secus facere non ausuri. Datum in Veteri Buda tertio die Festi beati Thomae Apostoli. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo nono.

CLI.

Eadem Regina Késmarkienses, ob servatam sibi fidem, collaudat. Anno Dni 1440.

Ex autographo ibidem producto.

Commissio propria Dominae Reginae.

ELISABETHA, Dei gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Austriae et Stiriae Ducissa, nec non Marchionissa Moraviae: Fidelibus nostris Judici et Juratis Civibus, ac toti Communitati Civitatis nostrae, Kismark vocatae, salutem et gratiam. Grata reputatur erga nos, atque praemiatione digna illa vestra sincera fidelitas, quam hactenus semper constanter immutatam, jam in nos, tanquam verum Coronae haeredem, transtulistis: sequiturque merito ex hoc id, ut beneplacita nostra votis vestris conformemus. En igitur, per hunc fidelem Johannem Toporcz, per vos novissime ad nos transmissum, tale vobis damus responsum, quod quotidianos semper hos habemus tractatus, et intendimus, ac conamur, ut Regnum hoc et ejus incolas, qui plerisque adversitatibus lacessiti sunt, ab

omnium adversitatum et injuriarum attactarum liberando, amoena pari ratione reddamus. Quod propitio Deo faciemus, dubio procul semoto. Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo.

CLII.

Wladislaus, Rex Poloniae, electus Hung. Cives Lublovienses ab extraordinariis podwodis seu praejuncturis libertat. Anno Dni 1440.

Ex authographo ibidem habito.

WLADISLAUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae, electus Regni Hungariae, Litvaniaeque Princeps Supremus, et Haeres Russiae etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quomodo volentes Civitatis nostrae Lubloviensis, in Terra Scepusiensi sitae conditionem facere meliorem, ipsius incolarum paupertati gratiose subvenire, per diversarum personarum varias impressiones in eorum bonis et substantiis destructorum, de certa nostra scientia, maturoque Consilariorum nostrorum Consilio, ipsos ac eorum quemlibet ab omnibus et singulis equitaturis et ducturis, alias Podvodis *(sic)* dictis, tam Curuum, quam equestrium etiam expensis, ad quas de jure non tenentur, Baronibus et Nunciis nostris dari solitis, ac ad nostra mandata Regalia per eosdem ministratis, eximimus, liberamus, et effectualiter absolvimus, tenore praesentium mediante. Hac solum dempta oportunitate, quae personam nostram propriam, aut Regnorum Hungariae aut Poloniae bonum, aut periculum (quod avertat Deus) concernere videretur. Licebit autem eisdem Baronibus, aut Nunciis nostris, apud eosdem Cives et incolas L*i*ublienses *(sic)*, ac eorum quemlibet, equos et currus propriis pecuniis, toties quoties ipsis oportunum fuerit, convenire. Quocirca omnibus et singulis Baronibus, Capitaneis, Militibus, Nunciis, et quibuslibet Officialibus nostris, seriose habere volentes, mandamus, quatenus praedictos Cives et Incolas Civitatis L*i*uobliensis ultra libertatem, in qua eos invenimus, et per Nos, ut praemisimus, eis datam, nullatenus debeatis, aut praesumatis inquietare, turbare, impedire et molestare, ratione gratiae nostrae sub obtentu, aliter facere non ausuri. Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in K*i*smark Feria se-

cunda Sancti Marci. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quadragesimo.[a] Relatio Magistri Petri de Szezekociny, Regni nostri Vice-Cancellarii.

CLIII.

Idem Rex Podolinenses ab eisdem Podwodis, ac insolitis Stationibus libertat. Anno Dni 1440.

Ex authographo ibidem habito.

WLADISLAUS, Dei gratia Rex Poloniae, ac electus Rex Regni Hungariae etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quomodo attendentes gravia et intollerabilia damna, quibus homines nostri de Podolino frequenti datione, et nimia Podvodarum *(sic)*, insolitisque stationibus per Nobiles et terrigenas nostros gravabantur. Nos igitur ipsorum oportunitatem cupientes, ut ipsi Regia benignitate recreati, eo melius Nobis in posterum obsecundare possent, et votis nostris praessantius occurrere, praedictos homines nostros de Podolino ab omni Podwodarum datione eximimus et absolvimus, insolitasque stationes et donaria per Nobiles facta, fieri prohibemus per praesentes. Quorum notitiam vobis Capitaneo, Burgrabio Lubloviensibus, et de Podolin tam modernis, quam postea existentibus, ceterisque Officialibus, praesentibus requirendo, mandamus, et seriose habere volentes, quatenus praedictos homines nostros de Podolino ad dationem dictarum Podwodarum amplius compellere, et facere nulla praesumant ratione, nec etiam insolitas stationes, praeter eas, quae de jure tenentur, exigere permittatis: Hoc tamen excepto, Quod, dum Nos ibi Deo largiente, personaliter adesse contingat, tunc sub coquinam nostram, quantum necesse fuerit, aut alias periculoso tempore, ut bello, aut alia gravi necessitate exposcente, praedictas Podwodas cum stationibus solitis, de jure tenebuntur ministrare. Secus pro gratia nostra, facere non ausuri. Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in Nova Villa[b] ipso die Ascensionis Domini. Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo. Ad Relationem Rssmi Dni in Christo Patris Dni Episcopi Cracoviensis. mp.

a) Maturius igitur, quam quidam scriptores recensent, adfuit in Hungaria.
b) Id est hodierna (1806) Igló.

CLIV.

Hussitae Arcem Scepusiensem cum literalibus instrumentis occupant. Anno Dni 1443.

Ex transumto Agriensis Capituli.

CAPITULUM Ecclesiae Agriensis memoriae commendamus, quod Honorabilis D. Nicolaus de Karatsanicev, *(sic)*, Canonicus Ecclesiae Scepus, in persona honorabilis Capituli dictae Ecclesiae Scepus, nostram personaliter adiens praesentiam, per modum protestationis a nobis significare curavit in hunc modum: Quod, dum in anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, circa Festum Assumptionis Mariae, Reverendus in Christo Pater, Dnus Simon de Rozgon, Episcopus Ecclesiae nostrae [a] una cum aliis Baronibus et Proceribus Regni, pro defensione partium superiorum, exercituantium more, contra aemulos Regni, videlicet Giskram et alios Bohemos complices ipsius, ad Comitatum Scepusiensem et alias partes superiores ascendissent; tunc literalia instrumenta, factum possessionum tangentia, dicti Capituli ac Ecclesiae Sancti Martini de Scepus, nec non universorum Nobilium Regni, in Sacristia in Conservatorio dictae Ecclesiae Sancti Martini reposita, ob cautelam et tutam custodiam, dictus Dnus Episcopus Ecclesiae nostrae ante dictae, ad Castrum Scepus vocatum, apportari fecisset. Quod castrum postmodum, per incautam custodiam Petri de Bask, Castellani ipsius Castri, per dictos Bohemos fuit furtive receptum, quod et nunc iidem Bohemi tenent, et possident, ubi tamen dicta literalia instrumenta ipsius Capituli Scepus, quam Nobilium Regni sunt deperdita, et ab Ecclesia Sancti Martini abalienata. Qua protestatione sic facta, praesentes a Nobis petitas, praenominato Capitulo Scepus duximus concedendas. Datum Feria quinta proxima post Festum beati Michaelis Archangeli. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio.

---

a) Quod Strigoniensem Archi-Episcopatum non sit consecutus, ab Elisabetha Regina descivit. V. R. Nicolai Schmith Tom. II. Episc. Agrien. pag. 50.

CLV.

Plebani XXIV. Regalium Civitatum suas privilegiales literas transumi curant. Anno Dni 1445.

Ex eorundem Protocolo apud Seniorum V. D. Ministrum Igloviensem Andream Jonam Cirbesz existente.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, quae aguntur in tempore vacillant facile, nisi praesidio literarum in statum solidum redigantur: Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod honorabiles viri Dnus Martinus de Leucha *(Lőcse)* et Johannis Knoblici de Suburbio Castri Scepusiensis *(Szepes-Váralja)*, Ecclesiarum Plebani, nostram personaliter venientes in praesentiam, Nobis in eorum ac aliorum Plebanorum universorum Viginti quatuor Civitatum Regalium Terrae Scepusiensis personis exhibuerunt quaedam duo privilegia, unum, quod Eliae Comitis Saxonum et Latinorum de Provincia Scepusiensi, sub appensione Sigilli ipsorum in cordula sericea viridi et rubei coloris, in medio formam aratri cum rotulis, et supra aratrum quandam crucem in se continentis: Secundum vero Serenissimae Principis quondam Dnae Elisabethae, Dei gratia Majoris Reginae Ungariae, Ducissae de Machow et Bozna, sub appensione Sigilli duplicis suae Majestatis in cordula sericea viridi, glarei et rubei coloris emanata et confecta; petentes humili precum cum instantia, quatenus eadem in formam similem similiter privilegii duplicando, per intercisionem Alphabeti redigi facere, parque in nostro Conservatorio conservare, et par eorundem ipsis dare dignaremur ad cautelam: quorum primi tenor talis est:

Elias Comes Saxonum et Latinorum. V. Part. I. Suppl. Anal. Scepus pag. 193.

Secundi vero sequitur in haec verba:

Elisabetha, Dei gratia Major Regina Ungariae etc. V. ibidem. pag. 199.

Nos igitur petitionibus praefatorum Dominorum Plebanorum justis, ut puta, et legitimis inclinati, eadem privilegia salva, integra, non abrasa, non cancellata, nec in aliqua sui parte suspecta, sed omni prorsus suspicione carentia, praesentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento

transcribi, in formam privilegii, per intercisionem Alphabeti duplicando, redigi facientes, eisdem eorundem par duximus concedendum ad cautelam praenotatam. Datum Feria secunda proxima post Festum beatorum Tyburtii et Valeriani Martyrum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto.

CLVI.

Iidem Plebani Sigismundi ac Elisabetae privilegia transumi curant. Anno Dni 1445.

Ex fonte eodem.

CAPITULUM Ecclesiae beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Sagax humanae naturae discretio, labilitate hominum pensata, ne ea, quae in tempore aguntur, oblivionis subjaceant defectui, scripturae ministerium salubriter adinvenit, per quod status et facta omnium in statum solidum rediguntur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod honorabiles viri Dni Martinus de Leucha, et Johannes Knoblici de Suburbio Castri Scepusiensis, Ecclesiarum Parochialium Plebani, coram Nobis personaliter constituti, Nobis in eorum ac ceterorum Plebanorum, de numero Viginti quatuor Civitatum Regalium Terrae Scepusiensis personis, exhibuerunt quoddam privilegium Serenissimi Principis quondam Dni Sigismundi felicissimae reminiscentiae Romanorum Imperatoris ac Ungariae etc Regis, sub appensione dupplicis sui Sigilli novi Imperialis Majestatis, in cordula seriea glauci et nigri coloris, de propria commissione Dni Imperatoris emanatum et confectum tenoris infrascripti, petentes Nos humili precum cum instantia, quatenus ipsum sub Sigilli nostri testimonio, similiter in formam privilegii duplicando, per intercissionem Alphabeti redigi facere, cujus par in Conservatorio nostro conservare, et par ipsis dare dignaremur ad cautelam ; cujus tenor talis est:

Sigismundus, divina faventa clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Ungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex: omnibus Christi fidelibus etc V. Caror. Wagner Part. I. pag. 273. 274. 275. 276.

Nos igitur humillimis et devotis supplicationibus memorati Presbyteri Philippi *(sic)* nominibus et in personis, quorum supra nostrae subjective oblatis Majestati, Regia benignitate exauditis clementer, et admissis praefatas binas literas, unam scilicet antefatae quondam Dominae Elisabethae Reginae privilegialem, et aliam nostram patentem, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, imo merae et sincerae veritatis integritate praepollentes, praesentibus de verbo ad verbum insertas, quoad omnes earum articulos, clausulas et continentias acceptamus, approbamus, et ratificamus; easque nihilominus ob praecipuam devotionem, quas ad Ecclesias Dei et ejus ministros, ex suscepti Regii regiminis officio pio et interno gestamus amore, simul cum sponsione et pollicitatione solutionis et dationis decimarum, ac praeceptis et mandatis nostris praemissis, aliisque omnibus et singulis articulis praedictis, et clausulis, superius in tenoribus praeallegatarum duarum literarum limpidius contentis et declaratis, mera authoritate Regia et potestatis plenitudine pro praetitulatis Plebanis et Rectoribus Ecclesiarum Parochialium Viginti quatuor Civitatum Terrae nostrae Scepusiensis eorumque successoribus universis et Ecclesiis ipsorum praenotatis, innovantes, perpetuo valituras, confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et authentici novi Sigilli nostri, duplicis, quo ut Rex Ungariae utimur, munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Viri Mathiae de Cathalona, Praepositi Quinque-Ecclesiarum, Aulae nostrae Summi Cancellarii, nostri fidelis dilecti. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Octavo Kalend. Augusti, Regnorum nostrorum anno Ungariae quadragesimo octavo, Romanorum vicesimo quarto, Bohemiae quarto decimo. Imperii vero secundo. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Strigoniensi, et Johanne Colocensi et Bachiensi Ecclesiarum canonice unitarum Archiepiscopis. Petro de Rozgon Agriensi. Varadiensi Sede vacante. Georgio Lepes Transsylvano. Zagrabiensi Sede vacante. Henrico Quinque-Ecclesiarum, Simone de Rozgon Vesprimiensi, Clemente Jaurinensi. Vaciensi Sede vacante. Georgio Nitriensi. Chanadiensi Sede vacante. Jacobo Sirmiensi, Josepho Boznensi, Johanne T*hy*niniensi, Vito Corbaviensi, Johanne de Dominis Segniensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei filiciter gubernantibus. Sibinicensi, Nonensi et Pharensi Sedibus vacantibus, nec non honore Palatinatus vacante.[a] Spectabilibus et Magnificis, Hermanno Ciliae et Zago-

a) Cf. Catalogum Regni Hungariae Palatinorum in Corp. Jur. Hung. pag. mihi 219, et 222.

riae Comite, totius Regni Sclavoniae Bano, socero nostro carissimo, Comite Mathia de Palouch, Judice Curiae nostrae, Ladislao de Chak Wajwoda Transsylvano, Johanne et Stephano Weglae Signiae et Modrussae Comitibus Regnorum nostrorum, Dalmatiae et Croatiae praedictorum, Desew ac Ladislao de Gara Machoviensi et Nicolao de Radnicz Cruciferorum Ordinis Rutenorum, Zewriensi Banis, Ladislao filio Wajwodae de Thamasy Janitorum, Laurentio de Heder*v*ara Agazonum, Johanne de Rozgon *(Tavernicorum magistris Stephano et Georgio)* Comitibus Posoniensibus, ceterisque Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

Nos igitur humillimis petitionibus praefatorum Dnorum Plebanorum justis, ut puta, et legitimis favorabiliter inclinati, ipsum privilegium praefati Serenissimi Principis, quondam Dni Sigismundi Imperatoris et Regis, salvum, integrum, non abrasum, non vitiatum, nec in aliqua sui parte suspectum, sed omni prorsus vitio, scrupulo et suspicione carens, praesentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento inseri fecimus et transcribi. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes, sub appensione autentici Sigilli nostri duplicantes, per intercisionem Alphabeti, privilegialiter communiri et emanari facientes, par in Conservatorio nostro reservantes, et par Dominis Plebanis, supra specificatis, universis duximus concedendas, ad cautelam praenotatam. Datum Feria secunda proxima post Festum beatorum Tyburtii et Valeriani Martyrum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto. b)

CLVII.

Georgius de Caesarinis S. Apostolicae Protonotarius, Servatio de Filka, ejusdemque Consorti Magdalenae concedit, idoneum Presbyterum in Confessorem eligere. Anno Dni 1448.

Ex autographo per Joan. Scholtz, Mattheotzensem V. D. Ministrum mecum communicato.

GEORGIUS de Caesarinis, Dei gratia Sedis Apostolicae Proto-Notarius, dilectis in Christo Servatio de Filka *(h. Felka)* et Magdalenae ejus uxori Strigoniensis Dioecesis, salutem in Domino. Ut animabus vestris salubrius

b) Praeinsinuatas privilegiales literas curarunt rursus 1609 in Festo Conceptionis Mariae eodem in Capitulo transumi Clarissimi Dni Pastores Zech et Xylander, et reperitur harum Transumptum in laudato supra protocolo pag. 25.

consulatur, auctoritate Domini Papae, cujus poenitentiariae curam gerimus, devotioni vestrae concedimus, quatenus liceat vobis idoneum Presbyterum in Confessorem eligere, qui super peccatis, quae sibi confitebimini, nisi talia sint, propter quae merito sit Sedes Apostolica consulenda, eadem auctoritate vobis provideat de absolutionis debitae beneficio et poenitentia salutari, hinc ad quinquennium quoties fuerit oportunum. Vota vero peregrinationis et abstinentiae, si quae emisistis, quae commode servare non potestis, ultra Marino beatorum Petri et Pauli atque Jacobi Apostolorum votis dumtaxat exceptis, commutet votis hac vice idem Confessor in alia opera pietatis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Sigillo Officii poenitentiariae, sexto Idus Martii, Pontificatus Domini Eugenii IV. anno quarto decimo.

CLVIII.

Protestatoriae Montis Georgensium, Michaelis ac Matthaeivillensium intuitu silvarum per Nagy-Szalokienses occupatum. Anno Dni 1454.

Ex autographo Georgio — Monti existente.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini in Scepus memoriae commendamus, tenore, praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providi Johannes Groff dictus, Judex de Monte Georgii, et Lucas juratus civis, nec non Johannes, Judex de Villa Michaelis *(h. Sztrázsa)*, nostram personaliter venientes in praesentiam, Nobis in ipsorum, ac juratorum civium et hospitum, nec non Communitatum Oppidorum *Zenth-Jürgenberg, (h. Sanct-Georgenberg, hung. Szepes-Szombat)*, Michelsdorff *(Sztrázsa)*, Matthisdorff *(h. Matheócz)* personis, per modum protestationis et prohibitionis significare curarunt in hunc modum: Quomodo ipsi percepissent, et ad ipsorum notitiam devenisset: quod circumspecti Judex, juratique Cives et tota Communitas Oppidi Nagy-Szalok *(sic)* certas silvas, pascua et aquas, in ipsorum veris justis et debitis metis adjacentes et existentes[a] praeter omnem viam juris occupassent, easdemque occupatas tenerent de praesenti, ac uterentur eisdem et fruerentur, in praejudicium et damnum ipsorum non modicum. Qua protestatione sic facta, ante dicti Johannes Groff, Judex, ac Lucas juratus civis de Monte Georgii, nec non Judex de Villa Michaelis in ipsorum

a) V. Diplomata Annorum 1407. pag. 150. 1412 pag. 190. et 1414 pag. 196.

ac juratorum civium et omnium Communitatum Oppidorum supra scriptorum, nominibus et personis ante dictum Judicem et juratos Cives, hospites, nec non totam Communitatem dicti Oppidi Nagy-Szalok, ab occupatione dictarum silvarum, aquarum, seque intromissionis, fructuum et quarumlibet utilitatum in parte vel in toto, a perceptione percipiquefactione, lignorumque silvae praedictae succisione et abductione, quamprimum ad ipsorum devenisset notitiam, prohibuissent et interdixissent; imo praefati Johannes Groff, de Monte Georgii Judex, et alii supra scripti, antedictos Judicem et Juratos Cives, ac totam Communitatem de dicta Nagy-Szalok, in personis dictorum Judicum, juratorum civium, ac omnium Communitatum Oppidorum praedictorum, quos ipsi personaliter coram Nobis, facie ad faciem reperientes et invenientes, prohibuerunt et interdixerunt, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Feria Secunda proxima post Festum beatorum Bonifacii et sociorum ejus Martyrum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto.

CLIX.

Casimirus, Rex Poloniae Podolinenses a telonio ac aliis consuetis in suo Regno exactionibus libertat. Anno Dni 1455. maj 19.

Ex authographo ibidem habito.

CASIMIRUS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Haeres Russiae, et Dominus Prussiae etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quomodo attendentes magna, fidelia, studiosa et constantia obsequia providorum civium Civitatis nostrae Podolinensis, in terra Scepusiensi sitae, qui et celebris memoriae Serenissimis principibus, Dominis Genitorum et germano Regum, et tandem Nobis usque hactenus fideliter et constanter erga Nos et Regni nostri inimicos semper se exhibuerunt, et adhuc praestantius auro, ipsorum fidelitatis studio exhibere potuerint in futurum; ipsos cives et quemlibet eorum conjunctim et disjunctim certificamus significatione nostra; quod hic et in omnibus ejusdem locis ab omnibus teloniorum solutionibus et a quibuscunque exactionibus liberamus, eximimus et absolvimus tenore praesentium. Quocirca tibi provido Gerzaka Teloniatori Cracoviensi, aliisque teloniatoribus nostris, per et

intra Regnum nostrum ubilibet constitutis praesentibus, et aliis pro tempore existentibus, vigore praesentium requirendo, comittimus et demandamus seorsive; quatenus ab ipsis civibus et incolis de Podolin, de rebus et mercantiis eorum quibuscunque spatiantibus *(sic)* aliquam rationem, teloniorum solutionem aut exactionem recipere non praesumatis, sed ipsos et eorum quemlibet cum hujusmodi rebus et mercantiis ipsorum pacifice et quiete, absque omni impedimento et aresto ire, stare, morari, negotiari permittatis toties, quoties opus fuerit et necessarium, et praesentibus fueritis requisiti. Sub gratia nostra aliter in his non facientes. Datum in Piotrkow Feria secunda ante Festum Pentecostes proxima. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.

CLX.

Ladislaus V. Rex Hung. privilegiales Igloviensium confirmat. Anno Dni 1456.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex. Austriae et Styriae Dux, nec non Marchio Moraviae etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod nostrae Majestatis venientes in praesentiam fideles nostri circumspecti: Vincentius fusor Campanarum et Ladislaus Magnus, jurati cives, nomine Civitatis nostrae Iglow *(h. Igló)*, eorum ac ceterorum universorum civium, hospitum et incolarum, populorum et inhabitatorum, ac totius Communitatis nostrae Iglow nominibus et personis exhibuerunt ac praesentaverunt Nobis quoddam privilegium, quondam Serenissimi Principis, Domini Sigismundi, Romanorum Imperatoris et hujus Regni Hungariae etc Regis, Avi et Praedecessoris nostri carissimi, postremo majori dupplici ac autentico Sigillo suo, quo ut Rex Hungariae, usus est, im pendenti, communitum, super certis libertatibus, et praerogativis inferius in tenore ejusdem privilegii clarius contentis, confectum et emanatum, tenoris infra scripti. Supplicantes Majestatis nostrae in personis, quorum supra, humili precum cum instantia, ut ipsum privilegium, et omnia in eodem contenta, ratum, gratum et accepta habendo, nostris literis similiter privilegialibus, sine diminutione aliquali inscribi et inseri faciendo, pro eisdem civibus, hospitibus, populis et incolis, ac inhabitatoribus antefatae Communitatis nostrae Iglow

praesentibus et futuris universis innovando, perpetuo valituras, confirmare dignaremur; cujus quidem privilegii tenor talis est:

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator etc V. Wagner Part. I. pag. 219.

Nos igitur supplicationibus annotatorum Vincentii, fusoris Campanarum, et Ladislai Magni, juratorum civium antefatae novae Civitatis nostrae Iglow, ut praefertur, eorum ac ceterorum universorum hospitum, incolarum, populorumque ac inhabitatorum totius Communitatis ejusdem Civitatis nominibus et in personis, nostrae modo, quo supra humiliter porrectis Majestati, Regali pietate exauditis et clementer admissis, praetactum privilegium antefati quondam Dni Sigismundi Imperatoris ac Regis, Avi nostri, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte suspectum; imo mera et sincera veritatis integritate pollens, praesentibus literis nostris de verbo ad verbum inscribi faciendo, quoad omnes ipsius continentias, clausulas et articulos acceptamus approbamus et ratificamus: et nihilominus ex abundantiori Regiae nostrae potestatis plenitudine, consideratis fidelitatis et fidelium servitiorum merito eorundem civium, hospitum et inhabitatorum saepefatae Civitatis nostrae Iglow, quibus ipsi, (ut docemur) primum Progenitoribus nostris, Regibus scilicet hujus Regni nostri Hungariae, et ex post proxime praeteritis disturbiorum temporibus[a] etiam nostrae Majestati, pro tenenda Nobis debita et constanti fidelitate, cum magno personarum ipsorum discrimine atque dam⁄no, juxta eorum possibilitatis exigentiam se gratos reddere studuerunt et acceptos; idem privilegium simul cum universis libertatibus, superius in tenoribus ejusdem contentis et expressis, pro eisdem civibus, hospitibus, incolis et populis praenominatae Novae Civitatis nostrae Iglow, praesentibus scilicet et futuris universis innovando, perpetuo valituras confirmamus, salvo jure alieno. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, secreto Sigillo nostro, quo, ut Rex hujus Regni nostri Hungariae utimur, munimine roboratas. Datum Budae Feria quinta proxima ante Festum beati Georgii Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Regnorum autem nostrorum, anno Hungariae etc Sexto decimo, Bohemiae vero tertio.

---

a) Reflexe ad tempora Caroli Roberti, ac dum Hussitae terram Scepus vastarunt.

CLXI.

Idem Rex forum annuale liberum Civitati Varallia concedit. Anno Dni 1456.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Ladislaus, Dei gratia Rex Hungariae etc memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Nos tum ad humilis petitionis instantiam fidelium nostrorum Johannis Literati, dicti Hudak, ac Petri Petrik dicti per ipsos in eorum ac ceterorum civium, hospitum et incolarum Oppidi nostri Suburbii Castri Scepusiensis, alias Varal/ia vocati, nominibus, nostrae propterea porrectae Majestati, tum etiam pro utilitate et commodo praedicti Regni nostri Hungariae et incolarum ejusdem, ad dictum Oppidum nostrum, Varal/ia vocatum, in Comitatu Scepusiensi existens Nundinas liberas seu forum annuale liberum, singulis Festivitatibus Nativitatis beatae Mariae Virginis, aliisque diebus, easdem Festivitates praecedentibus et sequentibus, ad id scilicet necessario aptis et sufficientibus, omni anno sub iisdem libertatum praerogativis, quibus nundinae, seu fora annualia libera liberarum Civitatum nostrarum Regalium celebrantur, perpetuo celebranda duximus, annuendo gratiose et concedendo, imo annuimus et concedimus praesentium per vigorem, absque tamen praejudicio nundinarum, seu fororum annualium liberorum aliorum. Quocirca vos fideles nostros universos et singulos mercatores, institores, aliosque forenses homines atque viatores quoslibet, praesentium notitiam habituros praesentibus affidamus, assecuramus et certificamus, ac securos efficere volumus, quatenus ad praedictas Nundinas, seu forum annuale liberum, per Nos in praedicto Oppido Suburbii Castri Scepusiensis, alias Varal/ia vocato, perpetue, ut praemisimus, celebrari concessas et concessum, cum omnibus mercantiis, rebusque et bonis vestris venalibus salve, tute, secure, libere et sine formidine, personarum et rerum vestrarum veniatis, properetis et accedatis. etc etc (Stylus consuetus) Datum Budae Feria sexta proxima ante Festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc sexto decimo, Bohemiae vero tertio.

CLXII.

Idem Rex Varallienses a tributi solutione in Kolynfalva absolvit. Anno Dni 1456. vidi 30.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Ladislaus, Dei gratia Hung. etc Rex memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Nos tum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimae supplicationis instantiam, pro parte fidelium nostrorum Judicis et juratorum Civium et hospitum, nec non totius Communitatis Oppidi nostri Regalis, Varal/ia vocati, per eos nostrae propterea porrectam Majestati, tum etiam pro restauratione status ipsius Oppidi nostri, in quo his praeteritis dissidiorum (Hussiticorum) temporibus, idem Oppidum ruinam non modicam pati fore perhibetur: eosdem Cives et hospites ac totam Communitatem ipsius Oppidi a solutione cujuslibet tributi, in possessione, K*u*lynfalva *(h. Kolinócz)* vocata nostrae Majestati annuatim exigi consueti, de personis et universis mercantiis, nec non rebus et bonis eorum venalibus, cujuscunque generis et speciei existant, propriis dumtaxat ipsorum fieri debentium, e certa nostrae Majestatis scientia et animo deliberato, perpetue duximus eximendos et supportandos, imo eximimus et supportamus praesentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris Castellanis Castri nostri Scepusiensis, aut eorum Vice-Castellanis, nec non hominibus et familiaribus, tributariisque ipsorum per eos in dicto tributo nunc scilicet constitutis, et in futurum constituendis, praesentes visuris, harum serie firmiter praecipientes, mandamus, quatenus receptis praesentibus a modo in posterum, praefatos Cives, hospitesque et mercatores praedicti Oppidi nostri Varal/ia seu aliquem ex ipsis, in hujusmodi tributo nostro, in annotata possessione Kolynfalva *(sic)* exigi consueto, in personis, mercantiis, rebusque et bonis ipsorum venalibus, ac non solutionem tributi impedire, et quovis modo dam*y*nificare nusquam et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Praesentes, quas secreto Sigillo nostro Majestatis, quo, ut Rex Hungariae utimur, in pendenti communitas, semper post earum lecturam, reddi jubemus praesentanti. Datum Budae Feria sexta proxima ante Festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Regnorum autem nostrorum Anno Hungariae etc sexto decimo, Bohemiae vero tertio.

CLXIII.

Fassionales Olasziensium circa certas terras arabiles denuo factae. Anno Dni 1457.

Ex transumpto V. Capituli Scepus ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providi et circumspecti viri Laurentius Messerschmidt Judex, et Bartholomaeus Rottel, Concivis de Villa Latina alias Ola*zy*, nostram personaliter venientes in praesentiam in sua, et ceterorum universorum juratorum civium, nec non totius Communitatis de eadem Ola*zy* nominibus et personis, exhibuerunt Nobis quasdam literas nostras, in papyro patenter confectas, petentes Nos humili precum cum instantia, quatenus ipsis easdem denuo sub Sigilli nostri testimonio in transumpto dare et concedere ad cautelam dignaremur: Quarum literarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini in Scepus memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providi viri Nicolaus Novak Judex, alter Nicolaus Herecfym juratus, nec non Michael similiter Novak dictus de Alchno *(h. Olcznó)*, in eorum ac totius Communitatis de eadem personis, coram Nobis personaliter constituti, recognoscendo, confessi sunt oraculo vivae vocis in hunc modum: Quod terrae arabiles et prata, in numero sexaginta tria jugera, uno quartali et tredecem Nescones, quae essent locatae et situatae, atque jacent in veris metis Oppidi Villae Latinae, alias Ola*zi* nuncupatae, ad dictosque populos de Alchno praetactae terrae arabiles et prata a circumspectis viris, populis et inhabitatoribus de Eulenbach, *(h. Velbach)* et per modum et titulo emptionis ad manus eorum devenisent, censusque annualis dictarum terrarum arabilium atque pratorum de eisdem proveniens, singulis annis ad manus Judicis de dicta Eule*m*bach pro tunc constituto, deponentes, plene et integre solventes, administrassent, atque dixissent, praetactusque Judex de Eulenbach pro tempore constitutus, annalem censum dictarum terrarum arabilium, pratorumque ulterius de manu sua Judici de Olazi, tunc constituto, ad manus suas similiter plene et integre satisfaciendo, porrexissent; praetactae autem fassioni interfuerunt providi et circumspecti viri Laurentius Messer*smit* Judex, ac Paulus dictus Mote de dicta Ola*zi* supra scripta fassione per privatos nominatos

sic facta supplicarunt, sibi a nobis dari literas nostras testimoniales, quas concessimus eisdem, communi justitia suadente. Datum in die beati Stanislai Martyris ac Pontificis. Anno Dni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo.

Nos vero justis et legitimis petitionibus praedictorum Laurentii Judicis et Bartholomaei Concivis de praedicta Ola*zi*, nobis, ut praemittitur, humiliter porrectis, favorabiliter inclinati, easdem literas nostras, omni prorsus vitio et suspicione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento praesentibus inseri facientes, easdem appensione Sigilli nostri munimine communiri facientes, eisdem duximus dandas et concedendas ad cautelam praenominatam. Datum Feria quinta proxima post Festum Purificationis Virginis Mariae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

CLXIV.

Cives Olaszienses Emericum de Zapolya nec non Emericum de Salank in Altzno statui inhibent. Anno Dni 1461.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providi viri Laurentius Messer*szmit* Judex, et Vincentius Sutor, juratus civis de Villa Latina, alias Ola*zy*, nostram personaliter venientes in praesentiam, in eorum ceterorumque civium ac totius Communitatis inhabitatorum ac hospitum personis de eadem confessi sunt: Quod, prout ipsi percepissent, et ad eorum notitiam pervenisset, Magnificus Dominus Emericus de Zapolya, Supremus Thesaurarius, Serenissimi Domini nostri Regis, possessionem Alchno *(h. Olcznó)* dictam, sibi dare quocunque titulo exquisito ab ipsa Regia Serenitate ad Castrum Rychnow *(h. Richnó)* impetrasset, et quia ipsi inhabitatores praefatae Villae Alchno certas particulas terrarum, in veris metis possessionis Ola*zii*, pro certo annuo censu tenerent et excolerent; ideo ipsi praefati Laurentius Judex, et Vincentius juratus nominibus, quibus supra, sicut alias Nicolaum de Peren, alias de Rudno, et Dominos Joannem Iskra et Joannem Talafus, in statutione possessionis Alchno praedictae pro eis factae, eosdem a portione in eadem sita, dictos

Judicem, Cives, totamque Communitatem de Olazi concernentes, juxta continentiam aliarum literarum nostrarum prohibuissent et interdixissent; ita ipsi et nunc Magnificum Dnum Emericum de Zapolya, nec non Emericum de Salank Capitaneum praefati Castri Rychno, et alios quoslibet a praefata portione ipsorum, eos concernente, in praedicta Alchno, et signanter a terris arabilibus cultis et incultis al . . . Villae Erchardi, intra veras metas et terminos metales ipsorum civium et hospitum de praetacta Villa Latina habitas et consistentes, ipsos omne juris titulo concernentes, ab impetratione, occupatione earundem, seque de eisdem ab intromissione, fructuum, censuum, redituum, ac quarumlibet utilitatum in parte vel in toto perceptione, sibi ipsis appropriatione et statuifactione facta vel fienda, Regiamque Majestatem a donatione quovis colore aut ingenio exquisito valeant, debeant, atque possint, quamprimum ad ipsorum devenisset notitiam prohibuissent et interdixissent, imo praefati Laurentius Judex et Vincentius juratus in ipsorum et aliorum, quibus supra, personis prohibuerunt et interdixerunt coram Nobis, testimonio et vigore praesentium literarum nostrarum mediante. Datum Sabatho proximo post Festum beati Aegidii Abbatis. Anno Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo.

CLXV.

Literae testimoniales intuitu receptae Decimae per Plebanum Olasziensem Ambrosium ex Praedio Belertfalva nominato. Anno Dni 1463.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod nobili viro Gregorio Marcus, Castellano et Vice-Comite Scepusiensi ab una, ac honorabili Domino Ambrosio Plebano Ecclesiae Parochialis beati Joannis Baptistae de Villa Latina, alias Olazi, parte ab altera, coram Nobis personaliter constitutis, per eundem Georgium Castellanum oraculo vivae vocis fuit propositum, simul et relatum, ac sponte et libere confessum in hunc modum: Quod, quamvis a duobus annis proxime praeteritis certas capetias decimarum in terra Praedii, Belerthfalva *(recte Gelértfalva, h. Dobravola.)* nominati, intra metas Oppidi Villae Latinae suprascriptae habita,

*

contra animae suae salutem, uti nunc percepisset, recipi fecisset, considerans et aestimans, quod ipsae decimae plus Ecclesiae de Zeek *(h. Szlatvina)*, quam ad Ecclesiam parochialem de Olazi deberent pertinere; tamen multis suggestionibus et inductionibus proborum virorum, signanter praescripti Domini Ambrosii Plebani, qui jura suae Ecclesiae defensare tenebatur, memoratus Georgius Castellanus levatis et receptis secum nonnullis probis et nobilibus viris, signanter Nicolao Gobel de Gobelfalva *(h. Buglócz)* Georgio de Petrocz, de Brum *(Birbrun-Szlatvin?)*, Joanne Gobel de eadem, ceterisque nobilibus et cometaneis, ad facies memorati praedii Belerthfalva accepissent, et metas ac cursus metales ejusdem conspicientes: Ubi idem Georgius Castellanus Nobiles, praememoratos Vicinos requisivisset, quid ipsis de praemissis terris arabilibus et decimis constaret, ut de eo ipsum certum efficerent atque informarent: qui quidem nobiles et vicini dixissent et asseruissent, quod ipsae decimae de terris praelaudatis Praedii Belerthfalva intra metas Oppidi Olazii existentes, semper ad Ecclesiam Sancti Joannis, et consequenter ad Olazi receptae fuissent, nec virorum aliquis Castellanorum, de ipso Castro Scepusiensi, neque aliquis alius huic receptioni contrariasset. Et hoc ipse Georgius Castellanus supra scriptus nolens de cetero saluti animae suae contraire, omnes fruges et blada de ipsis praemissis terris arabilibus receptas, dicto Dno Ambrosio Plebano in specie restituisset, et restitui fecisset, et de cetero eundem Dominum Ambrosium Plebanum et suos successores universos, in receptione dictarum decimarum praedii Belerthfalva, impedire per se aut suos familiares assumpsisset, et assumpsit coram Nobis. Super quibus praetactis Dominus Ambrosius Plebanus a Nobis sibi petiit dare literas nostras testimoniales, quas eidem duximus dandas et concedendas, communi justitia requirente. Datum Sabbatho proximo post Festum beatae Luciae Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio.[a)]

---

a) Hoc ipsum privilegium Joannes Plebauus de Olaszi in Capitulo Scepus. die Dominica proxima infra Octavas Ascensionis Domini, Anno 1497 transcribi curavit.

CLXV.

Mathias, Hungariae Rex privilegiales Késmarkiensium rati habet. Anno Dni 1464.

Ex autographo per ipsos coram Barkocziana Commissione producto.

MATHIAS, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniae, et Bulgariae Rex: omnibus Christi fidelibus tam praesentibus. quam futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Regiam Excellentiam decet, fidelium suorum preces exaudire favorabiliter, et eorum fidelitatibus recensitis, justis ipsorum petitionibus facilem consensum praebere, in his praecipue, quae videntur subditorum suorum commodis utiliter convenire. Ad universorum igitur notitiam harum serie volumus pervenire, quod fideles nostri Johannes Bek Judex, nec non Georgius literatus, et Benedictus Klugril jurati cives Civitatis nostrae K*i*smark, in eorum (et) cunctorum civium Communitatis dictae Civitatis nostrae K*i*smark personis exhibuerint nobis et praesentaverint quasdam literas privilegiales Serenissimi Principis Domini Sigismundi, Regis Hungariae, Praedecessoris nostri, Sigillo suo novo duplici quo ut Rex Hungariae utebatur, in pendenti communitas, quibus mediantibus idem Dnus Sigismundus Rex certas literas et praerogativas, in tenoribus eorundem literarum, ipsius Dni Sigismundi Regis conscriptas, Judici, Civibus, nec non hospitibus et incolis dictae Civitatis K*i*smark eorumque haeredibus in perpetuum duraturas, annuisse et concesisse dignoscebatur tenoris infrascripti. Supplicantes Majestati nostrae idem Johannes Judex, nec non Georgius et Benedictus jurati cives in ipsorum ac aliorum civium praescriptae Civitatis nostrae K*i*smark nominibus humiliter et devote, ut praescriptas literas ipsius Domini Sigismundi Regis ratas, gratas et acceptas habere, literisque nostris privilegialibus verbotenus inscribi facere, approbare, easque et singula in eis contenta ipsis et haeredibus atque successoribus eorum universis perpetuo valituras, confirmare dignaremur: Quarum literarum tenor talis est:

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator etc. V. Diplom. CXL. 1435. pag. 243.

Nos igitur humillimis et devotis supplicationibus antelatorum Joannis Judicis, nec non Georgii et Benedicti Civium, per eos Majestati nostrae modo, quo supra, porrectis, Regia benignitate exauditis et clementer

admissis, praedictas literas ipsius quondam Dni Sigismundi Regis non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus suspicionis vitio carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali praesentibus literis nostris insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, acceptamus, approbamus, ac ratificamus, ac eas et in eis omnia contenta pro memoratis Judice, ac juratis civibus, et Communitate ipsius Civitatis nostrae Késmark, eorumque haeredibus et successoribus universis, ex certa scientia nostra et de consilio Praelatorum ac Baronum nostrorum innovantes, perpetuo valituras, confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici Sigilli nostri duplicis, quo, ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas, eisdem duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Stephani Ecclesiarum Colocensis et Bachiensis Archiepiscopi, Aulae nostrae Summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Millesimo Quadringentesimo sexagesimo quarto. Kalend, Maji XVIII. Regni nostri anno primo Coronationis.[a]

CLXVI.

Emericus de Zapolya Civitati Késmark 100. flor. auri relegat. Anno Dni 1464.

Ex autographo coram dicta Commissone producto.

NOS Emericus de Zapolya Regnorum Bosnae Gubernator, ac Dalmatiae Croatiae et totius Slavoniae Banus etc. significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quod Nos considerantes paupertatem et inopiam civium et hospitum nostrorum in Civitate nostra Késmark *(sic)* commorantium, et etiam cupientes restaurationem et reformationem dictae Civitatis nostrae Késmark, quarum intuitu nos de taxis et datiis ipsorum

a) Eadem die 29 Martini Albae-Regali peracta fuit, postquam Fridericus Imperator Coronam Hungariae erga numeratos sibi quadraginta mille aureos extradedisset. In Corp. Juris Hung. Tom I. pag. 215. Sumatione memorabilium § 3. habetur, redemptam esse sexaginta Millibus florenis, quin aurei fuisse dicantur.

nobis annuatim solvere debentium, infra quatuor annorum integrorum, a dato praesentium incipiendo, singulis annis singulos centum florenos auri, usque ad exspirationem dictorum quatuor annorum remisimus et relaxavimus, imo remittimus et relaxamus per praesentes. Quocirca vobis Directoribus et Exactoribus dictarum taxarum sic collectarum et censuum nostrorum in praetacta Civitate nostra Késmark constitutis, eadem firmiter committimus, quatenus infra spatium praeattactorum annorum, quoad Centum florenos coarctare et compellere non debeatis. Secus non facturi. Praesentes post lecturam reddatis praesentanti. Datum in dicta Civitate nostra Késmark Feria quarta proxima post Festum Visitationis beatae Mariae Virginis. Anno Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto. a)

CLXVII.

Petrus Plebanus de Késmark intuitu Molendini ac Capellani init cum Communitate concordiam Anno Dni 1465.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Thomas Lector Ecclesiae beati Martini in Scepus, Venerabilis Magistri Caspar Back, ejusdem praepositi et Praelati in Spiritualibus Vicarius Generalis, recognoscimus per praesentes omnibus et singulis praesentes literas inspecturis, et quibus expedit universis: Quod Honorabili Dno Petro Plebano de Késmark ab una, nec non providis et circumspectis Joanne Bek, Judice, ac Georgio literato, juratis Martino Neklini, Valentino Jehan, Martino Hirschberger, nec non Nicolao Notario, dictis concivibus praefatae Civitatis Késmark, in eorum et cunctorum civium ac totius Communitatis nominibus et personis de eadem, partibus ab altera, coram Nobis personaliter constitutis, per easdem, partes vivae vocis oraculo propositum fuit, pariter et datum: Quod illi certis ex rationabilibus causis, animos ipsorum ad id non immerito moventibus, maxime ex eo, quod, ne temporibus ipsorum, cultus Dominicus in Ecclesia ipsorum Parochiali diminueretur, juxta continentias Ecclesiae et tenoris literarum Honorabilis Capituli praefatae Ecclesiae Sancti Martini exponentes testamentum seu ultimam volun-

a) Secundum Diploma, qnod R. P. Nicol, Schmith Tom. II, Episc. Agrien. pag. 78. producit, certum est Emericum Zapolya ibidem Gubernatorem adhuc quarto decimo Kalend. Martii, Anno 1465. egisse.

tatem quondam Egregii Gottschalci et amicorum suorum de antedicta Késmark, piae memoriae, ad talem devenissent, imo devenerunt coram Nobis concordiam et unionem, quod Molendinum quoddam situatum est prope dictam Civitatem Késmark, in fluvio Poprad inter ipsam Civitatem et Molendinum superius, in eodem fluvio situatum, cujus medietas per praedictum quondam Gottschalcum, Plebano ipsius Ecclesiae Parochialis jam dictae Késmark, cum omnibus suis proventibus et pertinentiis pro tempore constituto, sub certis conditionibus et ordinationibus legasset, prout in ipsa litera praefati honorabilis Capituli plenius videtur et continetur. Et quia fatus Dnus Petrus Plebanus allegando suam paupertatem, dicendo: quod tribus vicibus ipsum Molendinum propriis sumptibus et expensis, post extructionem et combustionem rectificasset; sed quia nunc ipsum Molendinum iterum per aemulos esset omnino combustum, non valeret, neque sufficeret, imo non haberet suis sumptibus et expensis ipsum Molendinum rectificare. Qua de re praetacti Judex et Civitatenses assumpserunt coram Nobis nomine eorum et omnium aliorum praescriptorum, juxta vim et formam testamenti praescripti, quod ipsi de bonis communibus Civitatis praedictae praefatum Molendinum rectificare et restaurare velint. Quo molendino rectificato, praefatus Dnus Petrus Plebanus assumpsit, velle iterum assumere, unum Capellanum ad unum annum, et ipsi praetacti Civitatenses assumpserunt, et tenebuntur sibi dare pro conservatione ejusdem Capellani tertiam partem omnium proventuum ejusdem molendini, et cum hoc sex jugera terrarum arabilium, quae alias ad ipsum Molendinum ab antiquo pertinuerunt. Item praefati Civitatenses assumpserunt et tenebuntur providere et servare equos et familiares pro ipso molendino totaliter et tali modo: Quod ipse Plebanus praetactus, vel sui successores nihil habeat disponere cum ipso molendino, nisi percipere tertiam partem proventuum ipsius cum sex jugeribus praescriptis pro Capellano conservando; ipsi vero Civitatenses secundam tertiam partem proventuum ipsius Molendini recipere debent et habebunt, quousque omnia ipsorum exposita pro rectificatione tacti Molendini, plene et integre percipient, tertiam vero partem proventuum Molendini recipere habebit molitor pro tempore constitutus. Hoc etiam adjecto: quod, postquam praetactus Dnus Plebanus, per unum annum Capellanum servaverit, et si sentiet gravatum taliter, quod ista tertia parte Molendini et praetactis sex jugeribus Capellanum servare non potuerit, extunc praetacti Civitatenses ad secundum annum tenebuntur, et assumpserunt, eundem

conservare tamdiu, quousque omnia exposita eorum, pro aedificatione praefati Molendini, plene et integre recipient et rehabebunt. Rehabitis vero omnibus expositis, pro ratificatione Molendini, assumpserunt praetacti Civitatenses pro eis et successoribus eorum tactum Molendinum ante dicto Dno Petro Plebano, vel suo successori libere et sine omni lite seu contradictione, cum omnibus proventibus, emolumentis, ad usum suum et Capellano servando remittere,[a] taliter tamen, quod praefatus Dnus Plebanus, et sui successores singulis annis, de quo Judicem innovant, accedere teneatur personaliter ipsos, Judicem et juratos Cives et petere eosdem, ut census ipsius Molendini et terrarum arabilium, de quibus teneretur dare annuum censum sibi pro meliori conservatione Capellanorum suorum remittere velint[b] et dignarentur, prout hucusque sibi et certis praedecesoribus fecissent: Civitatenses se ipsos reddere velle benevolos. Ad quae omnia praemissa fideliter conservanda se ambae partes coram Nobis sponte et voluntarie obligarunt, harum literarum nostrarum vigore et testimonio mediante. Datum Festo beatorum Perpetuae et Filicitatis Virginum.[c] Anno Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto.

CLXVIII.

Emericus de Zapolya Petro Plebano Késmarkiensi Octo flor. auri a mola et agris obvenientes, erga celebranda duo sacra, remittit. Anno Dni 1465.

Ex autographo in Késmárk habito.

NOS Emericus de Zapolya, Comes perpetuus Scepusiensis, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod licet Honorabilis et Discretus Dnus Petrus Plebanus Parochialis Ecclesiae Civitatis nostrae Késmárk, ejusque successores Plebani pro quodam Molendino et quibusdam jugeribus sive terris arabilibus, in tenutis dictae nostrae Civitatis Késmark omnino sitis et adjacentibus, et ad Eccle-

a) Cur unum Capellanum Késmarkiensis Civitas solvat in hoc Diplomate redditur ratio.
b) In fundationalibus Emerico Zapolianis sequentibus de obligatione hac nulla fit mentio.
c) Incidit in 6. Martii, qua et hodie coluntur.

siam Parochialem, nomine sanctae Crucis fundatam, de jure ab antiquo spectantibus et annexis, octo florenos auri, in medium census ordinarii praefatae Civitati nostrae annuatim de lege et consuetudine antiqua solvere habuerint et obligati extiterint; tamen nos tam ad devotionem specialem, quam erga sanctam Crucem, in cujus nomine Ecclesia Parochialis dictae nostrae Civitatis, ut dicitur fundata est, quam ad supplicationis instantiam praenotati Dni Plebani Petri propterea Nobis per eum oblatam, hujusmodi octo florenos dictae Ecclesiae Parochialis, et consequenter annotato Domino Petro Plebano, ejusque successoribus universis perpetuo remittimus et relaxamus; praefatumque Molendinum et dicta jugera a solutione census praescripti perpetuo libertavimus; imo remittimus, relaxamus et libertamus praesentium per vigorem: praescriptos quoque octo florenos auri per circumspectos Judices et juratos cives dictae nostrae Civitatis de censu eorum ordinario defalcari, et in nostram rationem a modo in posterum computari volumus, sub ea videlicet conditione, quod dictus Dnus Petrus Plebanus, ejusdemque successores Plebani universi, pro nostra nostrorumque successorum sive haeredum animabus seu salute, singulis septimanis duas Missas diebus infra scriptis, unam videlicet pro peccatis singulis Feriis tertiis, aliam vero de beata Virgine singulis Sabbathi diebus legere debeat et teneatur, perpetuis semper sucessivis temporibus, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quocirca vobis Judici et juratis Civibus Civitatis nostrae praedictae, praesentibus videlicet et futuris harum serie firmiter mandamus, quatenus a modo in posterum praefatum Dnum Petrum Plebanum ejusque successores ad solutionem, census alicujus, praetextu dictorum Molendini et terrarum arabilium, nullatenus coarctare, neque dictos octo florenos auri deinceps ab eo vel suis sucessoribus petere vel exigere, sed juxta formam nostrae relaxationis praescriptae, in nostram rationem defalcare et computare debeatis et teneamini; et secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in praedicta Civitate nostra Késmark Sabbatho proximo ante Festum beati Michaelis Archangeli. Anno Dni Millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto.

CLXIX.

Instrumentum Procuratoriale Romanum in causa honestae Dnae Sophiae, unaque attestatoriale pro denominato Procuratore. Anno Dni 1475.

Ex autographo Belae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendamus tenore praesentium significamus, quibus expedit universis: Quod Ladislaus filius Pauli, et Thomas filius Michaelis de Farkasfalva, ad nostram personaliter accedentes praesentiam, exhibuerunt Nobis literas nostras privilegiales, petentes Nos humili cum instantia, ut easdem propter diversa viarum discrimina sub Sigillo nostro ad cautelam rescribere dignaremur: Quarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc. V. Diplom. 1385.*)

Ex parte vero alia ejusdem pergameni tenor verborum talis est: In nomine Domini, Amen. Anno Dni Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Pontificatus Smi *(sic)* in Christo Patris, et Domini nostri, Dni Sixti, divina providentia Papae quarti, Indictione octava mensis Martii die vigesimo secundo. In praesentia mei notarii et testium infrascriptorum, ad haec specialiter vocatorum, et rogatorum, discreta et honesta Dna Sophia, filia quondam Pauli Pober de Leutsch, nunc uxor Magistri Gregorii Grainisch de Brauensperg, sutoris, habitatoris almae Urbis in Regione Pinee, sponte ex vita ejus pia et non per errorem, et cum consensu, praesentia et voluntate ac mandato dicti Magistri Gregorii, ejus viri praesentis, et infrascriptis omnibus et singulis consentientis, constituit, creavit et solemniter ordinavit, ipsius Dnae Sophiae rerum legitimum et indubitatum procuratorem, actorem, factorem, et certum ministrum singularem et generalem; ita tamen, quod singularitas generalitati, neque singularitati generalitas non derogent, videlicet providum virum, Magistrum Andream Fabrum de Castro Belen absentem, tanquam praesentem, ad omnes et singulas ipsius constituentis causas tam motas, quam movendas, tam active quam passive, civiliter aut criminaliter coram quocumque Judice, Gubernatore, Executore, Auditore, Vicario delegato, subdelegato, ad petendum ac exigendum, et recipiendum quascumque pecuniarum summas, res et qualitates pecuniarum, sibi Dnae Sophiae debitas . . . Successionis quondam Nicolai Molendnerii in rivo nigro

*) Diploma memoratum in ordine diplomatum per auctorem allegatorum ad a. 1385. non occurit.

ejusdem Dnae Sophiae condam viri, et sucessive . . . Successionis Thomae Praxedis, Petri, Pauli, et Leonardi ejus, et dicti condam Nicolai sui viri communium filiorum, ac etiam quaecunque iura, nomina et actiones reales et personales, utiles et directas, tacitas et expressas . . . pignoratitias seu mixtas, Civiles et Praetorias et in rem scriptas, officium Judicis et beneficium juris, quae, quas et quod ipsa Dna Sophia habet, et sibi competunt habere, et sibi competere quomodolibet possent nunc, vel in futurum, in et suis bonis et rebus dicti condam Nicolai ejus viri et successive dictorum ejus filiorum, vigore successionis praedictae, et alias qualiacunque et qualitercumqe sibi competentia et reperitura. Nec non de recipiendis in omni meliori forma et pleniori quietandum et refutandum, instrumentumque vel instrumenta prout opus fuerit . . . et quietationes et suum Consilium, Sapientis illius et illorum, cujus vel quorum interest, intererit, et interesse poterit in futurum; ac etiam ad protestandum, vel protestationes quascumque in Judicio . . . exprimendum, excipiendum, replicandum, duplicandum, triplicandum, litem contestandum, contestarique videndum, de calumnia instandum . . . quotlibetque juramentum licitum et honestum, in animam ipsius Dnae Sophiae constituentis praestandum, testes inducendum, producendum, jurarique et examinari . . . et dilationes semel et pluries dare et praefigi faciendum, articulos positionis seu Capitula dandum, et super articulis ex adverso dandis, singulariter super singulis respondendum cum juramento vel sine, confitendo vel negando, citationes, monitiones, mandata seu sequestra, quascunque et quaecunque . . . in causa vel causis concludendum, Feriam seu Ferias dari et ferri petendo, ab eaque vel eis, prout opus fuerit, reclamandum, appellandum, et de nullitate et iniquitate dicendum, appellationis, nullitatis, et iniquitatis causas prosequendum, a principio, medio usque ad finem; crimina et defectus, quantum opus fuerit, opponendum, Judicem sive Judices, ac Notarium seu Notarios suspectum seu suspectos allegandum, et confidatos eligendum, omniaque et singula alia faciendum et exercendum . . . ea, quae ipsamet constituens facere et exercere posset, si personaliter interesset, prout eidem Procuratori constituto melius visum fuerit et placebit, cum generali administratione et mandato ad praemissa speciali . . . talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale. Promisitque dicta Dna Sophia, constituens praefatum ejus Procuratorem constitutum relevare, ab omni onere satisdationis de Judicio . . . Judicatum solvendo cum omnibus et singulis . . . solitis et de jure requisitis. Insuper promisit habere ratum, gratum et firmum omne id totum, et quidquid per dictum ejus Procuratorem actum,

factum, gestum et procuratum fuerit . . . ea et perpetuo contra ea non facere dicere vel venire aliqua ratione, modo, jure, titulo, sive ea sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum ipsius Dnae Sophiae bonorum, me Notario, ut publica persona praesente, recipiente et legitime stipulante, pro omnibus et singulis, quorum . . . interest, intererit et interesse poterit in futurum, voluitque dicta Dna Sophia, pro praemissorum observatione posse cogi, compelli, constringi et conveniri omni tempore et in omni Judicio Ecclesiastico vel Seculari, et coram quocunque Judice, Rectore, Gubernatore, Vicario, Delegato vel Subdelegato, diebus etiam feriatis et non feriatis, quibus Feriis et feriatis diebus et beneficio fori essent, expresse renuntiavit, et generaliter omnibus et singulis exceptionibus et defensionibus juris et facti, quibus contra praedictum, vel aliquod eorundem factum dicere vel venire posset, aut se quomodolibet tueri et ad majorem praemissorum omnium cautelam . . . Dei Evangelia corporaliter manu tactis . . . Scripturis manibus mei Notarii supra scripti praedicta omnia et singula semper et perpetuo attendere et inviolabiliter observare, et contra nullatenus facere, dicere, vel venire aliqua ratione, modo, jure, titulo, sive etiam sub hypotheca et obligatione praedictis, et vinculo . . . seu publicum conficere instrumentum vel instrumenta. Datum Romae in Regione Campiulli in . . . domus . . . Venerabilibus Viris Presbytero Jacobo Francel, et Presbyteris Michaele Petri de Bra*n*ensperg ad praesentiam vocatis . . . specialiter et rogatis . . . Et ego Joannes Michaelis Magna . . . Straubingensis nomine de Urb. de R—ione Campiulli praedicti, quod praemissis, omnibus, dum sic, ut praemittitur, agerentur et fierent, unanimiter praenominatis testibus, ut publicus, Dei gratia, Notarius, de eis rogatus, interfui, eaque sic fieri vidi et audivi; ideo in notam mei sumpsi, praesentesque publicum instrumentum manu propria fideliter exinde confeci, in eorumque fidem perpetuamque rei memoriam et roboris firmitatem signum meum apposui consuetum. Evangelista de Lenis, Mactutius de Lentulis et Blasius de Vellonibus Conservatores Camerae Almae Urbis et singulis, prasentes inspecturis, salutem. Omnes gentes, omnesque populi id aeque, a natura datum, custodiunt atque observant, ut tam apud exteros quam apud se, quantum fieri potest, veritas in omnibus elucescat, absolvaturque maxime. Ea enim ex humanis sublata, nihil est, quod firmum, stabileque esse possit. Cum itaque Joannes Michaelis Magna . . . Straubingensis, ex nunc habitator Urbis, scripserit rogatus, et publicaverit praesens instrumentum procuratoriale, anno Pontificatus, mense et die praedictis, quod forte deferetur ad partes

in quibus de Notariatu ipsius Joannis suprascripti notitia non habetur. Nos ad tollendam suspicionis maculam testamur et fidem facimus, quod tempore in praesenti Instrumento contento, ac antea et nunc fuit et est publicus, Dei gratia et auctoritate Imperiali Notarius et pro publico, dicta auctoritate, Notario habetur ab omnibus eum cognoscentibus . . . In quorum testimonium praesentes fieri fecimus per infrascriptum Angelum de Vallatis, nostrum Secretarium, et Sigilli nostri jussimus munimine roborari. Datum Romae in Palatio nostro sub anno a Nativitate Domini Jesu Christi Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Dni Sixti, Divina providentia Papae Quarti, Indictione octava Mensis Maji die tertio decimo. (L. Sigilli Senatus Publici Romani Chartae subimpressi) Angelus de Vallatis.

CLXX.

Mathias, Hungariae Rex confirmat Iglovensium Privilegia. Anno Dni 1475.

Ex authographo ibidem habito.

MATHIAS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Rex, omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nostrae Majestatis veniens in conspectum fidelis noster Circumspectus Nicolaus Sranko, Civis novae Civitatis nostrae Iglow *(h. Igló, germ. Neudorf, slav. Novaves)* in sua ac Judicis, Juratorum, ceterorumque universorum Civium, hospitum, incolarum, populorum et inhabitatorum ac totius Communitatis ejusdem Civitatis nostrae Iglow nominibus et personis exhibuerunt, et praesentaverunt Nobis quoddam privilegium Serenissimi Principis, quondam Dni Ladislai Regis Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc immediati Praedecessoris nostri, Sigillo suo secreto, quo, ut Rex Hungariae utebatur, impendenti communitum: quo mediante idem Dnus Ladislaus Rex quasdam literas Excellentissimi Principis, quondam Dni Sigismundi Romanorum Imperatoris ac Hungariae etc Regis, super diversis libertatibus et praerogativis inferius in tenoribus eadem Civibus et Communitati aprobasse et confirmasse, dignos-

citur, tenoris infra scripti: supplicans Majestati nostrae in personis, quorum supra, humiliter, ut ipsum privilegium, et omnia in eodem contenta, rata, ratas et accepta habendo, literisque nostris similiter privilegialibus de verbo ad verbum, sini diminutione et augmento aliquali, inscribi et inseri faciendo, pro eisdem Civibus, populis et inhabitatoribus, totaque Communitate antefatae novae Civitatis nostrae Iglow, ipsorumque successoribus universis innovando, perpetuo valituras, confirmare dignaremur: cujus quidem privilegii tenor talis est:

Nos Ladislaus . . . Hungariae etc Rex V. Diplom. CLX. 1456. pag. 277.

Nos igitur supplicationibus humillimis annotati Nicolai Sranko, civis praescriptae Novae Civitatis nostrae Iglow, per ipsum in sua et memoratorum Judicis, Juratorum, ceterorumque universorum civium, hospitum, incolarum, populorum et inhabitatorum ac totius Communitatis nostrae Iglow personis modo, quo supra, Nobis porrectis, Regia benignitate exauditis, et clementer admissis, praescriptum privilegium dicti quondam Dni Ladislai Regis non abrasum, non cancellatum, non in aliqua sui parte suspectum, praesentibusque literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertum, quo ad omnes ejusdem continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus idem rite et legitime existit emanatum, viribusque ejusdem veritas suffragatur acceptamus, approbamus et ratificamus, ipsumque et omnia in eodem contenta, non obstante Decreto, in Alba Regali tempore Coronationis nostrae edito, in quo declaratur, quod omnes literae Serenissimi Principis, quondam Dni Ladislai Regis immediati Praedecessoris nostri, atque nostrae ante Coronationem datae, infra lapsum unius integri anni confirmari debuissent, alioquin viribus cariturae relinquerentur[a] ex certa nostra scientia animoque deliberato, annotatis civibus, populisque et inhabitatoribus, totique Communitati antefatae novae Civitatis nostrae Iglow, ipsorumque successoribus universis innovando, perpetuo valituras, confirmamus, supplendo omnem defectum, si quis propter lapsum dicti unius anni contra hoc privilegium unquam objici posset. Quin imo volumus et authoritate Regia decernimus, ut praesens privilegium in suo vigore permaneat et perduret perinde, ac si ante lapsum dicti unius anni ad confirmationem portatum fuisset, praesentis scripti patrocinio mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis et authentici

a) V. Matthiae I. Regis Decret II. an 1471. art. 23.

Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, Dni Gabrielis, Ecclesiarum Colocensis et Bachiensis Canonice unitarum Archiepiscopi,[b] Aulae nostrae Summi Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Dni Millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Quinto Kalend. Junii. Regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc Decimo octavo, Bohemiae vero septimo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Joanne Strigoniensi[c] et praefato Gabriele Colocensi Archiepiscopis, Summis Cancellariis nostris, Fratre Gabriele Transsylvaniensi, Varadiense Sede vacante, Oswaldo Zagrabiensi, Sigismundo Electo Quinque-Ecclesiensi, Alberto Wesprimiensi, Demetrio Chupor Jaurinensi, Nicolao de Bathor Vaciensi, Thoma Nitriensi, Joanne Chanadiensi, Benedicto Bosnensi, Sigismundo de Paloch, electo et confirmato Tinniniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnificis Michaele Orszag de Guth, praedicti Regni nostri Hungariae Palatino, Blasio Matshyar Wajwoda Transsylvano et Comite Siculorum, Comite Stephano de Bathor, Judice Curiae nostrae, Mathia de Maroth Machoviensi, Joanne Krusth, Regni Sclavoniae Banis, Stephano de Peren, Tavernicorum, Georgio de Thurocz Pincernarum, Thoma Farkass Dapiferorum, Emerico de Paloch Agazonum nostrorum Magistris, Nicolao filio Bani de Also-Lindna, Comite Posoniensi aliisque compluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

---

b) Fuit Gabriel Veronensis, sive Rangonius, tum Brixiensis etiam dictus, ex Ordine S. Francisci, qni cum celebri Joanne Capistrano in Germaniam et Hungariam venit, Regno inter cetera ideo quoque utilis fuit, quod Cruce signatos contra Turcas circa annum 1425. suis adhortationibus animaverit. Eum Pius II. Pontifex Max. circa annum 1460. Inquisitorem haereticae pravitatis renunciavit. Moraviam et Bohemiam sacro suo labore adeo feliciter percurrit, ut plurimos Nobiles, Hussitica pravitate infectos, ad gremium Matris Ecclesiae reduxerit. Paulus II. Pontifex ipsum in Hungariam, in quam labes Hussitica quoque invecta est, pro fidei negotio misit. Et quum Mathias Rex, aequus virtutum et eruditionis arbiter, eximias in eo dotes reperisset, creavit Episcopum. — V. Vading. pag. 831. Fuerit is primo Albensis Episcopus iam anno 1474, et una Regni Cancellarius; ex qua Cathedra, teste hocce Diplomate, non ad Agriensem, ut. R. P. Gabriel Hevenyessi in suo M. S. habet, verum ad Colocensem Archiepiscopalem Sedem primo, ac deinde Joanne IV. Agriensi Eppo ad Strigoniensem promoto, illorsum seu Agriam, Romana dispensatione interveniente, translatus habebatur.

c) Dictus Joannes IV. cognomento Teuto sive Alemannus, gente Silesius, Patria Wratislaviensis, anno 1476. Idibus Febr. corrosa suppelectili ae multo auri pondere onustus, ad Caesarem Fridericum in Austriam effugit. V. Bonfin. Dec. IV. Lib. IV. pag. 581.

CLXXI.

Gabriel, Agriensis Eppus, una Cardinalis et Apostolicae Sedis Legatus, Petrum Kmitha, Capitaneum Scepusiensem, ob frumentorum a Plebanis extorsionem excommunicare jubet. Anno Dni 1478.

Ex genuino Transumpto V. Capituli Scepus.

GABRIEL, miseratione Divina etc. Sanctorum Sergii et Bachi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis[a] Agriensis, in Regnis Hungariae et Bohemiae ac omnibus terris et locis, temporali Dominio Serenissimi Principis Domini Matthiae, praefatorum Regnorum Hungariae, Bohemiae etc Regis subjectis, Apostolicae Sedis Legatus. Dilectis Nobis in Christo honorabilibus ac discretis viris N. Lectori, Cantori Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini in Scepus, item N. de Leucha, N. de Villa Latina, N. de Késmark, N. de Villa Menhardi, N. de Podolin et N. de Lublow, aliisque omnibus et singulis Ecclesiarum Plebanis, ac eorum vices gerentibus, Strigoniensis Dioecesis, qui praesentibus fueritis requisiti, aut alter vestrum fuerit requisitus salutem in Domino sempiternam, et nostris firmiter obedire mandatis. Gravem querelam Venerabilis Dni Caspari[b] Praepositi dictae Ecclesiae Scepusiensis Nobis allatam, accepimus, continentem: Quod Magnificus Petrus Kmitha de Wisnicz, Laicus, in dictis Lublow et Podolim ac pertinentiis eorum, spirituali jurisdictioni dicti Praepositi immediate subjectis, Capitaneus et temporalem exercens jurisdictionem, non attendens, quod Laicis in Clericos, Ecclesiasticasve personas et bona eorum interdicta est, praetactas Ecclesias dicti Capitaneatus sui ac earum Plebanos frugum, bladorum, aliisque exactionibus gravare, quod nec Pharao, Legis divinae notitiam minime habens, fecit, iam saepius attentavit: nec his contentus, sed in majorem emunitatis Ecclesiasticae violationem, iraeque divinae in se provocationem, missis et destinatis quibusdam, Martino Deusch, Mathia Roszkoczki et Stanislao Dlugus ac pluribus aliis satellitibus suis,

---

a) Iterata Mathiae Regis interpositione tandem eodem anno inter Purpuratos Patres adlectus est. Legatus instituitur pacis procurandae causa inter Mathiam Regem, tum Casimirum Poloniae ac Wladislaum Bohemiae Reges, ut Vadingus ad annum 1479 scribit. Confectam fuisse Olomucii notavit Bonfin. Dec. IV. Lib. V. pag. 605. nulla Gabrielis mentione facta. Idem Lib. IV. pag. 617. refert: ipsum fastidita Hungaria Romam concessisse, ac ibidem tumulum suum in Aedibus sui Ordinis anno 1486. nactum fuisse. Plura de ipso apud Nicol. Schmith Tom. II. Episc. Agrien. pag. 104.

b) Cognomine Back de Berend. V. Wagner. P. III. pag. 69.

per illos nec non providos Laurentium Gnober Judicem et Juratos de Varallya, et Georgii de Iglo, ac Johannis de Filka, Ecclesiarum Parochialium eorundem Dioecesis et Capitaneatus Plebanorum, et per consequens ipsos Plebanos ex eo, quod ipsi exactiones hujusmodi solvere et servitutes, prout de jure nec tenebantur, subire recusarunt, manibus armatis invadi, et equos ac alia bona eorum, ipsis Plebanis personis proprias, fugae praesidio, vix liberantibus, ad se adduci et apportari jussit, et fecit, sententiam excommunicationis, in tales a jure latam, damnabiliter incurrendo, et alias, prout eadem querimonia subjungebat, idem Petrus tam praenominatos Marcum, Georgium et Johannem, quam alios Plebanos et Clericos dicti Capitaneatus sui, causas ob easdem multipliciter, persecutus est et persequitur, turbavitque et turbat, ac illis adeo et in tantum injuriatur, quod plures eorum ex hoc Ecclesias suas deserere sint coacti, et alii quoque cogentur, nisi legationis nostrae, qua fungimur, officio superinde maturius fuerit obviatum, in dispendium salutis animarum ipsius Petri Capitanei, familiarumque ac Judicis, Juratorum et aliorum fautorum suorum manifestum; emunitatem vero Ecclesiasticae et dictorum Praepositi, Plebanorum, ac aliorum clericorum violationem et oppressionem valde magnam. Unde fuimus per eundem Casparum Praepositum debita cum instantia requisiti, ut dictis Ecclesiis, ac Plebanis et Clericis aliis superinde oportune providere dignaremur. Nos igitur requisitioni hujusmodi inclinati, violentiaeque, prout ex debito dicti Officii nostri cogimur, de jure iniquis actibus hujusmodi obviare; vestrae et vestrum cujuslibet devotioni in solidum, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in vos et alterum vestrum mandatis nostris hujusmodi parere recusantes, seu recusantem, trium dierum canonica monitione praemissa, a die exhibitionis praesentium, vobis fienda, computandorum, ferimus in his scriptis, authoritate dictae legationis nostrae, per haec scripta districtim praecipiendo, committimus et mandamus; quatenus statim visis praesentibus, ac dum et quando cum praesentibus fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus; ad praefatos Petrum Kmitha Capitaneum, Martinum, Mathiam, et Stanislaum ac ceteros familiares suos, nec non Laurentium Judicem et juratos de Villa Varallya, aliosque eorum complices et fautores, in hac parte vobis cum praesentibus nominandos, personaliter accedatis, aut alter vestrum accedat, ipsosque personaliter, si eorum praesentiam commode habere poteritis, alioquin sic et taliter, quod hujusmodi vestra monitio, ad ipsorum notitiam verisimiliter valeat pervenire,

authoritate dictae Legationis nostrae nominatim diligentius moneatis et requiratis. Quos et eorum quemlibet, et praesertim dictum Petrum Kmitha Capitaneum etiam Nos praesentibus sic et taliter requirimus et monemus; quatenus ipse et eorum quilibet infra novem dierum spatium a die monitionis et requisitionis vestrae hujusmodi de ipsis fiendae, computando, quorum novem dierum tres pro primo, tres secundo, et reliquos tres dies pro tertio ac ultimo, et peremptorio termino, monitioneque canonica et sub excommunicationis poena praesentibus assignamus; quam in eos et eorum quemlibet, nisi fecerint, seu fecerit, quae ipsis praesentibus mandamus, dicta canonica monitione praemissa, ferimus in his scriptis, equos et bona dictorum Marci, Georgii et Johannis Plebanorum, si extant in specie et sine deterioratione aliquali, alioquin verum valorem eorum eisdem Plebanis aut eorum Procuratoribus restituant et persolvant, et de injuriis et aliis eisdem satisfaciant, aut vero superinde cum eis amicabiliter componant et concordent; nullam quoque deinceps ab eisdem Marco, Georgio et Johanne, vel quopiam alio Plebano seu Clerico, Jurisdictionis ipsius Dni Praepositi solutionem vel servitutem exigere seu recipere, vel eos in aliquo turbare aut impedire, seu ad id dare consilium auxilium et favorem praesumant aliquando. Qui, si id fecerint, bene quidem, alioquin elapso dicto novem dierum spatio et alias, si et postquam contra monitionem et prohibitionem hujusmodi eos quidpiam attentasse constiterit, eosdem et alterum eorum in his culpabilem, servatis servandis in vestris et vestrum cujuslibet Ecclesiis, singulis diebus Dominicis et Festivis intra Missarum Solemnia, dum major in eisdem ad Divina audienda populi convenerit multitudo, pulsatis Campanis, candelis accensis et extinctis, ac in signum maledictionis aeternae in terram projectis et excommunicatis, et excommunicatos publice denuncietis, et ab aliis denunciari ac arctius evitari faciatis tamdiu, donec et quousque mandatis et monitionibus nostris hujusmodi paruerint realiter et cum effectu, et de eorum absolutione legitima nobis constitetit evidenter. Quod si praefatus Petrus Kmitha, ac alii, modo praemisso excommunicati et denunciati, hujusmodi excommunicationem et denuntiationem per alios novem dies (quod absit) animo sustinuerit indurato et rebelli, extunc dicta Lublow, ac Podolin, nec non XIII. Civitates, aliaque loca et terras, Capitaneatui ipsius Petri et temporali jurisdictioni suae subjecta, firmissimo Ecclesiastico supponatis Interdicto, et Interdictum ipsum observetis, et ab omnibus ac per omnia observari strictius faciatis tamdiu, donec et quousque idem Petrus Kmitha, aliique excommunicati hujusmodi parere curaverint realiter

*

et cum effectu, ac de Interdicti hujusmodi relaxatione Nobis constiterit evidenter, a Nobisque aut a dicta Sede Apostolica habueritis aliud in mandatis. Certificantes eundem Petrum Kmitha ac alios supra dictos: Quod si ipsi hujusmodi Excommunicationis et Interdicti sententias, animo (quod absit) sustinuerint, indurato et rebelli; Nos eorum exigente contumacia et rebellione, contra eosdem ad censuras et poenas graviores procedemus, seu procedi faciemus, justitia exigente. Et tandem seriem vestrae excommunicationis, et quidquid in praemissis feceritis, nobis suo modo fideliter et conscientiose rescribatis. Datum Budae, Vesprimiensis Dioecesis in domo solita residentiae nostrae, sub nostri sigilli minoris impressione die 23-a Mensis Maji. Anno Dni Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo. Pontificatus autem Sanctissimi Dni nostri Domini Sixti, Divina providentia Papae Quarti, anno septimo. Subscriptio — A. de Monellis.

CLXXII.

Petrus Sobinski, Capitan. Lublovien. fundat in Oppido Podolin Capellam. Anno Dni 1479.

Ex authographo in Parochia Podolinen. existente.

JOANNES de Aragonia, titulo Sancti Adriani, Sacro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis[a] ad Hungariae, Bohemiae, Poloniae Regna ac universas et singulas Provincias, Civitates, Terras et loca Illustrissimis dictorum Regnorum Regibus subjecta, et illis juncta seu adhaerentia, Apostolicae Sedis de latere Legatus: Universis et singulis Christi fidelibus, praesentes inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ante thronum divinae Majestatis fideles Christi Sanctorum piis adducti suffragiis, ad eorum Festiva solemnia eo debent ferventius incitari, quo talium Patronorum fulciti praesidiis, potiora retributionum munera et praemia valeant promereri. Unde nos more Pastoris Vigilis Christi, fideles singulos, quos cupimus in superna Patria collocari, ad ipsorum Sanctorum libenter trahantur obsequia, ut eos in conspectu Domini devota veneratione collau-

a) V. Purpuram Pannoniae pag. 91. et Nicol. Schmith in Comp. Arch. Ep. Strigon. P. II. pag. 8.

demus. Cupientes igitur, ut Capella seu Ecclesia, quam Nobilis et Magnificus, Nobis in Christo dilectus, Dnus Petrus Sobinski, Capitaneus Lubloviensis, in Oppido suo Podolin, Strigoniensis Dioecesis, de bonis a Deo sibi collatis, aedificari et fundari fecit, quamque sufficienter dotavit, ut in suis structuris et aedificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, ac libris calicibus, luminaribus, et aliis ornamentis Ecclesiasticis decoretur, fulciatur, laudabiliter muniatur, in ea quoque cultus Divinus augeatur; et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et reparationem, augmentationemque, conservationem aliaque praemissa manus proprias porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono Coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, praefati Petri, dicti Oppidi Domini, super his supplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus sancte confisi, omnibus et singulis utrisque sexus Christi fidelibus, praesertim vero poenitentibus et confessis, qui Capellam seu Ecclesiam praefatam, postquam consecrata fuerit, in Nativitatis, Resurrectionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi, Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis et ipsius Capellae seu Ecclesiae dedicationis Festivitatum diebus, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive, devote visitaverint annuatim, et ad praemissa manus porrexerint adjutrices, pro singulis diebus Festivitatum earundem, quibus hoc fecerint, quinque annos et totidem Quadragenas de injunctis eis poenitentiis authoritate Apostolica, qua specialiter in his fungimur, tenore praesentium in Domino misericorditer relaxamus praesentibus, post consecrationem dictae Capellae incepturis, et deinde perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum, praesentes literas fieri fecimus, et nostri Pontificalis Sigilli jussimus appensione communiri. Datum in Castro Regio Budae, Vesprimiensis Dioecesis, Anno Incarnationis Domini Millesimo quadrigentesimo septuagasimo nono. XVII-o Mensis Aprilis. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Sixti Divina Providentia Papae IV. anno nono.

F. V. B. Insulen de Tuseunella
Auditor (L. S.) Aloisius de Curis Secretarum m. p.

CLXXIII.

Uladislaus Rex Hung. Késmarkiensium Privilegia confirmat. Anno Dni 1491.

Ex autographo coram Barkocziana Commissione producto.

ULADISLAUS, (videlicet II.) Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, nec non Silesiae et Lucemburgiae Dux, Marchioque Moraviae et Lusatiae, omnibus Christi fidelibus, praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod fideles nostri Prudentes et Circumspecti Christianus Schreiber Judex, et Jacobus Kunisch, juratus Civis, ac Matthaeus Glacz, Notarius Civitatis Késmark in suis, ac universorum aliorum Civium et inhabitatorum ejusdem Civitatis nominibus et in personis exhibuerint Nobis, et praesentaverint, literas quasdam privilegiales Serenissimi Principis condam Mathiae, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, felicis memoriae Praedecessoris nostri, sub duplici authentico sigillo suo communitas, quibus mediantibus idem quasdam literas Serenissimi quondam Principis Sigismundi, similiter Regis Hungariae, super nonnullis libertatibus eorundem Civium dictae Civitatis confectas, approbasse et confirmasse dignoscebatur tenoris infrascripti: supplicantes Nobis humiliter, ut easdem literas et omnia in eis contenta, ratas, gratas et acceptas habere, literisque nostris privilegialibus inseri verbotenus facere, pro eisdem Civibus eorumdemque haeredibus et posteritatibus universis perpetuo valituras, confirmare dignaremur: quarum quidem literarum tenor talis est:

Mathias, Dei gratia Rex Hungariae etc V. Diplom. CLXV. Anni 1464. pag. 285.

Nos Sigismundus, Dei gratia Roman. Imperator etc V. Dipl. CXXXVII. Anni 1433. pag. 236.

Nos igitur praemissa supplicatione Majestati nostrae modo, quo supra, porrecta, Regia benignitate exaudita et clementer admissa, praescriptas literas divi condam Dni Mathiae Regis approbamus . . . . , . Datum in Castris exercitus nostri sub obsidione Albae-Regalis[a] die Dominico proximo

a) Quam Civitatem Maximilianus, Romanorum Rex Corona Hungariae non obtenta, praeter Austriam, quoque occupavit. Cf. Historicos.

ante Festum beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo. Regnorum nostrorum primo, Bohemiae vero vicesimo

---

CLXXIV.

Protestatio Felkensium contra Nob. Andr. Máriássy, intuitu occupatorum per ipsum certorum agrorum. Anno Dni 1497.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus per praesentes, significantes, quibus expedit universis: Quod eruditus Magister, Tobias Albinus, Rector Scholae, ac Circumspectus Franciscus Sartor Civis juratus Oppidi Filcensis, in Scepusiensi Comitatu existens, suo suorumque ac Circumspectorum Simonis Meltzer Judicis, ceterorumque juratorum Civium et inhabitatorum, adeoque totius Communitatis praefati Oppidi Filcensis nominibus et in personis, nostram personaliter venientes in praesentiam, per modum solennis protestationis et gravis querelae Nobis significarunt et retulerunt hoc modo: Qualiter superioribus diebus et temporibus, non ita pridem elapsis, proximo videlicet praeterito vere Egregius Andreas Mariassy *(sic)* de Markusfalva, nescitur, unde motus, quave animi consideratione ductus, omni amore Vicinitatis postposito, certam particulam terrae arabilis, suo loco et tempore clarius declarandam, ex territorio ipsius Oppidi Filcensis perarare et avena inseminare fecisset potentia mediante, in grave praejudicium Protestantium, damnumque manifestum. Quam rem cum praenotati Protestantes animadvertissent, avenam praedicti Andreae Mariassy, tanquam in ipsorum proprio territorio, per eundem Andream Mariassy violenter occupato, exarari curavissent; post quam exarationem factam, idem Andreas Mariassy iterata vice propria sua avena inseminari fecisset, itidem potentia mediante et extra viam omnem juris. His rebus ita peractis, cum jam avena aliquantulum succrevisset, ante tres septimanas abhinc computando elapsas, praelibatus Andreas Mariassy per ipsum, modo praemisso, seminatam, messe non expectata, omnimo immaturam clam defalcari curavisset. Quo suo facto idem Andreas Mariassy ipsis injuriam modo praevio illatam, vel via juris ipsum ulcisci cupientes, vel certe, si res postulaverit, contra violentum

occupatorem eo, quod praelibatam particulam terrae, per memoratum Andream Mariassy, modo praemisso occupatam, tum literis seu literalibus instrumentis, tum vero vivorum hominum testimoniis, iidem Protestantes ad ipsos pertinere, comprobare possent, se se tutari, et vim repellere volentes, praehabita super hujusmodi solemni protestatione, literas hasce nostras protestationales, jurium eorundem futura pro cautela, sibi a Nobis elargiri, debita cum instantia postularunt, quas Nos eisdem dandas duximus et concedendas. Datum Feria tertia proxima post Festum beati Laurentii Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.

CLXXV.

Leutschovienses certam Agrorum medietatem, contiguam Possessioni Stojanfalvae Popradiensibus vendunt. Anno Dni 1497.

Ex autographo in Poprad habito.

NOS Judex ac Consules ac Universi Seniores totaque Communitas Lewtczoviensis *(sic)* memoriae commendamus, per praesentes significando, quibus expedit universis: Quia nos de bona et libera voluntate nostra, animo deliberato, communi ac unanimi consensu, maturoque consilio praehabito, propter meliorationem et augmentationem praefatae Civitatis nostrae, aliisque justis et licitis respectibus animum nostrum ad hoc moventibus, illas terras arabiles sexaginta jugerorum universas, inter metas Stojanfeulde ab una, et metas incolarum de Monte Georgii ab altera partibus adjacentes, in Comitatu Scepusiensi habitas et existentes, quae quidem terrae arabiles annis superioribus, et praesertim anno Dni Millesimo quadringentetimo octuagesimo primum per juris strepitum in Sede judiciaria Regiae Majestatis Nobis fuerunt totaliter adjudicatae, et tandem ultimo per nonnullos Praelatos et Barones Hungariae ac Poloniae Regnorum in Villa Sztraszy alias Görern (Neere) dicta, pariter congregatos, non absque ratione in duas partes divisae, quarum una tantum Nobis, pars vero altera quibusdam incolis Villae Poprad, alias Dewtczendorff *(sic)* dictae, condivisa, appropriata erat et deputata. Cives quidem partis condivisae usque ad datam praesentium usi sumus, et sic utendo Circumspectio Judici et Juratis, ac nonnullis de Communitate praedictae Villae Poprad pro

Centum triginta duobus florenis hungaricalibus puri auri, veri et aequalis ponderis, ab eisdem jam plenarie et integraliter levatis et perceptis, rursum vendidimus, appropriavimus et remisimus: imo pro maiori commodo et utilitate nostra Civitatis Lewtczoviensis per praesentes vendimus, appropriamus et remittimus, nihil amplius juris, proprietatis et dominii terris in eisdem, ratione praemissae adjudicationis, condivisionis et appropriationis pro Nobis aut Posteris nostris reservamus; sed omne jus, perpetuum et dominium ad praefatos Judicem, juratos et nonnullos incolas ante dictae Villae Poprad, et ad eorum Posteros et legitimos Successores omnino devolvimus. His quidem Judex, jurati et incolae praetacti, eorumque posteri et legitimi Successores, praedictis sexaginta jugeribus cum omnibus et singulis utilitatibus et pertinentiis, absque omni impedimento et impetitione nostra atque Successorum nostrorum, temporibus perpetuis semper libere et pacifice utantur, et uti possint, prout eis melius videbitur expedire, et sicuti voluerint, convertere possint atque valeant: Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante: In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas privilegiales, pendenti sigillo nostrae Civitatis munitas et roboratas, praedictis Judici, Juratis et incolis Villae Poprad duximus concedendas. Datum Lewtczoviae Feria sexta proxima ante Festum beatae Catharinae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.

CLXXVI.

Uladislaus, Rex Hung. privilegia Igloviensium confirmat. Anno Dni 1499.

Ex authographo ibidem habito.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae etc Rex, ac Moraviae et Lusatiae Marchio; omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter ac futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Decet Reges et Principes, apud quos populorum et Urbium jus est, ea clementer innovare, quae commodum denotant fidelium, ut per innovationis titulum inconcussa maneant, quae Excelsi Principes suis temporibus, ad promovendum suorum subditorum statum, rite decreverunt: Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod pro parte et in

personis fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et juratorum Civium ac universorum incolarum et inhabitatorum Novae Civitatis nostrae Iglow vocatae, Sigismundi, Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, felicis memoriae, sub dupplici et impendenti suo sigillo confectae, quibus mediantibus idem quondam Dnus Imperator et Rex, certas libertates, et libertatum praerogativas eisdem Civibus, incolis et inhabitatoribus ejusdem loci, ex causis et rationibus in eisdem literis contentis, annuisse, fecisseque et consensisse dignoscitur, tenoris infra scripti: Supplicatum itaque nostrae Majestati est in personis eorundem Civium et inhabitatorum loci praedicti humillime, ut ipsas literas, ratas, gratas et acceptas habere, nostrisque literis inscribi facere, easque nihilominus, et omnia in eisdem contenta, pro eisdem Civibus et Communitate ejusdem innovantes, nostro privilegio perpetuo valituras, confirmare dignaremur: Quorum quidem literarum tenor talis est:

Nos Sigismundus Romanorum Imperator etc. V. Wagner. P. I. pag. 219.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte dictorum civium et Communitatis praescriptae Civitatis nostrae Iglow, Majestati nostrae modo, quo supra, porrecta, Regia benignitate exaudita, et clementer admissa, praescriptas literas annotati quondam Sigismundi Regis Privilegiales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, praesentibus literis nostris, similiter Privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos, in quibus videlicet iidem Cives et tota Communitas, per Praedecessores nostros Reges Hungariae, usque ad haec tempora tenti fuerant, et quibus modo libere et absque aliquali contradictione utuntur, acceptamus, approbamus et ratificamus; easque nihilominus et omnia in eisdem contenta, pro eisdem Civibus nostris et tota Communitate Civitatis nostrae Iglow innovando perpetuo valituras, confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante, salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, praesentes nostras privilegiales, pendentis et authentici duplicis Sigilli nostri munimine roboratas, eisdem duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, Dni Thomae Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis[a] Aulae nostrae summi Secretarii et Cancellarii,

a) Fuit is Thomas Bakacs ab Erdőd, qui anno 1497 Strigoniensem Cathedram, suam Agriensem cum Hipolyto Esztensi, reali Strigoniensi Archiepiscopo, Alexandro Pontifice approbante, praevie commutando, conscendit. V. Purpuram Pannoniae pag. 99—109. Nicol. Schmith Tom. II. Episc. Agrien. p. 193.

decimo quarto die Januarii. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Venerabilibus in Christo Patribus, Dnis: Thoma Strigonien. Petro Colocen. Ecclesiarum Archiepiscopis. Nec non Illmo ac Rssmo Ippolito *(sic)* Esztensi de Aragonia, Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali, Agriensi, Oswaldo Zagrabiensi, Ladislao Gereb Transsylvan. Dominico Varadien. Sigismundo Quinque-Ecclesien. Francisco Jaurien. Johanne Vesprimien. Nicolao de Bathor Vacien. Luca Chanadien. Antonio Nitrien. Sirmiensi Sede vacante. Gabriele Bosnen. Brictio Tinninien. Michaele Segnien et Christophoro Modrussiensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis Stephano Zapolya, Comite perpetuo Terrae Scepusiensis, Regni nostri Hungariae Palatino, Comite Petro Gereb de Wingrad (sive Wingarth alibi) Judice Curiae nostrae Petro Comite de Bozin et de S. Georgio, Wajwoda nostro Transsylvan. et Comite Siculorum nostrorum, Josa de Son, Comite Themesiensi et Generali Capitaneo partium Regni nostri inferiorum, Joanne Corvino[b] Oppaviae et Duce Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, Petro Tornok de Machkás, et Jacobo Gerlisthic Zewriniensi Banis, Blasio de Raszka Tavernicorum, Nicolao Banffy de Lindua Janitorum, Emerico de Peren Dapiferorum, Stephano de Canisa Pincernarum, et Johanne Ernst de Chiatornia, Agazonum nostrorum Regalium Magistris, aliisque compluribus, Regni nostri Officia tenentibus et honores.

CLXXVII.

Idem Rex privilegiales Monte Georgensium confirmat. Anno Dni 1499.

Ex autographo ibidem existente.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex, ac Silesiae et Lucemburgensis Dux: nec non Lusatiae, Moraviaeque Marchio etc. omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris,

b) Quod ex Nobili Hungara prognatus fuerit per Mathiam Regem, hoc nomine perinde gaudebat. V. Windisch Karl Gottlieb. pag. 297.

praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et juratorum Civium et populorum ac universorum hospitum Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis; exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam literae Serenissimi Principis quondam Domini Sigismundi, Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariae etc Regis, adjudicatoriae, sub Sigillo suo duplici majori, super facto possessionis ipsorum Civium nostrorum, Zthoyanfalva *(sic)* vocatae, privilegialiter emanatae, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae in personis eorundem Civium et inhabitatorum loci praedicti humiliter, ut hujusmodi literas ratas, gratas et acceptas habere, nostrisqus inseri et inscribi facere, easque nihilominus et omnia in eis contenta pro eisdem Civibus et tota Communitate, jam fatae Civitatis nostrae, innovantes, perpetuo valituras, confirmare dignaremur. quarum literarum tenor talis est:

Nos Sigismundus — Romanorum Rex etc. V. Diplom. CXV. Anni 1412. pag. 184.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte dictorum Civium et Communitatis praescriptae Civitatis nostrae, Montis Sancti Georgii, terrae nostrae Scepusiensis, Majestati nostrae modo, quo supra, porrecta, Regia benignitate exaudita et clementer admissa, praemissas literas jam fati condam Dni Sigismundi Regis privilegiales non abrasas, non cancellates, nec in aliqua parte sui suspectas, praesentibusque literis nostris, similiter privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus; easque nihilominus et omnia in eisdem contenta, si et in quantum Civitas et Comunitas jam dictae Civitatis nostrae, ab eo semper tempore in pacifico dominio, dictae possessionis Zthoyanfalva, perstiterunt, et modo quoque, nemine contradicente persistunt, pro eisdem Civibus et tota Communitate ejusdem Civitatis nostrae Montis S. Georgii innovantes, in perpetuum valituras, confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante, salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras privilegiales, pendentis et authentici duplicis Sigilli nostri munimine roboratas, eisdem duximus concedendas. Datum per manus Rsmi in Christo Patris Dni Thomae Archiepiscopi Ecclae Strigoniensis, Aulae nostrae Summi Secretarii et Cancellarii, quarto decimo

die Januarii. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Regnorum vero nostrorum Hungariae etc anno nono, Bohemiae vero vigesimo nono. Venerabilibus in Christo Patribus, Dnis: eodem Thoma Strigonien. et Petro Colocensi Ecclesiarum A. Eppis, nec non Illmo ac Rsmo Hippolytho Esztensi de Aragonia, Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali, Agriensi, Oswaldo Zagrabien. Ladislao Chereb Transsylv. Dominico Varadien. Sigismundo Quinque-Ecclesiarum, Francisco Jaurien. Joanne Vesprimien. Nicolao de Bathor Vacien. Luca Chanadien. Antonio Nitrien. Sirmiensi Sede vacante, Gabriele Bosnen. Brictio Tinninien. Michaele Segnien. et Christophoro Modrussiensi Ecclesiarum Eppis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item spectabilibus et Magnificis Stephano de Zapolya etc. (ut supra usque) Johanne Corvino Oppaviae et Lyptoviae[a] Duce, ac Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, Petro Tarnok de Machkás etc (ut supra per omnia).

CLXXVIII.

Idem Rex privilegiales Montis S. Georgii et Villae Michaelis silvas tangentes, confirmat. Anno Dni 1499.

Ex authographo ibidem existente.

NOS Wladislaus, Dei gratia Rex Hungariae etc memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Nos pro parte et in personis fidelium nostrorum providorum et Circumspectorum Judicum et Juratorum nostrorum inhabitatorum Oppidi nostri Sancti Georgii et Villae Michaelis, in terra nostra Scepusiensi existentium: exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae Capituli Ecclesiae Scepusiensis, super distinctione, separatione et reambulatione certarum metarum cujusdam sylvae praetacti Oppidi et Villae Michaelis facta, privilegialiter confectae, tenore infrascripto. Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae in personis praedictorum Civium, ut ipsas literas ratas, gratas et acceptas habere, nostrisque literis inseri et inscribi facere easque nihilomi-

a) Lyptoviensem Comitatum in Ducatum evectum fuisse, is solum, qui hocce Diploma obnegaverit, porro negabit. Carol. Gottlieb Windisch eundem in Liptovia Ducem fuisse, perinde recenset. pag. 292.

nus et omnia in eisdem contenta, pro praefatis Civibus nostris innovare et roborare dignaremur: quarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc V. Dipl. XCVIII. Anni 1407. pag. 150.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte praefatorum civium, locorum praedictorum, Majestati nostrae modo, quo supra porrecta, Regia benignitate exaudita, et clementer admissa praescriptas literas Capituli Ecclesiae Scupusien. privilegiales non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, prasentibusque literis nostris, similiter privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas eatenus, quatenus eaedem rite et legitimae existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus; easdem nihilominus et omnia in eisdem contenta, si et in quantum praefati Cives Sancti Georgii et Villae Michaelis silva praetacta sub distinctionibus metarum praetactarum usque ad haec tempora libere et sine aliqua contradictione usi fuerint, modoque libere utuntur, pro eisdem Civibus, populis et universis inhabitatoribus eorundem locorum innovamus et roboramus, salvo jure alieno. Harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo, ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio literarum mediante. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Regnorum nostrorum Hungariae nono, Bohemiae vero vigesimo nono.

Wladislaus, m. p.

CLXXIX.

Leibitziensis Communitas coram Leutschoviensi Judicio, ratione prati Rohrwies vocati, et per Bohemos occupati, atque per Késmarkiensis detenti, protestatur. Anno Dni 1499.

Ex autographo Leibitzii habito.

SERENISSIMO Principi et D. Dno Wladislao, Dei gratia Hungariae, Bohemiae etc Regi, Dno nostro gratiosissimo, Judex et jurati Cives Civitatis Leuchoviensis, fidelitatis obsequium semper promptum et paratum. Noverit Vestra Serenitas, nos literas ejusdem Serenitatis vestrae praeceptorias, nobis directas, summo cum honore et reverentia recepisse in haec verba:

Wladislaus, Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc fidelibus nostris prudentibus et circumspectis Judici et Juratis Civibus Civitatis nostrae Leuchoviensis salutem et gratiam. Exponitur Majestati nostrae in personis Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque universorum Civium et inhabitatorum Oppidi Libicza *(h. Leibicz)*: Qualiter superioribus temporibus quibus videlicet quidam Bohemi Civitatem *Kie*smark obsedissent, iidem Bohemi quemdam campum, seu terram ipsorum exponentium, inter dictum Oppidum ipsorum et eandem Civitatem *Kie*smark adjacentem, ab eisdem exponentibus vi et potentialiter occupassent, et recepissent: Quem quidem campum sive terram quondam Egregius Nicolaus Perén, qui eisdem Bohemis tandem in illa Civitate *Kie*smark successisset, modo simili pro se usurpasset, neque eisdem exponentibus, ad plurimas ipsorum requisitiones, remittere voluisset; quam quidem protestationem vos, ad instantem petitionem eorundem exponentium, in librum seu Regestrum illius Civitatis vestrae conscribi fecistis: Nunc autem praefati exponentes tenorem hujusmodi protestationis ipsorum, pro tuitione jurium suorum, summe haberent necessarium: Quare volumus et fidelitati vestrae harum serie firmissime mandamus, quatenus acceptis praesentibus tenorem dictae protestationis praefatorum exponentium, per eosdem modo praemisso, super praemissis factae, in dicto libro seu Regestro Civitatis nostrae diligenter requirere et reinvenire faciatis, atque eisdem exponentibus, secundum quod consuetudo vestra et ejusdem Civitatis requirit, hujusmodi ipsorum protestationem in transumpto literarum vestrarum, sub sigillo Civitatis vestrae, extradari et emanare facere debeatis et teneamini, jurium suorum uberiorem ad cautelam; caventes tamen, ne fraus et dolus in hac parte interveniat aliqualis; secus non facturi. Datum Budae in Festo beati Antonii Confessoris. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

Nos itaque praeinsertis mandatis Vestrae Serenitatis, uti tenemur, obedientes, praedictam protestationem ipsorum exponentium, Judicis videlicet et Juratorum de praedicta Libicza, nec non et attestationes testium, coram nobis productorum, ac per nos, juris ordine servato, examinatorum eorundem cum nominibus, prout in libro Civitatis nostrae inserta et inscripta sunt, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, pariter et inscribi. Tenor protestationis in hunc sequitur modum:

Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Feria tertia proxima post Dominicam Quadragesimalem „Oculi mei“, ipso die beati Georgii

Papae, Judex et jurati de Libicza nostram adeuntes praesentiam in suis ac totius Communitatis nominibus et personis, per modum protestationis nobis significare curaverunt: Quod quidam campus, seu terra foenilium Rorvize *(sic)* nuncupata, a praedicto ipsorum Oppido, et consequenter ab eis esset alienata, vi et potentia mediante, primo per Magnificum Dnum Nicolaum Peren, et alterum Nicolaum de Rychno, Capitaneos de Kiesmark, deinde ipsi Bohemi in dicta Kiesmark existentes, eundem campum etiam occuparunt et usurparunt, et sic continuo omnes sequaces eorum fecerunt; de quo videlicet campo seu terra ipsorum Domino hodierna die oportet persolvere, et dare census annuales (ad Arcem videlicet Lublo) sicut et ante hujusmodi alienationem, occupationesque et usurpationes semper persolverunt et fecerunt. Deinde ipsa protestatione, ut praemittitur, facta, coram nobis produxerunt nonnullos testes, supplicando nobis humili cum instantia, ut eosdem examinare, et deinde ipsorum attestationes in librum nostrae Civitatis inscribere et inscribi facere dignaremur pro ipsorum cautela uberiori. Nos itaque petitionibus eorundem tanquam justis et legitimis inclinati, testes ipsorum anno et die praetactis, coram nobis productos, servatis servandis, secundum juris ordinem, ad conscientias et animas eorum interrogantes, examinavimus, quorum depositiones seriatim sequuntur.

Datum Leuchoviae Feria secunda proxima post diem Festum beati Mathiae Apostoli. Anno Dni Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. (L. S.)

Diplomata Seculi XVI.

CLXXX.

Urbanus Zulcz et Leonhardus Lybich, Cives Késmarkienses suum Molendinum Parochiali Ecclesiae Felka, causa salutis animarum suarum nec non Simonis Heller et Consortis ejus Margarethae etc in perpetuum donant. Anno Dni 1500.

Ex authographo Felkae habito.

NOS Capitulum, Ecclesiae Scepusiensis, memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Circumspecti Urbanus Zulcz de Filka *(h. Felka)* et Leonhardus Lybich, cives Civitatis

Kismark, nostram personaliter venientes in praesentiam, idem Urbanus, Antonii Zulcz de dicta Filka et Jacobi, similiter Zulcz vocati, de Villa Ursi *(h. Illésfalu)* fratrum suorum carnalium; item praefatus Leonhardus Lybich, honestae Dominae, Agnes vocatae, Consortis suae, nec non Andreae filii et Agnetis filiae suorum, ex ipsa Domina Agnes procreatorum, aut in futurum nascendorum, oneribus et gravaminibus in se assumtis, coram nobis personaliter constituti, oraculo vivae vocis et spontaneis ipsorum voluntatibus confessi sunt in hunc modum: Quomodo ipsi matura, digestaque et frequenti deliberatione superinde praehabita, quoddam Molendinum ipsorum, statim supra eandem Villam Filka, super fluvio Filka vocato, — — — simul cum serra, in ipso molendino existente, aliisque omnibus et singulis aedificiis, structuris et permanentiis in superficie ejusdem Molendini et ipsius pertinentiis habitis et existentibus, et pertinere debentibus. Quod scilicet Molendinum in ipsos Urbanum Zulcz et Dominam Agnes vocatam, consortem dicti Leonhardi Lybich a quodam Simone Heller vocato, dudum in quodam flumine submerso, devolutum foret, et condescendisset, Ecclesiae Parochiali beati Johannis Apostoli et Evangelistae, in dicta Filka fundatae, ob spem et devotionem singularem, quam ipsi ad ipsum beatum Johannem Apostolum et Evangelistam gererent, ejusque meritis et intercessione se sperarent in extremo Judicio cum electis Dei a dextris collocaturos, et partem cum eis in Coelestibus habituros; nec non pro salute et refrigerio animarum dicti quondam Simonis Heller et Dnae Margarethae Consortis suae, omniumque aliorum proximorum et consanguineorum ipsorum in perpetuam eleemosymam dedissent contulissent, imo dederunt et donarunt, et contulerunt coram nobis, jure perpetuo et irrevocabiliter tenendum, possidendum, pariter et habendum, nihil juris, nihilque proprietatis aut dominii sibi ipsis, in eisdem Molendino, terra et eorundem pertinentiis praescriptis: idem Urbanus Zulcz et Leonhardus Lybich reservantes; sed omne dominium, omnemque juris proprietatem dictorum Molendini, serrae et suarum pertinentiarum in praefatam Ecclesiam beati Johannis Apostoli et Evangelistae penitus transferunt: Ista videlicet et sub ea conditione, quod Collectores proventuum dicti Molendini et serrae per Oppidanos ipsius Oppidi Filka, ad hoc deputatos, singulis annis Plebano — — — Judici et Juratis, pro tempore constitutis, de proventibus, emolumentis et obventionibus ipsius Molendini ac serrae plenariam rationem teneantur: Quodque urgente necessitate ipsius Ecclesiae beati Johannis Apostoli et Evangelistae, aut si Ecclesia eadem in proventibus ejusdem Molendini commodum et

utilitatem non sentiret, extunc praefati Plebanus — — Judex et Jurati, pro tempore constituti, idem Molendinum una cum serra et suis pertinentiis vendendi, alienandi, et ad alias ipsius Ecclesiae utilitates et necessitates convertendi omnimodam habeant potestatis facultatem: Ipsique Plebanus — Judex et jurati pro tempore constituti, pretium ejusdem Molendini, serrae et suarum pertinentiarum non alias, praesertimque ad utilitatem et commodum dictae Ecclesiae beati Johannis Apostoli et Evangelistae reponere et dispensare possint, et debeant. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras, pendenti sigillo nostro consignatas, eidem duximus concedendas. Datum Feria quarta proxima post Festum beati Andreae Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo. (L. S. pendent.)

CLXXXI.

Nobilis Stephanus Máriássy praedium Chetene Felkensibus erga solutionem trium florenorum auri dimittit possidendum. Anno Dni 1502.

Ex autographo Felkae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam momentanea labilitas temporum acta ratione degentium, sui fluxibilitate surripit, quae velut tinientis sonitus ab humanis sensibus evanescit; ob hoc solers industria persuadet, singulam memoriam scripti patrocinio sive insinuatione perenniter confirmare. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod Egregius Stephanus Mariassy de Markusfalva, Capitaneus Castri Sáros, pro se personaliter ex una, parte vero ex altera Circumspecti et providi Viri Georgius Valentini, Judex ac Petrus, Henkel dictus, juratus civis de Fílka, in eorum et totius Communitatis Civium et hospitum de eadem Filka, nominibus et personis coram Nobis constituti, per eundem Stephanum Mariassy extitit confessum oraculo vivae vocis, pariter et relatum in hunc modum: Quod licet ipse memoratos: Georgium Valentinum Judicem, ac Petrum Henkel juratum, ceterosque cives et hospites de praefata Filka, ratione cujusdam particulae terrae Chetena, alio nomine Howerfeldae vocatae, circa metas

ejusdem Oppidi Filka, in Comitatu Scepusiensi habitae, existentis per Judicem, Juratos et hospites de eadem Filka, a praedecessoribus ipsius Stephani Mariassy pro certa florenorum auri summa emptae, et comparatae judicialiter convenire, et in causam attrahere voluisset, plurimasque ipsis instantias et impedimenta praetextu ejusdem particulae terrae, facere decrevisset, et considerasset: quod praefati Judex Jurati et universi Cives et Hospites dicti Oppidi Filka, eandem particulam terrae Chetene, alio nomine Howerfelde, perpetuo emptionis titulo et alias justo jure tenerent, possiderent et uterentur: ob hoc ipse praefatam particulam terrae, Chetene vocatam, eisdem Judici, Juratis et universis Hospitibus, Civibusque de jam dicta Filka, pro censu feudali, perpetuis futuris temporibus duraturo, per compositionem inter ipsos factam, taliter locasset, et dedisset, locavitque et dedit coram Nobis, omnino sub iisdem limitationibus et conclusionibus, in prioribus literis nostris emptionalibus, superinde confectis et emanatis, contentis et denotatis, ac metis et terminis ipsius particulae Terrae, ut ipsi Judex, Jurati et universi cives et hospites de dicta Filka, dicto Stephano Mariassy, suisque haeredibus et successoribus universis, singulis annis in Festo Circumcisionis Domini tres florenos auri in puro auro et justi ponderis solvere debebunt, et tenebuntur, et erunt obligati; tali tamen conditione adjecta mediante: Quod si quae pars partium praedictarum in hac dispositione, inter ipsos facta, persistere nollet, videlicet, quod si ipse Judex, Jurati et universi Cives ac Hospites de praefata Filka praescriptos tres florenos auri in auro, in praedicto Festo Circumcisionis Domini persolvere negligeret, seu non curaret; vel ipsis persolvere volentibus, praefatus Stephanus Mariassy, aut ipsius haeredes recipere et levare nollent, sive recusarent; extunc talis pars hujusmodi compositionem non servans, seu servare recusans, in ducentis florenis auri puri convinceretur, et convicta haberetur eo facto. Ad quod se praefatae partes sponte obligarunt coram Nobis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras, pendentis et authentici Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum Feria secunda proxima post Festum Epiphaniarum Domini, Anno ejusdem Millesimo quingentesimo secundo.

CLXXXII.

Wladislaus Hung. etc Rex Laurentii de Hedervara Palatini literas, quibus 60 jugera in Stojanis adjudicavit Popradiensibus, rati habet. Anno Dni 1505.

Ex autographo in Poprad existente.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae etc. Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Circumspectorum Judicis et Juratorum ceterorumque civium et inhabitatorum Oppidi nostri Poprad, Terrae Scepusiensis, exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae adjudicatoriae, olim Spectabilis ac Magnifici Laurentii de Hederwara, Regni nostri Hungariae praedicti Palatini, et Judicis Cumanorum nostrorum, in pargameno patenter confectae, sigilloque suo impendenter communitae, super adjudicatione certorum sexaginta jugerum terrae arabilis emanatae, infrascriptae: Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae pro parte praefatorum Civium et Inhabitatorum, ut easdem literas annotati quondam Laurentii Palatini, et omnia in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habendo, literisque nostris privilegialibus verbotenus inseri et inscribi faciendo, pro praefatis Inhabitatoribus Oppidi nostri praefati innovando, perpetuo valituras confirmare dignaremur: Quarum literarum tenor talis est:

Nos Laurentius de Hedervara etc. V. Diplom. CXLVIII. Anni 1439. pag. 257.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte dictorum Inhabitatorum Oppidi nostri Poprad, Nostrae, modo quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, elementer et admissa, praescriptas literas adjudicatorias praefati quondam Laurentii de Hed*rch*wara Palatini non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedam rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus; easque nihilominus, et omnia in iisdem contenta, ex certa nostra scientia, et animo deliberato, nec non de beneplacita voluntate Ill-

mae Dnae Annae Reginae, Consortis nostrae Charissimae, Praelatorum etiam et Baronum nostrorum ad id accedentium, consilio pro eodem Oppido nostro Poprad, et ejus Inhabitatoribus innovantes, perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante, salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales, pendentis et authentici duplicis Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Thomae, Ecclesiae Sancti Martini in Montibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Strigoniensis et Secretarii, Aulae nostrae Cancellarii, item fidelis nostri sincere dilecti: tertia die mensis Octobris, Anno Dni Millesimo quingentesimo quinto. Regnorum nostrorum Hungariae etc Anno decimo, Bohemiae vero tricesimo sexto. Rndissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis eodem Thoma Strigoniensi, Hyppolito Estensi de Aragonia, Ecclesiae Sanctae Luciae in Silice Diacono, Agriensi, et Petro Ecclesiae Sancti Syriaci in Thermis Presbytero, Vesprimiensi, dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Georgio de Frangepanibus, Archiepiscopo Colocensi et Bachiensi, Ecclesiarum canonice unitarum, Luca Zagrabiensi, Sigismundo Thurzo Transsilvan. Georgio Waradiensi, Secretario nostro. Quinque-Ecclesiensi Sede vacante. Francisco Jaurien. Nicolao de Bathor Vacien. Stephano Nitrien. Nicolao de Chaak Chanadien. Johanne Orzagh de Guth, electo Sirmien. Michaele Kessereo electo et confirmato Bosnensi, Brictio Tinniniensi, Jacobo Segniensi, Ferdinando de Frangepanibus, electo et confirmato Modrussiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item spectabilibus et Magnificis Emerico de Peren, Comite Abaujvariensi, ac praedicti Regni nostri Hungariae Palatino et Judice Cumanorum, honore Banatus Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae vacante. Petro Comite de Bezyn et de Sancto Georgio, Judice Curiae nostrae et Wajwoda nostro Transsilvano, Josa de Som, Comite Themessiensi, ac Partium Regni nostri inferiorum Capitaneo Generali, Jacobo de Gerlisthic et Barnaba de Bela Zewriensi Banis, Blasio de Raska *Th*avernicorum, Moise Brozlay de Gerlaka Janitorum, Michaele de Palocz Pincernarum, Emerico Dessfy Dapiferorum, Ernesto de Cziakontornia Agazonum, Gabriele de Peren Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores. (L. S.)

CLXXXIII.

Idem Rex privilegiales Kolynfalvam concernentes, confirmat. Anno Dni 1506.

Ex autographo Olaszini existente.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae etc Rex. Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod pro parte fidelium nostrorum Honorabilis et Circumspectorum Bartholomaei Plebani Ecclesiae Sancti Johannis Baptistae ac Clementis Schneller Judicis et juratorum Civium Oppidi nostri, Wallendorf *(Szepes-Olaszi)* vocati, Terrae Scepusiensis exhibitae sunt, et praesentatae nobis quaedam literae quondam Serenissimi Principis, Dni Sigismundi Regis Hungariae etc nostri praedecessoris bonae memoriae, patenter in pargameno confectae, sigilloque ejusdem subimpresso communitae, de et super collatione perpetuali Civium Villae, Kolynfalva nuncupatae, dictae Terrae Scepusiensis, annotatae Ecclesiae Sancti Johannis et ejus Plebanis seu Rectoribus pro tempore praesidentibus, pro Missa perpetua sub modis et rationibus, inferius in tenore earundem literarum clarius contentis, facta, emanatae, tenoris infrascripti: Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae pro parte praefatorum Plebani ac Judicis, et Juratorum humiliter, ut easdem literas, ac omnia et singula in eisdem contenta, ratas, gratas, et accepta habere, literisque nostris privilegialibus inseri et inscribi facientes, pro praedicta Ecclesia Sancti Johannis Baptistae, et ejus Rectoribus innovantes, perpetuo valituras, confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Sigismundus Rex Hungariae etc V. Dipl. XCV. anni 1404. p. 146.[a]

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte annotatorum Plebani ac Judicis et juratorum Civium nostrae, modo quo supra porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer et admissa, praescriptas literas nostras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur,

a) Anno 1494 hujusce Diplomatis confirmatio aeque facta est. V. Wagner P. I. p. 287.

acceptamus, approbamus, et ratificamus; easque nihilominus et omnia in eisdem contenta, pro praefata Ecclesia Sancti Johannis Baptistae et ejus Plebanis, sive Rectoribus innovandas, perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante, salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici duplicis Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo patris Dni Thomae Sancti Martini in Montibus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Strigoniensis, Summique Secretarii, Aulae nostrae Cancellarii, fidelis nostri sincere dilecti, Vigesima quinta die Mensis Februarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexto. Regnorum nostrorum Hungariae etc anno sexto decimo. Bohemiae vero tricessimo sexto. Reverendissimis et Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: eodem Thoma Strigoniensi, Hyppolitho Estensi de Aragonia, Sanctae Luciae in Silice Diacono, Agriensi, Petro titulo Sancti Ciriaci in Thermis Presbytero, Vesprimiensi, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus. Item Georgio de Frangepanibus Archiepiscopo Colocensi et Bachiensi, Ecclesiarum canonice unitarum, Luca Zagrabiensi, Transsilvaniensi Sede vacante. Sigismundo Thurzo electo et confirmato Varadiensi, Georgio Quinque — Ecclesiensi, Francisco Jauriensi, Nicolao de Chák Chanadiensi, altero Nicolao de Bathor Vaciensi, Stephano Nitriensi, Johanne Orszagh de Bathor, electo Sirmiensi, Michaeli Keszereo, electo et confirmato Bosnensi, Brictio Tinniensi, et Jacobo Szegniensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis: Emerico de Peren, Comite perpetuo Abaujvariensi, ac Regni nostri Hungariae Palatino, et Judice Cumanorum nostrorum; Petro Comite de Bozyn et Sancto Georgio Judice Curiae nostrae, et Wajwoda Transsilvan., Andrea Both de Banya, et Marco Horvath de Kaminekath, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banis, Josa de Som Comite Themessiensi, ac Partium Regni nostri inferiorum Capitaneo Generali. Jacobo de Gerlicze, et Barnaba de Bela Tevriniensi Banis, Blasio de Raska Tzavernicorum, Moyse Breczlay de Gergelaka Janitorum, Michaele de Paloch Pincernarum, Emerico de Dees Dapiferorum, Georgio de Bathor Agazonum, Gabriele de Peren Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CLXXXIV.

Idem Rex Sigismundi Regis privilegiales, Civibus Olasziensibus elargitas, confirmat. Anno Dni 1507.

Ex authographo apud eosdem existente.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae etc Rex. Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter ac futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod pro parte, et in personis fidelium nostrorum prudentum et Circumspectorum Virorum, Andreae Tabisdorffer Judicis ac juratorum Civium, et Inhabitatorum Civitatis nostrae, Villa Latina *(Szepes-Olaszi)* vocatae, in Terra Scepusiensi habitae, exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae olim Serenissimi Principis, Dni Sigismundi Romanorum ac Hungariae etc Regis Praedecessoris nostri felicis reminiscentiae, in pargameno sub duplici Sigillo suo privilegialiter confectae, quibus mediantibus idem quondam Dominus Sigismundus Rex, quasdam literas Capituli Ecclesiae Scepusiensis, super reambulatione metarum ejusdem Civitatis nostrae, similiter privilegialiter emanatas approbare, et confirmare dignoscebatur, tenoris infrascripti: Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae, pro parte dictorum Andreae Judicis, ac Civium et Inhabitatorum praefatae Civitatis nostrae humiliter, ut easdem literas ipsius quondam Domini Sigismundi Regis ratas, gratas, et acceptas habentes, literisque nostris similiter privilegialibus verbotenus inseri et inscribi facientes, approbare, ac pro dicta Civitate nostra, Villa Latina, Civibusque et Inhabitatoribus ejusdem innovantes, perpetuo valituras, confirmare dignaremur: Quarum tenor talis est:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex etc. V. Diplom. CXXVI. Anni 1419. pag. 211.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte antefatorum Andreae Judicis, ac Civium et Inhabitatorum dictae Civitatis nostrae Villae Latinae, nostrae modo, quo supra porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer et admissa, praescriptas literas annotati quondam Domini Sigismundi Regis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omnino integras, omnique prorsus vitio et suspicione carentes, et praesentibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali

insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos acceptamus, approbamus, et ratificamus; easque nihilominus et omnia in eisdem contenta, pro memorata Civitate nostra, Villa Latina, ac universis Civibus et inhabitatoribus ejusdem innovantes, perpetuo valituras, confirmamus praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici duplicis Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, Dni Thomae, titulo Sancti Martini in Montibus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Strigoniensis, Summi et Secretarii, Aulae nostrae Cancellarii, fidelis nostri sincere dilecti, Vigesima secunda Mensis Maji. Anno Dni Millesimo quingentesimo septimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc Anno decimo septimo, Bohemiae vero vigesimo sexto. Reverendissimis et Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: eodem Thoma Strigoniensi, Hypolito Esten. de Aragonia, titulo Sanctae Luciae in Silice, Agriensi,[a] Petro S. R. E. Sancti Cyriaci in Thermis Vesprimiensi (reliqui ut supra notati, eo excepto, quod post Nicolaum de Chák sequatur) Johanne Gozthon, electo Vaciensi, — Item Spectabili et Magnificis, Emerico de Perén, Comite perpetuo Abaujvariensi etc ut supra, ea cum observatione, quod Josa de Som hoc in Diplomate, Partium Regni inferiorum Capitaneus Generalis, non notetur. Post Georgium item de Bathor legitur: Joanne Podmaniszky, et Gabriele de Peren Cubiculariorum Magistris, Ambrosio Sarkan, Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CLXXXV.

Sigismundus, Rex Poloniae Leibitziensibus novem florenorum censum remittit, titulo amissi prati Rorwiess. Anno Dni 1509.

Ex authographo apud eosdem existente.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae[a] etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quia venientes ad nostrae Majestatis praesentiam Comes et Judex, subditi nostri, suo ceterorumque incola-

a) Istvanfius de Illo scribit: „Rediit in Italiam, aut Galliam anno 1508. quo Julius II. Papa cum maximis Europae Principibus classicum canebat in Venetos, postquam mansisset in Hungaria per Septennium,“ Non subsistit vero haec ejusdem narratio, siquidem adhuc in Diplomate Anni 1511. subscriptus legatur.

a) Hic I. erat, factus Rex Poloniae anno 1506.

rum nominibus et Lewbicza *(sic)*, Bonis nostris Scepusiensibus, asseruerunt, se mirum in modum gravatos fuisse censu annuo, novem videlicet florenorum, quem quotannis solvebant Nobis a quodam prato magno, quo ipsi antea utebantur; quodque pratum ipsis jam a non modico tempore transacto, per Officiales de Késmark ablatum fuisse perhibuerunt, atque ademptum Supplicatumque Nobis humiliter, ut ipsis eundem censum, ex quo eo prato non utuntur, indulgere dignaremur. Quorum petitioni, tanquam consonae, annuentes, eisdem Incolis Leybiczensibus praefatum censum novem florenorum indulgendum duximus, indulgemusque tenore praesentium mediante: ita tamen, donec pratum idem e contra non recuperaverint, rehabuerintque. Harum, quibus sigillum nostrum est subimpressum, testimonio literarum. Datum in Conventione Generali Piotrkoviensi, Feria secunda post Dominicam Judica proximam. Anno Dni Millesimo quingentesimo nono. Regni nostri tertio.

Sigismundus Rex. m. p. Mathias D. Episcopus Przemisliensis et Regni Poloniae Vice-Cancellarius m. p.

CLXXXVI.

Popradienses Cives privilegiales suas transcribi curant. Anno Dni 1509.

Ex authographo apud ipsos habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Circumspecti Joannes Hammann, et alter Joannes Egidii Jungk, jurati Cives, et Inhabitatores Oppidi, Poprad nuncupati, Terrae Scepusiensis, in ipsorum, nec non Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium et totius Communitatis praedicti Oppidi Poprad nominibus et in personis, nostram venientes in praesentium, exhibuerunt nobis et praesentaverunt quasdam literas Serenissimi Principis, et Domini Dni Uladislai Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Regis, nec non Silesiae, et Lucemburgensis Ducis, Marchionisque Moraviae, et Lusatiae etc Domini nostri naturalis gratiosissimi adjudi-

catorias, pariter et confirmatorias, privilegialiter confectas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas aut vitiatas; sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, petentes nos iidem Joannes Hammann, et alter Joannes Egidii Jungk debita cum instantia, ut easdem in forma literarum nostrarum similiter privilegialium, de verbo ad verbum transcribi, et transumi, transumptumque earundem sub nostro Sigillo ipsis, et dictis Judici, Juratis et Inhabitatoribus ac toti Communitati Oppidi Poprad dare, et concedere dignaremur, juris ipsorum uberiorem ad cautelam. Quarum tenor talis est:

Wladislaus, Dei gratia Hungariae V. Diplom. CLXXXII. anni 1505. pag. 316.

Nos Laurentius de Hedervara V. Dipl. CXLVIII. Anni 1439 pag. 257.

Nos igitur justis et legitimis petitionibus praefatorum Joannis Hammann, et alterius Joannis Egidii Jungk ipsorum, nec non Judicis, Juratorum, ac totius Communitatis praedicti Oppidi Poprad nominibus et in personis porrectis, inclinati, praemissas literas praefati Domini nostri Regis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, aut vitiatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transcribi, et transumi facientes, ac in formam praesentium literarum nostrarum, similiter privilegialium, redigi facientes, uberiorem ipsorum Civium de Poprad juris ad cautelam, eisdem duximus concedendas. Datum Feria secunda proxima post Festum beati Egidii Abbatis et Confessoris. Anno Domini Millesimo quingentesimo nono.

CLXXXVII.

Uladislaus Hung. etc Rex Varaliensium privilegia confirmat. Anno Dni 1511.

Ex authographo ibidem habito.

WLADISLAUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae etc Rex. Omnibus Christi fidelibus praesentibus, pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod fideles nostri Circumspecti Egidius literatus, et Jacobus Quentzler, cives Oppidi nostri Suburbii Castri Scepu-

*

siensis, alias Varalia nuncupati, nostrae Majestatis accedentes in praesentiam, in eorum ac ceterorum civium et hospitum, totiusque Communitatis ejusdem Oppidi nostri nominibus et personis exhibuerunt nobis, et praesentaverunt quasdam quinas literas, binas videlicet olim Serenissimi Principis, Dni Sigismundi Romanorum ac Hungariae etc Regis, super quadam silva, Branissa vocata, qua ipsum Oppidum nostrum semper et ab antiquo uteretur; Item super quadam specialis gratiae praerogativa, eidem Oppido nostro, alias per eundem olim Dnum Sigismundum Regem facta, ut illius Inhabitatores in universis et singulis silvis liberis, et in silvis maiori et minori Tarcz, ac monte humili Oryn et Kirchberg, in Comitatu Scepusiensi existentibus, ligna pro eorum usu, aedificatione et reformatione domorum, curiarum et aedificiorum eorundem necessaria, apta et sufficientia secandi, et deportandi, haberent plenam potestatis facultatem. Alias vero similiter binas quondam Serenissimi Dni Ladislai, similiter Regis Hungariae etc, praedecessorum nostrorum felicis recordationis, super nundinis seu Foris annualibus pro Festo Nativitatis beatissimae Mariae Virginis, et similiter foris hebdomadalibus, singulis feriis quintis in eodem Oppido nostro celebrari concessis: praeterea quasdam alias literas ejusdem condam Dni Ladislai Regis, super exemptione perpetua dicti Oppidi nostri a solutione tributi in Villa K*ul*lynfalva *(h. Kolinócz)*, nuncupata, exigi soliti, sub eorundem quondam Regum Sigillis patenter omnes, praeter praetactas primas in pargameno confectas et emanatas, tenorum infrascriptorum: Supplicantes Majestati nostrae humiliter, ut easdem quinas literas ratas, gratas, et acceptas habere, literisque nostris privilegialibus verbotenus inseri et inscribi facere, easque et omnia in eisdem contenta, pro dictis civibus et hospitibus, totaque Communitate Oppidi nostri praedicti, et haeredibus ac successoribus ipsorum universis innovantes, perpetuo valituras, roborare et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor talis est:

Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex etc V. Diplom. CX. Anni 1412. pag. 176. et CXXXVIII. Anni 1433. pag. 237.

Nos Ladislaus — Rex Hung etc V. Diplom CLXII. Anni 1456. pag. 280.

Nos igitur praemissa supplicatione praefatorum Aegidii Literati, et Jacobi Quentzler, in eorum, ut praefertur, ac ceterorum Civium et hospitum, totiusque Communitatis Oppidi nostri praefati, nostrae superinde propterea porrecta Majestati, benigne exaudita, clementer et admissa, praescriptas quinas literas, tam videlicet praefati olim Domini Sigismundi, quam iam dicti

quondam Ladislai Regum, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione, et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus, et ratificamus, easque et omnia in eisdem contenta, pro dictis civibus et hospitibus, ac toto praedicto Oppido nostro, eorumque haeredibus et successoribus universis innovantes, perpetuo valituras, roboramus et confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras, pendentis et authentici dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas, duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, Dni Thomae, titulo Sancti Martini in Montibus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Strigoniensis, ac Patriarchae Constantinopolitani, Primatis Hungariae et Apostolicae Sedis Legati nati, nec non Summi Aulae nostrae Cancellarii et Compatris nostri Charissimi, quinta die Mensis Septembris, Anno Dni Millesimo quingentesimo undecimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc Vigesimo secundo, Bohemiae vero quadragesimo secundo. Reverendissimis et Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: eodem Thoma Strigoniensi, Hyppolyto Estensi, de Aragonia, titulo Sanctae Luciae in Silice Diacono, Agriensi, et Petro titulo Sancti Ciriaci in Thermis Presbytero, Wesprimiensi, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus. Gregorio de Frangepanibus, Archiepiscopo Colocensi et Bachiensi Ecclesiarum canonice unitarum, Zagrabiensi Sede vacante, Francisco Peren, electo Albensi, Sigismundo Thurzo Varadiensi, Georgio Quinque — Ecclesiensi Secretario Cancellario nostro, Johanne Gozthon electo et confirmato Jaurien. Francisco electo et confirmato Vacien. Nicolao de Chák electo et confirmato Tinniniensi, Michaele Kessereő electo et confirmato Boznensi, Simone Modrusiensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis: Emerico de Peren, Comite perpetuo Abaujwariensi, et Regni nostri Hungariae Palatino, Judiceque Cumanorum, Petro Comite de Bozyn et de Sancto Georgio, Judice Curiae nostrae, Stanislao de Bathor, Comite Themessiensi, Michaele de Pakos, et Barnaba de Bela Zewriniensi Banis, Blasio de Raska Tavernicorum, Moyse Buslay *(sic)* de Gergel/aka Janitorum, Johanne Dragffy de Beltewk Pincernarum, Ladislao Buslay *(sic)* Dapiferorum, Georgio de Bathor Agazonum, Gabriele de Peren, et

Joanne Podmaniczky Comite Posoniensi, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

CLXXXVIII.

Idem Rex Oppido Varalia concedit nundinas statis temporibus celebrare. Anno Dni 1511.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Wladislaus, Dei gratia Rex Hungariae etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Nos cum ad humillimae supplicationis instantiam fidelium nostrorum Aegidii literati, et Jacobi Quenczler dicti, in eorum ac ceterorum universorum Civium, Hospitum et Incolarum Oppidi nostri Suburbii Castri Scepusiensis, alias Varalia vocati, nominibus nostrae propterea Majestati, tum etiam pro commodo, et utilitate Regni nostri Hungariae, et Incolarum ejusdem Oppidi nostri, ut illud populorum multitudine, simul et opibus augeri possit, maxime vero ob respectum perpessionis dam⁄norum, quae superioribus annis, dum scilicet hoc Regnum nostrum Hungariae Bohemi invaserant, per eosdem ipsis Civibus et Inhabitatoribus ejusdem Oppidi irrogata fuerunt; ad idem Oppidum nostrum Nundinas liberas seu Forum annuale liberum, singulis Festivitatibus Ascensionis Domini, aliisque diebus easdem Festivitates praecedentibus et sequentibus, ad id scilicet necessario aptis et sufficientibus, omni anno omnino sub eisdem libertatibus et praerogativis, quibus Nundinae seu Fora annualia aliarum Civitatum nostrarum Regalium seu Oppidorum et Villarum celebrantur, eisdem perpetuo celebrari duximus annuendum et concedendum. Quibus quidem Nundinis licet et olim condam Serenissimorum Regum Hungariae, nostrorum scilicet praedecessorum, concessione usi, et gavisi fuerint; praedictis tamen disturbiorum temporibus, per dictas Bohemorum invasiones, privilegia eorum super ipsis Nundinis habita, amittendo, et perdendo, eaedem tandem nundinae abolitae fuissent; imo annuimus et concedimus praesentium per vigorem, absque tamen praejudicio nundinarum, seu Fororum annualium liberorum aliorum. Quocirca Vos Fideles nostros universos et singulos Mercatores, Institores, et alios forenses homines, atque viatores quoslibet, praesentium notitiam habituros, praesentibus affidamus,

assecuramus et certificamus, ac securos efficere volumus, quatenus ad praedictas Nundinas seu forum annuale liberum, per Nos in praedicto Oppidi Suburbii Castri Scepusiensis, alias Varalia vocato, perpetue, ut praemisimus, celebrari concessas et concessum etc (ut supra anno 1456.) Datum Budae Feria quinta proxima ante Festum nativitatis beatissimae Mariae Virginis. Anno Dni Millesimo quingentesimo undecimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc Vigesimo secundo, Bohemiae vero quadragesimo secundo.[a]

CLXXXIX.

Idem Rex, Olasziensibus Nundinas et forum habdomadale celebrari concedit. Anno Dni 1512.

Ex authographo ibidem habito.

NOS Wladislaus, Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc. memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod nos cum ad humillimae supplicationis instantiam fidelium nostrorum Judicis et juratorum Civium ac totius Communitatis Oppidi Majestatis, nostrae, Olaszi vocati, nostrae per eos porrectae Majestati, tum vero pro commodo et utilitate ipsius Oppidi nostri, in terra Scepusiensi existentis, ad ipsum Oppidum nundinas liberas, seu fora anualia libera, singulis Festivitatibus, secundo die videlicet Paschae ac Nativitatis Sanctae Joannis Baptistae, ac beati Leonardi Confessoris, aliisque diebus ipsas Festivitates praecedentibus et sequentibus, ad id scilicet aptis et sufficientibus omni anno; item Forum hebdomadale similiter liberum, singulis Feriis secundis in qualibet hebdomada omnino sub eisdem libertatibus et privilegiis, quibus nundinae seu fora annualia, sed et hebdomadalia aliarum Civitatum, et Oppidorum quorumcunque celebrantur, seu celebrari solent, perpetuo celebrari duximus gratiose annuendum et concedendum, imo annuimus et concedimus praesentium per vigorem, absque tamen praejudicio nundinarum seu fororum annualium et hebdomadalium liberorum quorumcunque. Quocirca vos universos et singulos Mercatores, Institores, et Forenses homines

---

a) Idem Rex Varalliensibus anno 1512, alteras Festo Conceptionis beatae Mariae Virg. tertias in Dominica Laetare celebrari nundinas, simili tenore concessit.

atque viatores quoslibet, serie praesentium affidamus, assecuramus etc etc (Stylus hoc in passu communis.) Datum Budae in Festo Omnium Sanctorum. Anno Dni Millesimo quingentesimo duodecimo. Regnorum nostrorum Hungariae anno Vigesimo tertio, Bohemiae vero Quadragesimo tertio. (L. S.)

CXC.

Compositio Amicabilis inter Nobiles Tothfalven. et Oppidum Bela, ratione metalis fluvii Bielbach. Anno Dni 1516.

Ex authographo Belae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Nobiles Caspar. Andreas et Melchior de T*h*otfalva ab una parte, onera et quaelibet gravamina universorum Fratrum suorum carnalium, videlicet Stephani et Benedicti super se assumendo, parte vero de altera Circumspecti et Providi Franciscus Boczfrenczel Judex, et Stephanus Frank, juratus de Bela, in personis, sua omniumque juratorum Civium ac totius Communitatis de eadem Bela, quos infrascriptum tangeret negotium, ad eadem infra scripta, inviolabiliter observanda, in se assumentes, coram Nobis sponte et libere confessi sunt in hunc modum, prius matura inter se deliberatione praehabita, propter tranquillam et commodi pacis, juxta arbitrativam bonorum virorum compositionem et ordinationem super quadam meta fluvii B*y*elbach alias Busthovka nuncupata; qui fluvius est meta distingvens metas partium praescriptarum, talem aeviternam et sempiternam fecerunt concordiam pari voluntate: Quod a modo et in posterum dicti fluvii sive rippae medietas habeatur pro vera meta: casu vero, si contingeret per violentiam sive inundationem aquarum meatum saepedicti fluvii, de dicto meatu fluvii, exire, et ad alium meatum deducere: tunc ambae partes debent succurrere, ne per impetum aquae vel deductionem aliquorum arborum, et lignorum contingeret alium meatum facere, eundem fluvium ad locum proprium sive meatum priorem reducere. Vias etiam unaquaeque partium in sua parte assumpserunt reformare; pontem similiter, in praenominato fluvio existentem habitum, partibus ab ambabus reformare, pariter consenserunt. Assumentes nihilominus

partes saepe nominatae dictam concordiam arbitrativa sub poena et obligamine ducentorum florenorum hungaricalium inviolabiliter observare et tenere perpetuis temporibus. Si vero aliqua partium hujusmodi compositionem et ordinationem servare recusaret, nollet aut non curaret: extunc pars illa non observans, ante ingressum litis poenam praescriptam irremissibiliter reponere debeat et teneatur, difficultate qualibet postposita. Harum literarum nostrarum Sigilli nostri autentici pendentis per vigorem. Anno Dni Millesimo quingentesimo decimo sexto, (L. S. p.)

CXCI.

Fassionales super aedificata per XIII. Oppidanos porta in Podolin. Anno Dni 1518.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Circumspectus Matthaeus Roth Judex, et Paulus Scultetus, Civitatis Podolinensis, nostrum venerunt in conspectum personaliter, et exhibuerunt coram Nobis quatuor literas testimoniales papyreas Egregii Matthaei Holly de Miska Lomniczka[a], secundas Matthaei Gronowski, Vice-Capitanei Podolinensis, tertias Nobilis Pauli Lomniczki, nec non populorum de eadem, et quartas Servatii Comitis et Juratorum in Villa Toporcz commorantium, et infra sigillo impressive consignatas, papyroque desuper, more consueto, coopertas, tenorum, subscriptionum et continentiarum, inferius post se exaratarum, petentes Nos debita precum instantia, quatenus easdem verbotenus inscribi faceremus, inscriptumque earundem in nostris literis extradaremus: Quarum literarum unius scilicet Matthaei Holly tenor talis: Ego Matthaeus Holly, Dnus et haeres in Miska Lomniczka, recognosco per praesentes universis et singulis, quod Judex et jurati sui Cives Podolinenses meam venerunt in praesentiam Sabbatho proximo ante Festum Sancti Valentini propter testimonium praesens factum in Castro Podolinensi, ipso die Sancti Mathiae Apostoli, per Thomam Comitem antiquum, ac Benedictum Brancsii Comi-

a) Seu Parvum Lomnicz, indubie a Matthaeo Holli, Hollo-Lomnicz est ita nuncupatum.

tem modernum in eadem Miska Lomniczka, qui dicti Comites in mea praesentia supra dictorum Judicis et suorum juratorum recognoverunt sub fide Christiana et conscientia bona, quomodo eis veraciter constat, et notum est: quod ipsae tredecim Civitates aedificaverunt in praedicta Civitate Podolinensi Bastam *(sic)* in porta inferiori. In cujus rei testimonium, et robur omnium praescriptorum, sigillum meum praesentibus est impressum. Datum in eadem supradicta Lomniczka, die ut supra, anno Millesimo quingentesimo octavo. Mathias Holly. m. p. — Gronowski sensus est iste: Coram me convenerunt jurati Podolinenses, supplicatum me, ut recognitionem acciperem a Magnifico Dno nostro gratiosissimo, quod feci causa petitorum illorum. Ipsi enim venerunt non compulsi, sed benevolenter, quorum nomina sequuntur: Thomas Portulanus de inferiori Basta, secundus Stiborius, antiquus pedita, qui nunc moratur in hospitali, sed adhuc existens in senitate, recognovit: quod Comes una cum Judicibus tredecim Civitatum aedificaverunt eandem Bastam in inferiori porta. In cujus rei testimonium et robur praescriptorum omnium sigillum meum praesentibus est submissum, propter melius testimonium partibus supplicantibus datum, in Castro Podolinecz, Sabbatho ante Festum Valentini, anno Dni Millesimo quingentesimo octavo. Mathias Grosnowski, Vice-Capitaneus Podolinensis. mp. — Tertio Nobilium Pauli et Michaelis sententia est haec: Nos Paulus Lumniczky et Micheal nobiles et haeredes in Lomniczka parva, una cum civibus antiquis de eadem Lomniczka[b] publice recognoscimus per praesentem paginam, sub fide Christiana et conscientia bona, quomodo nobis constat, et veraciter notum est, quod Comes et Judex XIII. Civitatum, a genitore nostro Georgio, felicis memoriae, ligna apparaverunt, et emerunt per Judicem de Bela Benedictum, ad Bastam in Civitate Podolinensi, in porta inferiori, quam et ipsi aedificarunt propriis laboribus et expensis. In cujus rei testimonium et robur omnium praetactorum sigillum nostrum est submissum. Datum in Lomniczka parva Sabbatho ante Festum Valentini Martyris, anno Dni 1508. — Quarto: videlicet Servatii Comitis et juratorum Villae Toporcz: Recognoscimus universis et singulis cum hacce praesenti: quomodo in praesentiam nostram venerunt Cives Podolinenses, citaveruntque concives nostros, videlicet Jacobum, Lutorem antiquum, et Blasium antiquum, qui recognoverunt sub fide bona et conscientiis eorum, ut eis bene constat, quod ipsae XIII. Civitates aedificave-

b) Parvae Lomnicz Coloni, ad suos Nobiles spectantes, Cives nunquam fuere.

runt in Podolino Bastam in porta inferiori. In cujus rei testimoninm ac evidentiam sunt praesentia roborata per Sigillum nostrum submissum. Datum ex Toporcz Sabatho ante Festum Valentini, anno 1508. Nos itaque petitionibus Mathaei Roth et Pauli Sculteti, uti justis ac juri consonis, inclinati, communi justitia in hac parte suadente, praescriptas literas non vitiatas, non in aliqua sui partium suspectas sive corruptas, imo omnium suspicionum vitio destitutas, verbotenus sine diminutione praesentibus literis privilegialibus pendenti sigillo nostro assignatis, inseri facientes, easdem praefatis Mathiae Roth, ac Paulo Sculteto, totique Civitati Podolinensi concedimus ad cautelam uberiorem. Datum in Festo beatae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quingentesimo decimo octavo.

CXCII.

Ludovicus II. Rex Hung. Igloviensis Civitatis privilegia, fora tangentia, confirmat. Anno Dni 1519.

Ex autographo ibidem habito.

LUDOVICUS, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque etc Rex, nec non Silesiae, Lusatiae ac Lucemburgensis Dux, Marchioque Moraviae: Omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium inhabitatorum novae Civitatis nostrae, Iglow vocatae, Terrae nostrae Scepusiensis, exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam ternae literae privilegiales, Ludovici, Regis Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc super annuentiam fori hebdomadalis, in singulis diebus Sabbathis in eadem Civitate nostra perpetuo celebrandis; praeterea aliae binae literae Serenissimi Principis quondam Dni Wladislai, similiter Regis Hungariae et Bohemiae, genitoris nostri carissimi, felicis recordationis, quasdam binas literas privilegiales Sacratissimi Principis condam Dni Sigismundi Imperatoris Romanorum semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc Regis, super annuentia certarum nundinarum, et item fori hebdomadalis

*

in singulis Feriis secundis[a] in dicta nova Civitate nostra Iglow celebrandarum, nec non erectione, consignatione et renovatione metarum latius expressis, in se confirmative continentes, patenter in pargameno confectae et emanatae, Sigillisque suis autenticis munitae, tenorum infrascriptorum: supplicatum itaque extitit Majestati nostrae in personis eorundem Civium nostrorum et inhabitatorum loci praedicti humillime, ut ipsas literas quondam Dni Ludovici et Wladislai Regum praedictorum ratas, gratas et acceptas habere, literisque nostris privilegialibus verbotenus inseri et inscribi facere, ac eas et omnia in iis contenta, pro eisdem Civibus nostris et tota Communitate innovando, perpetuo valituras, roborare et confirmare dignaremur: Quarum quidem literarum dicti condam Ludovici Regis talis est:

Nos Ludovicus, Dei gratia — etc V. Diplom. LXXXVII. Anni 1380. p. 134.

Alterius: Wladislaus — etc V. Dipl. CLXXVI. Anni 1499. pag. 305.

Tertiarum: Nos Sigismundus Imperator etc V. Wagner P. I. pag. 219.

Nos igitur praemissa supplicatione nostrae pro parte et in personis praefatorum Civium et universorum inhabitatorum, et Communitatis praescriptae Civitatis nostrae Iglow porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer et admissa, praescriptas literas privilegiales, tam videlicet dicti condam Ludovici, quam etiam ipsius quondam Wladislai Regum non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque literis nostris, similiter privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus, easque et omnia in eis contenta pro praefatis Civibus et inhabitatoribus, eorumque posteritatibus innovando, perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales secreti Sigilli nostri, quo ut Rex Hungariae utimur appensione munitas et roboratas duximus concedendas. Datum Budae die vigesima nona mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo decimo nono. Regnorum nostrorum Hungariae et Bohemiae praedictorum anno tertio.

---

a) Hodie ibidem hebdomadale forum die Sabbathi dumtaxat celebratur.

CXCIII.

Joannes Rex Hung. Melchiorem Warkocz Késmarkiensibus audiendum commendat. Anno Dni 1527.

Ex autographo ibidem habito.

Commissio propria Domini Regis.

JOANNES, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Prudentes et Circumspecti fideles, Nobis dilecti. Misimus ad vos, vestrumque in medium hunc fidelem nostrum Egregium Melchiorem Warkocz, alias Officialem Vestrum in certis nostris negotiis vobis nomine nostro referendis. Quapropter Fidelitates vestras, tanquam Dnus vester naturalis et haereditarius harum serie hortamur, vobisque strictissime etiam committimus, quatenus acceptis praesentibus, dictis et relationibus ejusdem Warko*ch* non solum credere, verum etiam ea, quae vobis nomine nostro facienda commiserit, secus facere non praesumatis. Datum in castris nostris prope Mozii metatis, Sabbatho proximo post Festum decollationis Sancti Joannis Baptistae. Anno Dni Millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

CXCIV.

Ferdinandus I. Hung. Rex Oppidum Gölnicz omnibus cum emolumentis Alexio Thurzo confert. Anno Dni 1527.

Ex autographo ibidem habito.

FERDINANDUS, Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc Fidelibus nostris Prudentibus et Circumspectis Judici et Juratis, ceterisque Civibus et incolis universis Oppidi Gelnicz salutem et gratiam. Compertum est vobis, qualiter Joannes de Zapolya, Comes Scepusiensis, contra jura nostra se in Regem Hungariae creandum duxerat[a] atque ipse proximis

a) Fuit anno 1526. die 11. Novemb. per quosdam factiosos Albae Regali inauguratus. Quid Wolffgangus Aethlen in Histor. Transylv. L. I. pag. 13. Nicol. Istvanffy L. VIII. pag. 123. Caspar Heltai de vita Ludovici II. versione latina pag. 206. Eusebius Verini Coment. juridica pag. 114, demum Adam. Franc. Kollar in Supplement. ad Petri Lambecii Coment. Biblioth. Vindobon. P. I. pag. 711, scribant, legere non pigeat.

his diebus, quando Nos in hoc Regnum nostrum sumus ingressi, contra Nos arma ceperat, sitque iam per exercitus nostros profligatus. Unde per notam infidelitatis universa ejus bona ad sacram Regiam hujus nostri Hungariae Coronam, et consequenter collationem nostram Regiam sunt devoluta et redacta. Nos vero habentes debitum respectum ad fidelitatem, servitiaque fidelia fidelis nostri Magnifici Alexii Thurzo de Bethlenfalva, Tavernicorum nostrorum Regalium Magistri, Oppidum illud Gölnicz simul cum emolumentis omnibus ac pertinentiis quibuslibet eidem, suisque haeredibus et posteritatibus universis in perpetuum dedimus et contulimus. Itaque committimus et mandamus vobis et unicuique vestrum harum serie firmissime et sub poena gravissima indignationis nostrae, ut sicut fideles subditos nostros, hominibus ejusdem Alexii Thurzo, quos cum praesentibus ad occupandum Oppidum istud, ejusque pertinentias miserit, obedientes esse, et in omnibus uti decet, probos et honestos viros morem gerere, praefatumque Alexium Thurzo pro Domino vestro naturali recognoscere debeatis et teneamini. Aliud in his nulla ratione feceritis. Daum Budae in Dominca proxima ante Festum beati Galli Confessoris. Anno Dni Millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Ferdinandus, m. p.

CXCV.

Joannes Katzianer, summus Ferdinandei exercitus Capitaneus, Késmarkinum in obedientiam Regis accedens, in tutelam suscipit. Anno Dni 1528.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Johannes Katzianer, Eques auratus, Consiliarius ac totius exercitus Capitaneus Serenissimi ac potentistimi Principis et Domini Dni Ferdinandi, Dei gratia Regis Hungariae etc Archiducis Austriae etc universis et singulis Capitaneis, Locumtenentibus, Centurionibus, Decurionibus, Antesignanis, ceterisque Officialibus quibuscumque Regiae Majestatis tam pedestrium, quam equestrium, et generaliter omnibus hominibus, militaribus, equestris et pedestris ordinis, cujusvis status seu conditionis existerent, salutem et benevolentiam nostram. Quoniam Universitas tota Civitatis Caseo — forensis *(h. Késmark)* ad fidelitatem et obedientiam Regiae

Majestatis praedictae jam pridem accesserit, seque deinceps pro Serenissimo Rege, et contra hostes ejusdem fore et adsistere velle promiserit. Eapropter, nomine et loco Regiae Majestatis praefatae, eandem Civitatem Caseoforensem in omnibus possessionibus rebus et bonis suis et suorum universis, praenominatae Regiae Majestatis ad tutelam suscipiendam et acceptandam duximus, sicut suscipimus et acceptamus per praesentes. Quocirca vobis, et cuilibet vestrum, nomine Majestatis suae praedictae, harum serie committimus, nostro ipsos vero rogamus et requirimus, ut praefatae Civitatis Cives et inhabitatores universos, violenter in rebus, bonis, et personis suorum, contra hujus protectionis tenorem, nullo modo molestare impedire aut turbare praesumatis; sed eosdem in his quiete et pacifice absque aliquali impedimento et contradictione, manere et stare permittatis, et permitti curetis. Secus sub poena indignationis Regiae Majestatis gravissima non facturi. Datum Cassoviae in Vigilia Paschae. Anno Dni Millesimo quingentesimo vigesimo octavo. (L. S.)

CXCVI.

Stephanus de Poturnya V. Comes Scepus recognitionem super receptis in fidelitatem Ferdinandi Castris, Civitatibus, Oppidis ac Villis etc praestat. Anno Dni 1528.

Ex autographo Késmarkini habito.

NOS Stephanus de Poturnya Vice Comes Scepusiensis, Judicesque Nobilium ac tota Universitas Nobilium ejusdem Sedis: Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit. Quia Nos ex commissione speciali Serenissimi Principis Domini Dni Ferdinandi, Dei gratia Regis Hungariae et Bohemiae, Domini nostri Clementissimi, anno in praesenti ad debitam obedientiam suae Majestatis et Coronae Hungariae, Castra, Civitates, Oppida, Villas ac Dominia subjugantes et compellentes, inter alia etiam Civitatem Késmark, in eodem Comitatu Scepus, in praesentia Dni Praepositi Scepus, eo tempore Capitanei ac Civium Leuchoviensium, praedictos Cives ac Civitatem Késmark in gratiam et perpetuam fidelitatem Sacratissimae Majestatis assumpsimus: Quod Cives debita fidelitate ac reverentia dicto Serenissimo Regi, Dno eorum gratiosissimo, se

ipsos subdiderunt, et neminem olim, nisi praefatum Serenissimum Dnum Ferdinandum, Dei gratia Regem et Dnum eorum naturalem perpetue assumpserunt, et de cetero in Castro ejusdem Civitatis aliquem Capitaneum vel Officialem super se admittere volentes, scilicet cum aliis Civitatibus conjunctim Regiae Majestati ac Sacrae Coronae perpetuam fidelitatem et obedientiam perpetuis temporibus servare, sub eodem juramento corporali, in praesentia nostri polliciti sunt, ac etiam penes eorum libertates ac privilegia, quae habent, permanere debeant, et conservari. Nos praefati Comes et Universitas Nobilium ejusdem Civibus in Késmark eorum dicto Serenissimo Principi Domino Dno Ferdinando Regi etc recognitionem dari duximus, ac de praesenti dedimus, harum testimonio literarum mediante. Datum in Varallya in Sede nostra, die Dominco post Festum Assumptionis Mariae. Anno Millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

CXCVII.

Ferdinandus Rex Késmarkiensibus mandat, ut suo gentium Capitaneo Ludovico Pekri in singulis obsequantur. Anno Dni 1528.

Ex autographo per ipsos coram Barkocziana Commissione producto.

FERDINANDUS, Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc Fidelibus nostris Prudentibus et Circumspectis Judici et juratis Civibus Civitatis nostrae K*i*smark salutem et gratiam. Volumus et fidelitati vestrae harum serie mandamus firmiter, quatenus fidelem nostrum Egregium Ludovicum Pekry, Capitaneum Gentium nostrarum levis armaturae tamdiu, donec a Nobis habueritis in mandatis audire, eidemque in omnibus licitis et consuetis obedire et obtemperare, proventusque omnes de medio vestrum provenire debentes, manibus ejusdem, aut hominum suorum, per eum ad hoc deputatis. Secus facere non ausuri. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in Civitate nostra Grecz Dominico die proximo ante Festum beati Thomae Apostoli. Anni Dni Millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Ferdinandus, m. p. (L. S. secreti.)

CXCVIII.

Petrus Kosztka minatur Késmarkiensibus exilium ni ad partes Joannis Zapolya confestim transierint. Anno Dni 1530.

Ex originalibus literis ad ipsos datis.

PRUDENTES ac Circumspecti! iam vos audisse et intellexisse credimus, quod Feria sexta, proxime transacta, Allemanni, qui Castrum hoc Nedecza *(h. Nedeczvár, etiam Dunajecz)* obsederant, in quibus vos admodum speratis, actum sit; ubi Nos solum sex peditibus interfectis, Allemanni circa centum ceciderunt interfecti; et Laurentius Kosz Praedones et Berectra cum Capitibus hic amiserunt, et nisi ita celerrime aufugissent, cum Nos retro cesseramus, et vesperam expectassent, vidissent illi, et vos audissetis, quid de illis actum fuisset; adhuc vero de vobis, qui etiam eisdem Allemannis, contra Dominum vestrum naturalem et haereditarium, auxilia praestare soletis, vehementiam et tyrranidem exercere noluimus, si benevole ad Regiam Majestatem Dnum vestrum, Clementissimum Principem et haereditarium, benevole converti cupitis, antequam una cum liberis et bonis vestris pereatis. Proinde vos hortamur, ut ab ipsa vestra contumacia et protervia desistere, et ad Regiam Majestatem et ad nos pro obtinenda gratia properare debeatis: alioquin profecto, nisi vos praecise conversi fueritis, vos jam tandem una cum liberis vestris et bonis sine omni misericordia persequi et eradicare volumus, et super inde a vobis debitam mentem vestram et relationem exspectamus. Ex Arce nostra Nedecza, Dominica post Nativitatem beatae Mariae Virginis. Anno Millesimo quingentesimo tricesimo. Petrus Kosztka de Szedlecz, Regiae Majestatis Consiliarius, ac partium Regni Hungariae superiorum Capitaneus Generalis. m. p.

CXCIX.

Nicolaus Kosztka ad Késmarkienses mittit minatorias. Anno Dni 1530.

PRUDENTES ac Circumspecti Vicini, Nobis honorandi! Quantum attinet ad militem christianum (Alemannum) verum jam finem fecimus, et ideo jam vos certiores reddimus, ut quam celerrimae deditioni, idque

benevolae providentes tempori, vitae vestrae, liberorum ac conjugum vestrarum, ubi optatis inducias, usque ad Occiduum diei Crastini sitis certi, quas non modo in crastinum diei, sed in hujus quidem Occasum vobis damus. Volumus enim, ut Civitatem Regiae Majestatis Clementissimae, tanquam haereditariam, suae Majestati reddatis; videbitis, quid futurum vobis est, si jam jam contradixeritis. Certe, ut in prioribus, ita nunc fatemur, nullo generi nos parcere in expugnandis vobis volumus. Vociferabitis deditionem. Proinde super hac re volumus, quamprimum per relationem vestram certiores fieri. Ex exercitu nostro die — anno 1530. Nicolaus Kosztka de Szedlecz, partium superiorum atque exercitus Regii Capitaneus. m. p.[a)]

CC.

Matthaeus Bato aliter Basso, Castri Muran Capitaneus Késmarkiensibus appromittit contra Leutschovienses auxilium. Anno D. 1531.

Ex eodem fonte.

POST salutem et nostri commendationem Prudentes et Circumspecti Amici, Nobis honorandi! Ex literis vestris insolentias et grassationes Civium Leutschoviensium perspicue intellexi. Non possum satis mirari, quod illi boni Cives neque Deum neque Principem habere volunt, quod etiam induciis inter Principes contractis, obedire nolint, nisi forte literae Capitanei Wilhelmi Rogendorfer nondum ad eos allatae erant. Nos quidem certissime scimus id, quod Nuncius Quintus Cassoviam tales literas inducirarum allaturus est. Sic igitur Dominationes Vestrae agant, ut hactenus. Sitis Vigiles: intra tres vel quatuor dies bene cognoscemus, si Leutschovienses ipsis induciis parere voluerint vel non? Si contingeret illos contra authoritatem Principum, propria quadam praesumptuositate, hostilitates et inimicitias inferre velle, fiat sicut volunt. Nos itidem in Dei nomine contra illos pariter insurgemus.[a)] Obligamus nos vobis fide nostra christiana, quod ubi ipsos hostes contra vos esse intellexerimus, modo vel per unum puerum

---

a) Eadem Civitas per Nicolaum Kosztka expugnata est. V. Wagner P. II. pag. 204.

a) Patet hinc, Leutschovienses Ferdinando Regi fideles mansisse.

nos certiores reddere possetis, illico tum nostris, tum Amicorum nostrorum viribus assumtis, in subsidium vestri proficisci volumus, vel ipsa hora ad vos parati venire fuissemus. Nihilominus sic nobis consuetius visum est, ne demus occasionem illis rixandi: forte enim deinceps ita se se excusarent; sed nos, qui antea inducias intelleximus, rursus nova expeditione bellum illis indixissemus, ut sic nolentes, ipsi quoque bellassent. Proinde melius est, ut ab illis futura expectemus. Rogamus etiam vos tanquam fratres et bonos vicinos, animo sitis constantes, neque illos timeatis. Nam si etiam tribus vel quatuor millibus hominum millitantium contra illos opus erit, intra octo dies ex Buda habere poterimus. Itaque si Leutschovienses bonae paci non consuluerint, non ex nobis, sed de jure fiet, ut tota Leutschovia in cinerem et pulverem redigatur. Hodie venit homo noster ex Buda, qui retulit, quomodo ex Vienna plures mercatores et Negotiatores Buda veniunt similiter ex Buda in Germaniam quisque libere proficiscitur, ex inimicis amici facti, tanquam fratres vivunt. Sciatis autem certissime, quod Serenissimus Rex noster (Joannes Zapolya) promisit toti Germaniae, a Caesare Turcarum pacem impetrare, de quo Rex Ferdinandus Bohemiae multum gavisus est. Fiat omnino inter Principes fraterna pax. Itaque Rex Johannes Hungariae, Rex vero Ferdinandus Bohemiae, bene contenti erunt. Leutschovienses ipsi somnient, qualitercunque volunt; sed profecto juxta eorum demerita scandalisabuntur. Valere Dominationes Vestras optamus. Datum ex Arce Murany 30. Januarii. Millesimo quingentesimo trigesimo primo. Matthaeus Ba*th*o, Capitaneus Castri Murany. m. p.

CCI.

Sigismundus I. Poloniae Rex, Kesmarkiensibus mandat, ne sine annuentia Aulici sui Smolikowski in Civitatem recipiant grassatores. Anno Dni 1532.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Prussiae, Massoviae etc. Dominus et haeres. Famati et Nobis dilecti! Retulit Nobis Smolikowski, Aulicus noster, quem isthic sub hoc tempore Judiciarium, et ad custodiam ipsius Civitatis, nobis com-

*

missae, constituimus, quod quidam publici grassatores[a] in eandem Civitatem Késmark saepius venire, et in ea receptari soliti sunt, quod nobis valde est molestum. Itaque prospicere volentes, ne ea Civitas propter eosdem grassatores, vel alios homines exteros aliquod discrimen incurrat, mandamus vobis, ut sine scientia et consensu praedicti Aulici nostri Smolikowski, nullos homines prorsus extraneos hospitiis excipere seu acceptare praesumatis. Pro fide vestra et gratia nostra non aliter facturi. Datum Cassoviae 1-a Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo secundo, Regni vero nostri anno vigesimo sexto.

Sigismundus, m. p. (L. S.)

CCII.

Sigismundus, I. Rex Poloniae Ferdinandi Regis Officiales requirit, ne quid hostilitatis in suis bonis patrare patiantur. Anno D. 1536.

Ex eodem fonte.

MAGNIFICIS, Egregiis ac Nobilibus Capitaneis, et praefectis gentium Serenissimi Domini Ferdinandi Romanorum, Hungariae et Bohemiae Regis, sincere Nobis dilectis. Magnifici, Egregii et Nobiles Nobis dilecti! Etsi nil dubitemus Dominationes Vestras mandato Serenissimi Dni Romanorum, Hungariae et Bohemiae Regis induciarum tempus in Hungaria, a bello in quovis certamine quieturas, Castraque Nobis ac Illustri Principi, Georgio Duci Saxoniae[a] Custodiae comissa, neque infestaturas, neque turbaturas esse; ne tamen in ista Copiarum Collectione, quae tunc sub tempore induciarum fieri dicitur, officio nostro deesse velle videamur, Dominationes Vestras praesentibus hortamur, et monemus, ut quocunque in loco fuerint simul et sejuncti ad invicem, rationem habeant non solum induciarum, sed nostri etiam et Illmi Dni Ducis Saxoniae dignitatis et auctoritatis, ne forte quid contra decorum, ex parte recepta a quopiam temere in jure et quiete Castrorum, nobis creditorum committatur. Facturae Dominationes Vestrae rem, et Nobis gratam et officio bonorum Praefatorum

a) Muranienses pro talibus ea tempestate habebantur, qui Scepusium graviter devastarunt.

a) Steterat is a partibus Joannis Zapolya.

dignam. Datum Cracoviae 1-a Martii. Anno Millesimo quingentesimo tricesimo secundo. Regni nostri vicesimo sexto. Sigismundus, m. p.

CCIII.

Idem ad Joannem Katzianer eodem in merito scribit. Anno D. 1532.

MAGNIFICE, Nobis dilecte! Accepimus in pluribus Regni Hungariae locis pro parte Serenissimi Roman. Regis, induciarum fine non expectato, scribi exercitus et copias cogi. In quibus cum sciamus Sinceritatem Tuam et moderatorem et supremum esse loco Regis praefectum, illam hortamur et monemus, ut quantisper durant induciae, omnes aere Regio, vel pane ejus Majestatis militantes, in officio pacis et quietis publicae continere velit, et simul providere ne quid in tentandis vel infestandis Arcibus, et sequestrum nobis creditis, contra pacta et promissiones, nobis datas, clam vel apperte committatur. Factura Sinceritas Tua rem officio suo dignam, et nobis singulariter gratam. Datum Cracoviae die 1-a Martii, Millesimo quingentesimo tricesimo secundo. Regni nostri[a] Vicesimo sexto.

Sigismundi m. p.

CCIV.

Idem Késmarkienses monet ne XIII. Oppidanos turbent in eorum mercantiis. Anno D. 1533.

Ex fonte eodem.

FAMOSI Domini, Vicini dilecti! Intelleximus, quod vos subditos Domini Serenissimi Regis Poloniae, Dni nostri Clementissimi, de Tredecem Civitatibus, Mercantias eorum, e Regno Poloniae, in sua propria videlicet Tredecem Civitates conducere atque libere ire prohibere vultis, asserentes, velle manutenere depositorium vestrum in Késmark, et apud Le-

a) Seu administrationis suae, qua Capitaneus Scepusiensis.

voczenses *(Lócse)*. Miramur profecto, unde vobis nunc tanta amicitia est cum Lewoczensibus. Significamus igitur vobis, quod Sua Majestas, Rex Poloniae, Dnus noster, stricte mihi mandare dignatur, quod nos subditos ejusdem Majestatis de XIII. Civitatibus ab omnibus injuriis, gravaminibus illis, a quocunque hominum illatis, defendamus. Admonemus igitur vos, ex quo subditi Majestatis Regiae Poloniae XIII. Civitates sunt in Regno Poloniae, et Mercantias suas etiam ex Regno Poloniae in Tredecem Civitates libere inducere ut provehere possint et valeant absque omni impedimento et vera prohibitione. Quia si aliter vos se gerere, praetenderitis erga Majestatis Suae subditos de XIII. Civitatibus, dignam mulctam procul dubio accipietis, de quibus omnibus is praesertim ostentator, Jacobus Lomniczki, Notarius noster Lubloviensis, Vobis dicet latius oretenus, cui commisimus ea omnia referre. Ego etiam nunc vobis breviter scribo, sed si non supersederitis, factis potius quam verbis experiemini. Verum ego mallem vobiscum bonam vicinitatem tenere, prout usque hac tenui. Si hoc, erit vobis a me gratum futurum. Cupio eosdem bene valere. Datum Cracoviae Feria sexta ante Festum Sanctissimae Trinitatis proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo tertio. Petrus Kmitha Capitaneus m. p.

CCV.

Sigismundus, Rex Poloniae Podolinen. et Lublovienses ab antiquis teloniis suo in Regno liberos declarat. Anno D. 1533.

Ex autographo Podolini habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, harum notitiam habituris : Quia Nos supplicationibus subditorum nostrorum Oppidanorum in Podolieniecz *(Podolin)* et Lubowla *(h. Lubló)*, in terra Scepusiensi consistentium, benigne annuentes, volentesque illos gratia nostra relevare, quo commodius damna, quae his turbulentissimis temporibus ex bello, quod etiamnum in Regno Hungariae geritur, acceperunt, aliqua in parte sibi sarcire, illaque Oppida nostra contra imminentium hostium impetum melius respirare ac munire possent, dedimus illis et concessimus, damusque et concedimus harum serie literarum libertatem, ab omnibus teloniis nostris antiquis, telonio tamen novo excepto

ita, quod ad solutionem eorundem teloniorum antiquorum non teneantur, et ad illa praestanda cogi non debeant nec possint, ad nostrum beneplacitum. Quocirca universis et singulis Dignitariis et Officialibus, Palatinis, Castellanis. Capitaneis, Tenutariis, Teloniatoribus et Consulibus Civitatum et Oppidorum nostrorum, in Regno nostro videlicet existentibus, ac ceteris, quorum interest, fidelibus nostris, harum notitiam habituris; mandamus, ut eosdem Oppidanos de Podol*enicze* ac Lubo*wla*, in hac libertate et immunitate conservetis, ipsa telonia antiqua ab illis non exigatis, nec exigi faciatis, ad nostrum beneplacitum. Pro gratia nostra secus facere non ausuri, harum quibus Sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo tertio. Regni nostri anno Vicesimo septimo.

Sigismundus, m. p. (L. S. Regni) Petrus Episcopus V. Cancellarius. m. p.

CCVI.

Idem Rex, status regni Hung. requirit ne velint suos Ecclesiasticos ac saeculares subditos ultro molestare. Anno D. 1533.

Ex Matricula XXIV. Regalium Plebanorum.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Universis et singulis Regni Hungariae Principibus tam Ecclesiaticis quam Secularibus, Comitatibus, Baronibus, Proceribus, Nobilibus, Militibus et eorum Praefectis, Magistratibus Civium ac aliis quibuscunque, ad quorum notitiam praesentes literae pervenerint, sincere et grate dilectis, salutem et gratiam nostram Regiam. Accepimus ex querelis quorundam subditorum nostrorum Tredecem Civitatum terrae nostrae Scepusiensis, utriusque status et Ordinis, spiritualis videlicet et secularis, quod multae injuriae et violentiae et gravamina illis irrogarentur ex Regno Hungariae, et praesertim a Militibus et subditis sacratissimorum Regni Hungariae Regum[a)] nulla ratione habita neutralitatis nostrae, quam neutri parti adhaerentes, sedulo observamus, nullamque Regni ipsius Hungariae subditis injuriam fieri a subditis nostris permittimus. Cum autem par et aequum sit, eandem vicem nobis erga subditos nostros referre, postulamus a vobis atque hortamur vos, ne aliquas

a) Zapolianis nempe et Ferdinandeis.

injurias, gravamina aut incommoda subditis nostris in Tredecem Civitatibus, terrae nostrae Scepusiensis degentibus utriusque status, praesertim vero personis spiritualibus non inferantur, nec inferri quovis modo vel praetextu permittantur, ac inferentes continere et coercere velitis. Imo ubi opus fuerit, contra eorum injuriatores auxilio et tuitione oportuna adsitis, ne modum et remedium oportunum quaerere cogeremur, quo indemnitati ipsorum subditorum spiritualium et secularium provideamus. Rem officio bonae vicinitatis conservandae congruam et Nobis apprime gratam facturi. Datum in Conventu generali Pietrokoviensi die septima Mensis Februarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo tertio. Regni vero nostri vicesimo septimo. Ad mandatum Regiae Majestatis proprium.

CCVII.

Recognitionales Hyeronimi de Laszko super levato censu a Késmarkiensibus. Anno Dni 1534.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Hieronymus de Laszko, Palatinus Siradiensis etc. recognoscimus praesentibus: quia accepimus a Civibus subditis nostris Casaeo-forensibus *(h. Késmark)* ad rationem census S. Martini proxime instantis flor centum. Dimisimus praeterea iisdem Civibus Centum a domibus noviter. aedificatis. Commisimus etiam eisdem Civibus, ut pro aedificatione molendini accipiant de censu eodem flor. triginta, Dno Sebastiano Windnau flor. tredecim dare etiam assignamus, et accipere fecimus. Ad Hospitale flor. duodecim etiam dare fecimus. Residuum vero census, quod superest, Francisco Heinrich pro eadem rata Sancti Martini dedimus. In cujus rei testimonium praesentes nostras scribere fecimus, et sigillo nostro subimpressimus. Ex Késmark Feria secunda post Margareth. Anno Millesimo quingentesimo tricesimo quarto. Laszko, m. p. (L. S.)

CCVIII.

Petrus Kmitha Civibus Belensibus, incendio depauperatis, locoque excedere parantibus, spem resarcitionis exoperandae facit. Anno D. 1535.

Ex autographo ibidem habito.

PETRUS Kmitha, Comes in Wisnicze, Castellanus Sandomiriensis et Regni Poloniae Supremus Marschalcus, tum Cracoviensis Generalis, Scepusien. Premislien. Colensis etc Capitaneus. Famatis ac Providis Proconsuli et Consulibus, totique Civitatis Belensis Communitati, Nobis dilectis. Famati, grati, Nobis dilecti! Intelleximus de conflagratione Civitatis vestrae, deque vestra jactura, qua estis per impetum et voraginem ignis, Domino Deo sic volente, affecti, quem et Nos, quamvis istum casum dolemus, adoramus; tamen vos nihilominus hortamur, ac etiam vobis mandamus, ut se[a] in ipso casu mitiores, ac etiam non prosternati, despondititique animi reddatis. Qui enim vobis abstulit, potest vicissim reddere, vel multo cum foenore. Itaque volumus ac unicuique vestrum mandamus, ne aliunde isthinc cum rebus et suppellectili vestra movere se audeatis vel concedatis, aut nusquam vestrum concessum praestetis. Curabimus enim Sacrae Majestati Regiae tantam calamitatis ac inopiae vestrae cladem declaratum iri, ut diximus, se mitiores ac patentiores praestetis. Datum Cracoviae 22-a Julii. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo quinto.

Petrus Kmitha, m. p.

CCIX.

Sigismundus I. Rex Poloniae forum hebdomadale Belensibus concedit. Anno Dni 1535.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis. Quia Nos cupientes in Oppidum nostrum Bela, in terra Scepusiensi situm ut majus capiat incrementum,

a) Idiotismus est, Polonis ac Slavis communis plerumque.

instituendum et inducendum in eo duximus forum septimanale, singulis septimanis et diebus Dominicis celebrandum et frequentandum, indicimusque et instituimus, ac pro indicto et instituto habere volumus per praesentes dantes et concedentes omnibus et singulis sexus utriusque hominibus, ad praedictum forum convenientibus, causa emendi et vendendi, mercesque pro mercibus permutandi, et alia negotiationis genera exercendi, venientesque in accedendo et recedendo nostra et successorum securitate gaudeant et potiantur; nisi tales sint, quos jure ac leges fovere non permittunt, et quibus proborum hominum consortia essent merito deneganda. In cujus rei testimonium Sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracoviae die Dominico ante diem Festum Sancti Matthaei Apostoli et Evangelistae. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo quinto, Regni vero nostri anno vicesimo nono. Sigismundus. m. p. (L. S.)

CCX.

Petrus Kmitha Praepositum Scepusien. interpellat, quatenus compelleret XXIV. Plebanos, ut iidem suo Capellano Nicolao, quae ipsi legata haberentur ab suo fratre inomisse extradarent. Anno D. 1535.

Ex matrica XXIV. Regalium Plebanorum.

REVERENDE Domine, Amice honorande, salutem et felices successus! Fuit hic apud Nos Jacobus Capellanus noster de antiquo Liblau *(h. Ó-Lubló)*, qui exposuit Nobis causam et injuriam suam de obitu Fratris sui Nicolai, quondam Plebani in Filka, qui a certis temporibus ante obitum suum Parochiam resignaverat, et factus erat subditus noster, fecitque testamentum et omnia bona sui huic Jacobo, Capellano nostro, tanquam Fratri suo legavit, et in arbitrium ipsius dedit et commisit. Quod testamentum vel ipsius ultimam voluntatem Nicolai vestra Dnatio Rnda confirmaverat literis et sigillo suo, quam quidem confirmationem nos vidimus. Nunc vero nonnulli ex XXIV. Regalibus se intromittunt, et testamentum pro suo voto faciunt, et fecerunt tali conditione, quod praefatum Capellanum nostrum a bonis suis alienant, et bona ipsius extradare recusant, quae bona juste et legitime atque juxta literarum V. R. D. tenorem deberent sibi cedere. Itaque non diffidimus, quod V. R. D. huic nostro Capellano praefata bona

ad eum devoluta, absque difficultate ulteriori extradare mandabit ob respectum nostri. Nos etiam mandavimus subditis nostris (Felkensibus Civibus) et illis, qui Nobis subjacent, ut bona apud ipsos retenta, praefato Capellano nostro extradent, prout latius Vestrae Rndae Dnationi commisimus isti nostro Jacobo Lomniczki notario, in hoc nostro negotio oretenus referre. Cupimus ut Vestra Dominatio valeat quam optime. Cracoviae Feria quarta post Michaelis proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo quinto. Petrus Kmitha, Comes in Wisnicza, Castellanus Sandomiriens. et Regni Poloniae Marschalcus, tum Cracoviensis Generalis, Scepusien. Premislien. Colensisque Capitaneus, m. p.

CCXI.

Sententionales Commissariorum infranominatorum, in negotio Decimae Varaliensis, tum reddendis per eundem privilegiis. Anno D. 1535.

Ex autographo Varallyae habito.

NOS Eustachius, Reverendi Dni Joannis Horvath, Praepositi Ecclesiae Scepusiensis, in spiritualibus Vicarius, ac Gaspar Custos et Joannes ejusdem Ecclesiae Canonici, item Nobiles: Petrus de Polyanka, et Thomas de Korothyan recognoscimus per praesentes: Quod Nos ad Genorosi et strenuorum Dominorum Joannis Kampanovski Lubloviensis, et Nicolai Konski Podolinensis Vice-Capitaneorum, ac Prudentum et circumspectorum Judicis, et juratorum civium Oppidi Varaliensis, vota et desideria die Dominico post Festum beatae Ursulae Virginis ad idem Oppidum convenimus, praesentibus iisdem Dominis Vice-Capitaneis, ac Comite XIII. Oppidorum in Scepusio Serenissimi Principis, et Domini Domini Sigismundi Inclyti Poloniae Regis, ac ceteris Judicibus eorundem Oppidorum ad id congregatis, ipsis denique Varaliensibus ab una ac discreto, Magistro Mathia Kunis, olim ejusdem Oppidi Plebano, cum certis viris honestis parte ab altera constitutis: Ipse Dominus Kampanowski decleravit coram Nobis et ceteris, quod licet discussio et executio negotii hujus, quod inter Varalienses ac ipsum Magistrum Mathiam haberetur praetextu Decimarum, ac aliarum rerum, in literis dictae Regiae Majestatis ac Magnifici Dni Petri Kmitha de Wisnicze, Supremi Regni Poloniae Mar-

*

schalci ac Capitanei Scepusiensis denotatarum, per eandem Majestatem Reverendissimo Dno Episcopo Cracoviensi etc. etc, ac Dno Marschalco Collega suo praedicto, fuerit commissa; evitanda tamen omnis suspicionis causa, et amplioris aequitatis gratia, nobis examinandum relinquerunt, executuri, quidquid juste decerneremus, petendo Nos, quo vellemus in eo ipso negotio una cum arbitris ipsius Magistri Mathiae arbitri esse, eandemque causam secundum Regiam et Dni Marschalci commissionem componere. Nos habito superinde diligenti et deliberato tractatu, visum Nobis erat, dimidiam Decimarum partem, secundum hujus Provinciae consuetudinem, ipsi Magistro Mathiae pro exhibitis servitiis esse cesssuram, alteram medietatem pro templi Ministrorum et futuri Parochi alimento[a] servandam esse· Praeterea ut res, quae ipsius Magistri Mathiae esse, et eum concernere dignoscerentur, sibi dentur, ea tamen lege: ut ipse credita, quibus deberet, persolveret, et de reliquis negotiis, secundum suam pollicitationem Dno Marschalco factam, cumVaralliensibns concordaret. Hanc nostram mentem cum partibus explicassemus, Dnis Vice-Capitaneis consentientibus, et executioni se paratos offerentibus, ipseque magister Mathias assentiebatur, tollere medias decimas et res suas; debitorum tamen solutionem, et reliqua negotia ad revisionem Commissariorum, tempore futuro eligendorum, ejiciebat. Quae dilatio, cum neque Nobis, neque Varalliensibus probaretur, ideo, quod si res suas ipse magister Mathias de eorum medio asportaret, non haberet unde et ubi eum quaerere, cum nullum certum manendi locum haberet. Praeterea allegabant Varallienses, apud ipsum Mathiam haberi certa et notabilia Oppidi privilegia, de quorum periculo esset verendum, si ipse Magister Mathias esset cum rebus suis abiturus, et quae pro omnibus ejusdem facultatibus alienari nollent. His intellectis respondit idem magister Mathias se illa habere, sed ipsis ante Commissariorum discussionem dare nolle, quam decernerent, num reddi debeant. His auditis Dnus Kampanowski, nomine Regiae Majestatis ac Dni Marschalci illum hortatus est, ut privilegia redderet, quae haereditatem Majestatis Regiae concernerent, ne illa per divagationem suam perirent, cum omnes essemus mortales. Quod si faceret, paratus esset sibi de scriptis omnibus gratificari. Cum nequaquam id ipsum Magistro Mathiae persuadere potuisset, Dni Vice-Capitanei in praesentiam Dni Praepositi Scepusiensis, legitimi illius Praelati citaverunt

a) Mathias enim Kunisch Parochiae valedixerat, ideo pro successore, prout et ejusdem Cappellanis, qui sub „ly“ Templi Ministrorum intelliguntur, sollicitos esse oportuit.

ibique nobis praesentibus monuit illum, ut privilegia redderet, ne damno, tum Regiae Majestatis, tum subditorum ejusdem gauderet, ad quod induci nequivit. Postremo rogaverunt Dni Vice-Capitanei Dnum Praepositum, non pateretur jura Regiae Majestatis periclitari, verum ipsum Magistrum Mathiam, veluti personam vagam, obstringeret fide jussoria cautione ad deponenda privilegia coram Comissariis ejusdem Magistri Mathiae, ad sua negotia convocandis. Cum neque ad id inclinari potuisset, tandem per Dnum Praepositum jussus est ad vincula conjici. Unde Nos ad vota Dnorum V. Capitaneorum praesentes literas nostras testimoniales, sigillis nostris consignatas dedimus. Datum in Oppido ante dicto Varallia, Feria secunda proxima post . . . . . Ursulae. Anno Dni Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

CCXII.

Communitas Belensis contra Hieronymum de Laszko, metas eorum turbantem, protestatur. Anno Dni 1536.

Ex autographo Belae habito.

NOS Balthazar Zakach de Petrovecz, Vice-Comes et Judices Nobilium Comitatus Scepusiensis, damus pro memoria significantes, quibus expedit universis: Quod Circumspectus vir, Stephanus Frank vocatus, Civis Oppidi Bela, in sua ac Prudentum et Circumspectorum Judicis, Juratorum totiusque Communitatis ejusdem Oppidi Bela personis, nostram personaliter venientes in praesentiam, Nobis per modum protestationis et prohibitionis significare curavit in hunc modum: Quomodo Spectabilis ac Magnificus Dnus Hieronymus de Laszko, Palatinus Siradiensis, aut Officiales, sive homines ejusdem per eum in Civitate Késmark instituti, nescitur, quo spiritu ducti, contra legem et jura, consuetudinemque hujus Regni, non curata etiam, nec pensata legitima prohibitione, per Nos aut homines nostros cum sigillo nostro facta, certam partem metarum et silvarum eorundem protestantium pro se occupare, et vindicare niterentur, et vellent: et insuper post praemissam prohibitionem nostram sectores lignorum sive laboratores impedire, equosque et currus eorundem protestantium in Civitatem Késmark depellere vel depelli facere minarentur, aut forte etiam de facto

fecerunt, in praejudicium et damnum praefatorum protestantium, derogamenque jurium eorundem valde magnum. Unde facta hujusmodi protestatione, memoratus Stephanus Frank suo, ac universorum Civium dicti Oppidi Bela nominibus, ante dictum Dnum Hieronymum Laszki, aut Officiales sive homines ejusdem, aliosque cujuscunque conditionis et status existent homines, a tali occupatione, vindicatione, usurpationeque dictarum metarum et silvarum eorundem protestantium, ac sibi ipsis appropriatione, seque quovis colore ac ingenio in dominium earundem intromissione, usuque fructuum et quarumlibet utilitatum earundem perceptione seu percepifactione, quomodolibet factis vel fiendis, prohibuit contradicendo, et contradixit prohibendo publice et manifeste coram Nobis harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Waraliae Feria secunda proxima post Festum undecim millia Virginum.[a] Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo sexto.

CCXIII.

Inquisitoriae ac una Fassionales super damnis, Communitati Bela illatis. Anno Dni 1536.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Balthazar Zakach de Petrocz, Vice-Comes Spectabilis ac Magnifici Dni Comitis Alexii Thurzo de Bethlemfalva, Judicis Curiae et Locumtenentis Regiae Majestatis, Comitisque perpetui Terrae Scepusiensis etc et Judices Nobilium Comitatus Scepusiensis, damus pro memoria, significantes, quibus expedit universis: Quod, cum Nos ad instantem et legitimam petitionem Prudentum et Circumspectorum Virorum Judicis et Juratorum, totiusque Communitatis Oppidi Bela, duos ex Nobis, videlicet Nobiles Georgium de Edefalva[a] et Melchiorem de Swap[b] Judices Nobilium istius Comitatus Scepusiensis sd requisitionem et inquisitionem, examinandamque attestationem, ratione quorundam damnorum, injurium et violentiarum, ac occupationis metarum praefatorum Civium de Bela, per Specta-

a) Ea tempestate Festum istud 21. Octobris celebratur.

a) Hadusfalva.

b) Seu Svabocz.

bilem Magnificum Dnum Hieronymum de Laszko, Palatinum Siradiensem etc aut Officiales ejusdem, ex Civitate et Castro Késmark praetactorum et commissorum misissemus: tunc iidem ad Nos revertentes, exinde Nobis Feria secunda proxima post Festum Undecim Millia Virginum, in Oppido Varalia, loco Sedis nostrae Judiciariae in Judicio sedentibus, fideliter retulerunt isto modo: Quod ipsi Feria quinta proxima post Festum beati Francisci Confessoris, proxime praeteritum, ad faciem praescripti Oppidi Bela, deinde ad faciem cujuspiam montis, Kalenberg (seu Calvi) vocati, accessissent, in quo vidissent aggerem, instar metae terreae antiquae, quem Incolae et Inhabitatores possessionis, Rokus vocatae, cum aratris dicuntur perarari fecisse, et nonnisi vestigium reliquisse, ubi praenarrati Cives de Bela primam injuriam ipsis hominibus nostris factam esse demonstrassent, ibique Nobilis Andreas de Swap praedicta, nec non Circumspecti Iacobus Glacz Iudex, Simon juratus, et quidam Lucas Inhabitatores possessionis Tothfalu, item Georgius, Küntzel vocatus, Judex possessionis Birbron, Vicini et Cometanei praescripti Oppidi Bela per praefatos homines nostros ad fidem eorum, Deo debitam, quaesiti et examinati, fassi sunt uniformiter isto modo: Quod ipsis constaret, quod illa eadem meta, ut praemittitur, per Incolas de Rokus perarata, esset Civium de Bela, et pertineret ad eosdem. Item eodem die abinde in transitu metarum dicti Oppidi Bela ad quemdam locum, in quo ab antiquo quoddam molendinum constructum fuisse perhibetur, nomine Müllenstadt vocatum, accessissent, ibique praenarrati viri, simili modo quaesiti, et sub juramento examinati, fassi sunt, locum praescriptum Müllenstadt nuncupatum, praescriptos Oppidanos de Bela usos fuisse. Item eodem die ad faciem cujusdam Silvae, consequenter ad quemdam locum, in eadem Silva habitum, accessissent, ubi praefati Cives de Bela allegabant, praefatum Hieronymum de Laszki, vel homines suos, a laborantibus et sectoribus lignorum Civium de Bela secures, tunicas et victualia, vi et potentia mediante, recepisse, ibique iidem supra dicti Viri, per eosdem homines nostros sub juramento quaesiti et interrogati, fassi sunt uniformiter, locum illum, in quo ut praemittitur, praemissa patrata sunt, Cives de Bela possedisse, et usos fuisse. Item non longe ab eodem loco in eadem silva profecti fuissent ad quemdam alium locum, ubi praefati Cives de Bela accusabantur, homines Dni Hieronymi de Laszki aliquot equos et currus praefatorum Civiam de Bela, vi et potentia mediante, recepisse, et ad Civitatem Késmark impulisse; ibique supra dicti Viri, similiter sub juramento examinati, fassi sunt, eundem locum, in quo haec acta,

sunt, Cives de Bela possedisse. Item eodem die ad faciem cujusdam pontis, versus possessionem Landek existentis, nomine Landeker*brek* vocati, accessissent, ibique omnes et singuli supradicti Viri, et item Circumspecti Ambrosius Paczolt Judex, Martinus Help, et Matthaeus Klugen vocati, Cives et incolae possessionis Landek praedictae, Vicini et Cometanei dicti Oppidi Bela, similiter per homines nostros sensim sub juramento quaesiti et examinati, fassi sunt uniformiter, se scire veraciter, quod aqua illa, super quam pons praescriptus fabricatus est, semper fuit, et habita est pro meta dictorum Civium de Bela, et possessionis Landek praedictae. Praeterea subjunxerunt, se se, hoc est Cives de Landek cum civibus de Bella, illic metas contiguas et vicinas habere. Item eodem die ad faciem cujusdam loci accessissent, ubi dicti Cives de Bela asserebant, homines Dni Hieronymi de Lask*i* equos viginti tres, ipsorum Civium de Bela, potentialiter abstulisse, et ad Civitatem Késmark depulisse : Ibique omnes praenominati testes, per praefatos homines nostros examinati, fassi sunt uniformiter, quod locus ille, a quo praedicti equi ablati essent, fuit semper usus per Cives de Bela. Super quibus fassionibus et attestationibus praescriptorum Nobilis, et Circumspectorum Virorum, Nos tandem praesentes literas nostras, sigillis nostris munitas, memoratis Civibus de Bela, jurium eorundem ad cautelam, duximus concedendas. Dutum Varaliae die quo supra. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo sexto. c)

CCXIV.

Decretum Commissionis Regum Hungariae ac Poloniae, ratione limitum Belensium et Késmarkiensium. Anno Dni 1537.

Ex autographo Belae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusien. memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis : Quod Egregius Jacobus de Lomnicza, Notarius Castri Lubloviensis, in Prudentum et Circumspectorum virorum, ceterorumque universorum Civium et inhabitato-

c) Has ipsas atque antecedaneas literas Communitas Belensis Anno 1537 in V. Capitulo Scepusiensi transumi curavit.

rum Oppidi Bela personis, nostram personaliter veniens in praesentiam, exhibuit et praesentavit Nobis quasdam literas Generosi ac Venerabilis Achacii Jordan de Zakliczin, Castellani Zarnoviensis et Sandomirien. Lublinen. Leopoliensis Teloniatoris, ac Benedicti Isdbyensky, Canonici Cracoviensis, Secretarii Commissariorum videlicet Serenissimi Principis et Dni Dni Sigismundi, Dei gratia Poloniae Regis etc in papyro patenter confectas et emanatas, sigillisque eorum propriis consignatas; petens Nos debita cum instantia, ut, quia praefati Judex et Jurati, ceterique Cives dicti Oppidi Bela easdem propter viarum discrimina et insecuritatem eo quo liceret, in specie secum deferre non auderent, Nos easdem transcribi et transumi, praesentibusque literis nostris inseri facere dignaremur, juris ipsorum ad cautelam. Quarum tenor talis est:

Nos Achatius Jordan de Zakliczin, Castellanus Zarnoviensis, et Sandomirien. Lublinen. Leopoliensis Theloniator, et Benedictus Izdbyenski Canonicus Cracoviensis, et Secratarius Regiae Majestatis Poloniae, universis et singulis, quibus expedit, et ad quoscunque praesentes literae nostrae pervenirent, praesentium per tenorem significamus. Quia, cum Nos per Serenissimum et Potentissimum Dominum et Dnum Sigismundum Dei gratia Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithvaniae, Russiae, Prussiae ac Massoviae etc Dominum et Haeredem fuissemus missi et delegati in Scepusium, ratione limitum et differentiarum inter Bona Suae Majestatis Regiae, videlicet Oppidi Bela ex una, et Bona Magnifici Dni Hieronymi de Lasko Palatini Siradiensis, videlicet Civitatis Kiesmark, ac Villam Rokus, ad eandem Civitatem Kiesmark, spectantem, ab altera partibus: Quarum quidem limitum et differentiarum actio sequitur, et est talis: Primum Dnus Palatinus Siradiensis reproduxit literas et titulo et sigillo Serenissimi Caroli Regis Hungariae etc. Quarum copiam literarum sua Magnificentia Nobis Commissariis dederat, et reproduxerat confirmationem earundem literarum per Serenissimum Joannem Regem modernum Hungariae, noviter factam. Reproduxit etiam idem Dnus Palatinus Siradiensis literas Serenissimi Sigismundi Romanorum et Hungariae Regis, eam sententiam in se continentes: ne quispiam silvas et rubeta Civium Civitatis Kiesmark succidere audeat sub poenis descriptis, et expressione impignorationis in generali tantum sonantes. Etiam reproduxit protestationem ex Sede Judiciaria Scepusiensi, nihil aliud sonantes, nisi quod Commissarii Majestatis Regiae Poloniae, ad hunc actum tempore illo deputati, non con-

venerant cum Commissariis Serenissimi Dni Wladislai Regis Hungariae. Oblata est etiam protestatio et prohibitio ex Sede Judiciaria Comitatus Scepusiensis, nihil aliud sonans, per Cives Kiesmark*ie*nses extracta super violenta occupatione, peraratione, et novarum metarum erectione, per Cives de Bela facta, circa annos 1510. Ex adverso Cives Belenses non dando locum literis, per Dnum Palatinum Siradiensem reproductis, contra easdem repugnantes, dixerunt per Procuratorem suum: Domini Commissarii literae Serenissimi olim Caroli Regis Hungariae, per Dnum Palatinum reproductae, non valent ex multis rationibus. Primo: quia ipsas literas, et hoc privilegium donationis, et reambulationem metarum in se continentes, sequitur praescriptio et abusus privilegii. Donatio enim et reambulatio praescripta et in eis anno 1294, et post obtentas literas nunquam fuerunt usque hactenus ipsi K*i*smarkienses et Villa Rokus in pacifico Dominio dictarum metarum contentiosarum, dumtaxat Cives Bellenses, ut ex multis literis constabit. Privilegia enim, et literae quomodocunque obtentae, si non supportant ipsam realem possessionem, et usum, omni jure censentur cassa, et invalida, et praesertim istius Regni Hungariae, ut testantur Decreta et Sanctiones Regni de donationibus Regalibus, reambulationibusque metarum Parte 1-a Decretorum Tit. 33. Capitulo Ven. notatum. etc. Quod omnes donationes, et reambulationes metarum quomodocumque obtentae, quae infra annum integrum per Regni vel Capitularem hominem debitae executioni et ad effectum non deducuntur, sunt inefficaces, et nullius roboris, prout ex istis literis apparet. Etiam istae literae non sunt authenticae, neque de jure hujus Regni Hungariae observari tenentur, respectu sigilli, literis subappensi, quod sigillum caret signis, in Decretalibus specificatis, de quibus mentio fit in Decretalibus Parte 2-da Titulo 14-$_o$ ubi ita continetur: Item Rex Carolus (sub cujus titulo literae hae, et privilegia nomineque per D. Palatinum Siradiensem reproductae sunt tria sigilla habuit, quorum duo priora per eundem fuerunt revocata, et privilegia sub illis emanata, non servantur, nisi per tertium posterius fuissent roborata: Quod quidem tertium sigillum sic agnoscitur, ut ex duabus partibus clypei, in arca sigilli exsculpti in quo videlicet clypeo duplicata crux continetur, sunt duae figurae draconis; ubi istae duae figurae draconis non apparent (quod coram Vestris Dominationibus, Dominis Commissariis, et aliis quibus hic praesentibus protestor) hic non apparere figuras draconum, ut canunt jura hujus Regni, atque etiam praefatis literis Regis Caroli insertae sunt literae Regis Andreae Veneti, quae in productione sunt nullae, et cassae, neque de jure observantur. Et

his attentis Vestrae Dominationes decernant, ipsas literas esse cassas et nullas. Dato et non concesso, si literae etiam essent juridicae, et robur haberent in omni jure, utique in auxilium ipsi Dno Palatino et K*i*smarkiensibus cedere non possent, ex ea causa : quod literae illae reambulatariae, quae ad relationem Regii et Capitularis hominum obtentae sunt, et quae infra annos viginti non deducuntur debitae executioni, debent esse nullius roboris, prout continetur in jure hujus Regni Decretor. Parte prima Tit. 86. ut hic in ipsis literis Rokussiensibus apparet. Nam facta est relatio reambulationis per quemdam Ponka, assertum Regium hominem, et Stephanum Canonicum Scepusiensem. Item reambulatio juridica hujus Regni fieri debet, vocatis et accersitis vicinis et cometaneis, quorum nomina et cognomina expresse notari debent in literis reambulatoriis. Sed hic in literis per Dnum Palatinum reproductis, non sunt nomina specificata, nisi quod dicit in literis illis, nemine contradicente, quia nemo fuit vocatus, et per consequens nemo contradixit. De hoc etiam clare continetur in Decretis hujus Regni Parte 1-a Tit. 86. Et praesertim cum ipsa reambulatio non verificata neque supportata est usu et possessione, et dominii in literis reambulatoriis contenti ; et sic literae nullae, neque de jure observari debent verificantes : etiam ipsi Belenses illam obtentionem literarum reambulatoriarum esse subreptitie et parte absente factam, reproducunt protestationem, et inhibitionem ex Capitulo Scepusiensi, quam fecerunt tunc, quamprimum obtentia literarum minus justa pervenit ad ipsorum notitiam. Ex his et aliis multis rationibus liquide patet, literas has, per Dnum Palatinum reproductas, esse nullas, vanas, cassas, et frivolas, neque de jure admittendas. Vestraeque Dominationes de jure illas, ut praefertur, decernant esse inutiles. Verum ipsi Belenses verificando usum, possessionem et dominium dictarum metarum contentiosarum reproducunt coram Dominationibus Vestris Literas Capitulorum Scepusiensis, et Ecclesiae de Jasov reambulatorias dictarum metarum, quae per Commissionem Serenissimi Imperatoris Sigismundi, Romanorum et Hungariae Regis etc per quondam Magnificum Petrum de Berzevicze, Magistrum T*h*avernicorum et Rndum Dnum Georgium Praepositum Scepusiensem factae, et emanatae sunt, juxta Ordinem hujus Regni, vocatis vicinis et cometaneis, quorum nomina et cognomina lucide expresseque in literis praefatis continentur, qui mediantibus illarum corporalibus juramentis ipsam reambulationem fecerunt et recognoverunt: Etiam ipsimet K*i*smarkienses soli per se recognoverunt, et ipse Dionysius de Rokus Haeres, ipsos Belenses semper fuisse, et esse in usu, et

*

Dominio ipsarum metarum, in literis expressarum. Supportantur etiam eorum literae ipsa possessione et Dominio usque in hactenus: atque eadem reambulatio metarum cum ipsa Civitate Belensi et usu metarum accesserunt integrae Majestati Regiae Poloniae, ex suae Majestatis Praedecessoribus. Adhuc etiam supportandum literas Belensium reproductas, ipsum usum et dominium metarum dictarum, reproducunt recognitiones vicinorum et cometaneorum ipsius Civitatis Bela, qui in praesentia duorum Judlium ex Sede Judiciaria Scepusiensium recognoverunt factam violentam occupationem metarum per Dnum Hieronymum Laszky, Palatinum Siradiensem, et ejus Officiales, et dissectionem lignorum in ipsorum propriis metis, ubi etiam cometanei de Villis Landek, *(Landok)* Birbron, *(Viboma)* Wintzendorff *(Tótfalu)* — recognoverunt, ipsas metas esse ex antiquo et usque hactenus Civium de Bela, quas ipse Dnus Palatinus pro se usurpare et vindicare niteretur. Quare DD Vestrae attentis tam notoriis firmis literalibus documentis, atque etiam testimoniis, quae omnia ipsa possessio verificat, decernant literas reambulatorias metarum Civium Belensium esse juridice, et ordine juris esse obtentas et emanatas. Quibus quidem allegationibus veridicis, et comprobationibus Belensium Nos Commissarii exauditis, easdem literas Belensium in suo vigore, ac ipsos in usu antiquo, et pacifica possessione metarum, secundum tenorem earundem literarum, reliquimus, praesentibus Dnis Magnifico Mathia Lobotzki de Lobodzyce, et Generosis ac Egregiis Balthazaro Vice-Comite Scepusiensi, Petro Polankay, Andrea Krigovssi, Melchiore Svabowski, Nicolao Konski Vice-Capitaneo Podolinensi, Jacobo Lomniczki Notario Lubloviensi, Laurentio Wosakovski, Jacobo Bobowski, Nicolao Orzekowski, Thoma Koroczenski, ac famatis Civibus de Kesmark et Bela, Laurentio Flescher, Martino Milner, Laurentio Schmid, Jacobo von Bauschendorff, Joanne Ziker, Joanne Blier, Sigismundo Goltschmid, Gasparo Notario Dno Goldschmid, Philippo Judice de Bela, Fulgentio Sartore, Stephano Franz, Clemente Kibler, Petro Polness, Paulo Raben, Nicolao Maurer, Georgio, Lamperto, Antonio Polness, Mathia Schmaukerth, Bartholomeo Czeven, et aliis quampluribus Nobilibus et famatis circa praemissa testibus fide dignis etc. Acta sunt haec in Villa Nörer, alias Stras, *(h. Nagy-Eőr)* in Curia Egregii Domini Melchioris Warkotz, Dominica Reminiscere in Qudragesima. Anni Dni Millesimo quingentesimo tricesimo septimo. (L. S. L. S.)

Unde Nos justis et legitimis petitionibus praefati Jacobi Lomniczki pro parte praefatorum Civium de Bela, Nobis porrectis, acquiescentes, praes-

criptas literas annotatorum Dnorum Achatii Jordan, et Benedicti Isdbienski Canonici Commissariorum, non abrasas, non cancellatas, neque vitiatas, aut suspectas, sed omni prorsus suspicionis vitio carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transcribi, et transumi, praesentibusque literis nostris inseri facientes, memoratis Civibus Oppidi Bela, juribus suis uberiorem ad cautelam, duximus concedendas. Datum in Festo Sanctae Annae Matris Mariae Virginis. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo septimo praedicto. (L. S. pend.)

CCXV.

Sigismundus, Rex Poloniae, Popradiensium libertates confirmat. Anno Dni 1537.

Ex autographo ibidem existente.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: Quemadmodum personaliter coram Majestate nostra Regia subditi nostri de Oppido Poprad, de Districtu Scepusiensi, fideles dilecti recensuerunt coram Nobis privilegia et libertates suas, a divis Praedecessoribus nostris Serenissimis Regibus, et Principibus Poloniae sibi concessas, super varias exemptiones et usus rerum et actionum suarum, nec non super possessiones dicti Oppidi sui, in quorum usu continuo usque ad hoc tempus permansisse se, et firmiter extitisse affirmant: supplicando Nobis, ut ea ipsa privilegia et libertates ipsorum, ab eisdem Serenissimis Regibus et Principibus, Praedecessoribus nostris concessas, eisdem manutenere, atque authoritate nostra Regia approbare, ratificare, et confirmare dignaremur. Nos igitur, qui justis subditorum nostrorum desideriis et precibus libenter annuimus, habendo in prospectu fidem eorundem Oppidanorum erga Nos et Rempublicam Regni nostri singularem, privilegia, jura, libertates, immunitates et possessiones ab ipsis Serenissimis olim Regibus et Principibus Poloniae, Praedecessoribus nostris eisdem concessas, licitas tamen et honestas, quas hic volumus habere pro expressis, et in quorum usu ac possessione continua usque adhuc extiterint, de certa scientia et voluntate nostra Regia, ac de Consiliariorum nostrorum, nobiscum ad praesens existentium, approbandas, ratificandas, et confirmandas duximus,

prout approbamus, ratificamus, et confirmamus, decernendo, eas robur debitum obtinere debere, sub nostra Regia firmitate et protectione. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum Cracoviae Feria tertia proxima post Dominicam Palmarum. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo septimo. Regni nostri tricesimo primo. (L. S. P.) Joannes Episcopus Plocensis et Regni Poloniae Cancellarius m. p.

CCXVI

Sigismundus, Rex Poloniae, Oppidi Bela praerogativas confirmat. Anno Dni 1537.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Rex Poloniae, etc significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quemadmodum comparentes personaliter, coram Majestate nostra Regia, subditi nostri de Oppido Bela, de Districtu Scepusiensi, fideles dilecti recensuerunt coram nobis privilegia, et libertates suas, a divis praedecessoribus nostris, Serenissimis Regibus et Principibus Poloniae sibi concessas, super varias exemptiones, et usus rerum et actionum suarum, nec non super possessionis dicti Oppidi sui, in quorum usu continuo usque ad hoc tempus permansisse se et firmiter extitisse, affirmarunt: supplicantes Nobis, ut ea ipsa privilegia et libertates ipsorum, ab eisdem Serenissimis Principibus et Regibus, Praedecessoribus nostris concessas, eisdem manutenere, atque authoritate nostra Regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Nos igitur, qui justis subditorum nostrorum desideriis et precibus libenter annuimus, habentes in prospectu fidem eorundem Oppidanorum, erga nos et Rempublicam Regni nostri singularem, privilegia, jura, libertates, immunitates et possessiones ab ipsis Serenissimis olim Regibus et Principibus, Poloniae, Praedecessoribus nostris, eis concessas, licitas tamen et honestas, quas hic volumus habere pro expressis, et in quorum usu et possessione continua usque adhuc extiterunt, de certa scientia et voluntate nostra Regia, ac de consilio Consiliariorum nostrorum, Nobiscum ad praesens existentium, approbandas, ratificandas et confirmandas duximus; prout approbamus, ratificamus, et confirmamus, decernentes eas robur debitum obtinere debere, sub nostra Regia firmitate et protectione. Harum testimonio

literarum, quibus Sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracoviae Feria tertia pvoxima post Dominicam Palmarum. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo septimo. Regni vero nostri anno tricesimo primo.

CCXVII.

Ferdinandus, Roman. Imp. ac Rex Hung. jubet reinveniri Belensium privilegia. Anno Dni 1538.

Ex Tramsumpto ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: quod Nos literas Serenissimi Principis et Domini Ferdinandi, Divina favente Clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc Regis, semper Augusti, Infantis Hispaniarum, Archi-Ducis Austriae etc Dni nostri gratiosissimi, requisitorias Nobis loquentes et directas, honore et reverentia, quibus decuit, recepimus in haec verba.

Ferdinandus, Divina favente Clementia, Romanorum, Hungariae etc Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum etc. Fidelibus nostris, Capitulo Ecclesiae Scepusiensis, salutem et gratiam. Dicitur Nobis in personis fidelium nostrorum Circumspectorum Judicis et Juratorum, nec non Universitatis Civium et Incolarum Oppidi Bela, in Terra Scepusiensi existentium: Qualiter diebus superioribus quaedam literae eorum privilegiales, factum metarum et terminorum ejusdem Oppidi Bela tangentes, ignis voragine utcunque consumptae essent, et concrematae quarum paria in vestra Sacristia, sive Conservatorio Ecclesiae Vestrae, more solito reposita haberentur et locata, quibus iidem exponentes pro jurium suorum defensione ad praesens summe indigerent, et essent necessaria: Fidelitati igitur Vestrae, harum serie firmiter praecipientes, committimus et mandamus, quatenus statim acceptis praesentibus, praescripta paria literarum et privilegiorum in vestra Sacristia, sive conservatorio Ecclesiae praenotatae, diligenter requiri, et reinveniri faciatis; requisitarumque et reinventarum tenorem in Transumpto literarum vestrarum, eisdem exponentibus, modis omnibus extradare debeatis, et teneamini, jurium suorum ad cautelam, caventes tamen ne fraus aut

dolus in hac parte aliqualis, secus non facturi. Datum Posonii Feria sexta proxima post Festum Corporis Christi. Anno ejusdem Millesimo quingentesimo tricesimo octavo. Unde Nos mandatis praefati Dni nostri Regis semper et in omnibus obedire volentes, ut tenemur, praedicta paria praescriptarum literarum nostrarum in Sacristia sive Conservatorio nostrae Ecclesiae praedictae, diligenter requiri, et reinveniri fecimus in hac verborum forma:

Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc V. Diplom CXLVI. anni 1437. pag. 254.

Quarum quidem paria vera transumpta Nos tandem ad literatorium mandatum, annotati Dni nostri Regis, praefatis exponentibus, jurium suorum uberiorem ad cautelam, praesentibus literis nostris pendenti et authentico sigillo nostro munitis, fraude, doloque quibusvis semotis duximus concedendas. Datum Feria secunda proxima post Festum beatae Annae, Matris Mariae. Anno Dni Millesimo quingentesimo tricesimo octavo supra dicto.

CCXVIII.

Olaszienses protestantur contra statutionem Nicolai de Perén in Possessione Alcznow. Anno Dni 1539.

Ex autographo Olaszii habito.

NOS Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod providus Vir Michael, dictus Chitinger, Judex de Villa Latina, alias Olazi *(Szepes-Olaszi)* vocata, ad nostram personaliter accedens praesentiam, nobis in suo ac ceterorum universorum Civium et hospitum de eadem Olazii personis significare curavit per modum protestationis, in hunc modum: Quod cum circa Festum Epiphaniarum Domini, cujus nunc praeteriisset revolutio annualis, Egregii Nicolaus et Paulus filii condam Danielis de Richnow, alias de Peren se ipsos in quandam possessionem Regalem, Alcznow *(h. Olcznó)* vocatam, literis Imperialibus mediantibus, per hominem Regium, et nostrum testimonium statuere procurassent, et quia Cives et hospites ejusdem possessionis, Alcznow nuncupatae, certas terras arabiles eorundem Judicis ceterorumque Civium et Hospitum de Olazii, intra veras

metas et terminos metales eorundem sitos existentes, ipsosque omnis juris titulo concernentes, de beneplacito et bona voluntate eorundem Judicis, Civium et Hospitum de Olaźii, pro certo censu annuali, ipsis solvendo, tenerent et colerent, eisdemque uterentur; de quibus igitur terris ipsorum arabilibus idem Judex, Civesque et Hospites de dicta Olaźii eosdem Nicolaum et Paulum de Peren, pro tunc in serie dictae possessionis, Alcznow apellatae, in ipsa statutione facta, prohibuissent, prohiberique et interdici fecissent, tunc Petrus de Boszna, pro tunc Castellanus de Richnow praedicta Procurator, et nomine procuratorio nomine Nicolai, et Pauli de Peren, se ipsum similiter et Dnos suos praedictos, de eisdem terris ipsorum Civium et Hospitum de Olaźii, et eorundem censum in nullo intromittere, seu occupare, vel percipere velle assumpsisset; quod et ipsum testimonium nostrum per nos, ad scriptam statutionem factam, deputatum, fore factum coram Nobis affirmavit; tamen nescitur, quo motus motivo, idem Nicolaus et Paulus de Peren, easdem terras similiter eorum, censum ipsorum Judicis, Civiumque et Hospitum de Olaźii praedicta, sibi ipsis occupassent, occupatisque uterentur de praesenti, potentia eorundem mediante, in praejudicium et damnum ipsorum valde magnum. Qua quidem protestatione sic facta, idem Michael Judex, in sua ac aliorum Civium de praefata Olaźii personis, eosdem Nicolaum et Paulum de Peren,[a] et quoslibet alios ab hujusmodi eorum indebita et minus justa occupatione, seque intromissione, proventuumque et quarumlibet utilitatum in parte vel in toto perceptione, et e statuifactione, nec quovis coloris ingenio exquisito valeant, aut possint, prohibuisset, et contradixisset, imo prohibuit contradicendo, et contradixit prohibendo coram Nobis, harum testimonio literarum mediante. Datum octavo die Festi Sacratissimi Corporis Christi, Anno ejusdem Millesimo quingentesimo tricesimo nono.

a) Ceterum fuit Scepusio utilis, nihilominus in Neostadiensi carcere Anno 1542. misere contabuit.

CCXIX.

Joannes Rex Hungariae Belensium quaepiam privilegia confirmat. Anno Dni 1540.

Ex autographo Belae habito.

NOS Joannes, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc Marchio Moraviae, ac Lusatiae et utriusque Silesiae Dux etc memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod pro parte et in personis Prudentum et Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium et universorum Inhabitatorum Oppidi Bela, in Comitatu Scepusiensi habiti, exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales, in pargameno privilegialiter confectae, sigilloque ejusdem Capituli authentico impendenti communitae, diversa jura ejusdem Oppidi in se continentes: Unde supplicatum est Nobis in personis praefatorum Civium ipsius Oppidi, ut Nos easdem literas dicti Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales, et omnia in eis contenta, ratas, gratas, et accepta habere, praesentibusque literis nostris privilegialibus verbotenus inseri, et inscribi facere, ac pro praenominatis Judice et Juratis, ceterisque Civibus et universis Inhabitatoribus praedicti Oppidi Bela perpetuo valituras, confirmare dignaremur gratiose. Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae Scepusiensis etc V. Diplom. CCXVII. Anni 1538. pag. 359.

Sigismundus Roman. Rex etc V. Diplom. CXXXVI. Anni 1431. p. 230.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte memoratorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium, ac universorum Inhabitatorum praedicti Oppidi Bela, nostrae, modo quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, et clementer admissa, praescriptas literas dicti Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales non abrasas, nec in aliqua sui parte cancellatas, praesentibusque literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione, et augmento aliquali insertas et inscriptas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, aceptamus, approbamus et ratificamus, ac pro praenotatis Judice et Juratis, ceterisque Civibus, et Inhabitatoribus universis praenominati Oppidi Bela perpetuo

valituras, confirmamus, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum est appensum, vigore, testimonioque literarum. Datum Varadini Feria quarta proxima post Festum Conversionis beati Pauli Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo. Regnorum vero nostrorum decimo quarto. (L. S, cerei).

CCXX.

Joannes Rex Hung. certas Civitatis Bela privilegiales confirmat. Anno Dni 1540.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Joannes, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc Marchio Moraviae et Lusatiae, et utriusque Silesiae Dux etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod pro parte et in personis Prudentum et Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium et inhabitatorum Oppidi Bela, in Comitatu Scepusiensi habiti. Exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales, in pargameno privilegialiter confectae, Sigilloque ejusdem Capituli authentico impendenti communitae, diversa jura ejusdem Oppidi in se continentes: Unde supplicatum est Nobis in personis praefatorum Civium ipsius Oppidi, ut Nos easdem literas dicti Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales et omnia in eis contenta, ratas, gratas et accepta habere, praesentibusque literis nostris privilegialibus verbotenus inseri et inscribi facere, ac pro praenominatis Judice et juratis, ceterisque Civibus et universis inhabitatoribus praedicti Oppidi Bela perpetuo valituras, confirmare dignaremur gratiose. Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Egregius Paulus de Ternye, in Prudentum et Circumspectorum Virorum Judicis et Juratorum, ceterorumque universorum Civium et inhabitatorum Oppidi Bela personis, nomine procuratoris nostram personaliter veniens in praesentiam, exhibuit et praesentavit Nobis quasdam literas nostras transumptionales, in pargameno privilegialiter confectas et emanatas, sigilloque nostro pendenti com-

*

munitas, quarum videlicet literarum tres vel quatuor rigae propter malam earundem conservationem, ferme deletae et abolitae, manu cujuspiam alterius atramento nigriori renovatae erant; sed tamen prout ex lectura earundem Nobis cognoscere licuit, nullo verbo aut dictione augmentatae, vel diminutae nobis minus suspectae esse videbantur. Petens nos praefatorum Judicis et juratorum, ceterorumque universorum Civium et inhabitatorum Oppidi Bela, nomine debita cum instantia, ut easdem transcribi et transumi praesentibusque literis nostris inseri facere dignaremur: Quarum tenor talis est:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini de Scepus etc V. Part. I. Dipl. 86. p. 375.

Unde nos justis et legitimis petitionibus memorati Pauli Ternye procuratoris, Nobis pro parte antedictorum Judicis et juratorum Civium, totiusque Communitatis praescripti Oppidi Bela porrectis, acquiescentes, inclinati, praescriptas literas nostras non abrasas, non cancellatas, neque suspectas, sed ut praemissum est in tribus vel quatuor rigis manu cujuspiam atramento nigriore renovatas, sensuique literarum per omnia bono modo correspondentes, do verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transcribi et transumi, praesentibus literis nostris inseri facientes, memoratis universis Civibus Oppidi Bela, jurium suorum uberiorem ad cautelam, duximus concedendas. Datum Feria tertia proxima post Festum beati Francisci Confessoris. Anno Dni Millesimo quingentesimo trigesimo nono.

Nos igitur praemissa supplicatione pro parte memoratorum Judicis et juratorum, ceterorumque Civium, ac universorum inhabitatorum praedicti Oppidi Bela nomine, modo, quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita et clementer admissa, praescriptas literas dicti Capituli Ecclesiae Scepusiensis transumptionales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, praesentibusqne literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quo ad omnes earundem continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus, et ratificamus, ac pro praenominatis Judice et juratis, ceterisque Civibus et universis inhabitatoribus praenominati Oppidi Bela perpetuo valituras, confirmamus, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum est appensum, vigore testimonioque literarum. Datum Varadini Feria quinta proxima post

Festum Conversionis beati Pauli Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo, quadragesimo. Regnorum vero nostrorum decimo quarto. (L. S. pend. Regii.)

CCXXI.

Joannes de Leutschovia, Vicarius Capituli Scepus, Georgium Presbyterium ad Ecclesiam Leibitzensem investit. Anno Dni 1542.

Ex autographo Leibitzii habito.

JOANNES de Leutschovia[a] Canonicus Ecclesiae Scepus, Rndi Dni Joannis de Lum/nicza Praepositi ejusdem Ecclesiae Vicarius in Spiritualibus, et causarum Auditor Generalis, salutem in Domino sempiternam. Accepimus, quod Ecclesia beatae Mariae in Leibitz per veram et spontaneam resignationem honorabilis Dni Jacobi, ultimi et immediati Rectoris ejusdem Ecclesiae, de jure et de facto vacaret; considerantes vitam aliaque probitatis merita, quibus apud Nos fidedigne commendaris testimonio, ad praesentationem Circumspectorum Judicis et Juratorum, totiusque Communitatis de eadem Leibitz, ad quos praesentatio de jure patronatus pertinere dignoscitur, de te Nobis legitime factam, Te tamquam virum idoneum et personam benemeritam, ad Ecclesiam beatae Mariae in Leibitz, Bireti nostri Capiti tuo impositione,[b] canonice investimus, simulque confirmamus per praesentes, curam animarum et administrationem omnium sacramentorum ejusdem Ecclesiae tam in spiritualibus, quam in temporalibus tibi conferimus et committimus plena authoritate nostra; recepto tamen a te prius juramento corporali, ad sancta Dei Evangelia praestito: quod Reverendo Dno Praelato moderno. ejusque Successoribus, canonice intrantibus, eorumque Vicariis, pro tempore constitutis, eris fidelis et obediens; et quod res et bona Ecclesiae in eadem Leibitz non abalienabis, et nec distrahes; sed si quae fuerint alienata et distracta, ad jus et proprietatem ejus Ecclesiae pro posse tuo recuperabis. In quorum fidem et testimonium has confirmatorias tibi duximus concedendas, sigillo nostro signatas. Datum in Capi-

---

a) Fuit Henkel illo tempore Vicarius. V. Wagner I. pag. 372.

b) Hodie, ut palam est, Biretum investito non imponitur.

tulo Sancti Martini Feria secunda proxima post Festum Visitationis gloriosae Virginis Mariae. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo. (L. S.)

CCXXII.

Matthaeus de Waralia, Ecclesiae Scepus Vicarius, Sixtum de Poprad ad Ecclesiam Matthaeivillensem investit. Anno D. 1542.

Ex autographo penes hancce Parochiam existente.

MATTHAEUS de Warallia, artium liberalium Baccalaureus, Canonicus Ecclesiae Scepusiensis, et Dni Dni Johannis de Lum*p*nicza praefatae Ecclae Praepositi, Vicarius in Spiritualibus Dilecto in Christo Nobis honorabili Dno Sixto de Poprad*t*, electo Plebano in Villa Matthaei fundata, per liberam resignationem et cessionem Venerabilis Dni Magistri Georgii moderni in eadem, et immediati possessoris ejusdem, de jure et de facto vacans, te meritorum tuorum intuitu, Judex, juratique Cives ac tota Communitas de eadem Villa Matthaei in eorum elegerunt Plebanum, humiliter supplicantes Nobis, quatenus electioni eorum hujusmodi te admittere, et ad eandem Ecclesiam Sancti Stephani Regis instituere et confirmare dignaremur. Nos itaque supplicationibus praefatorum Civium votivis, te ad praescriptam Ecclesiam authoritate nostra, qua fungimur, canonice duximus instituendum et confirmandum, instituimus et confirmamus per bireti nostri capiti tuo impositionem, praesentialiter et eisdem investimus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus authoritatem tibi plenam committendo, accepto primitus a te juramento ad Evangelia manibus nostris corporaliter praestito:[a] quod fidelis et obediens eris praefato Dno Reverendo moderno, et canonice intrantibus, eorumque Vicariis, pro tempore constitutis. Et quod res et bona praedictae Ecclesiae Sancti Stephani Regis non alienabis neque distrahes; sed si quae alienata et distracta forent, pro tuo posse recuperabis. Adjuncta etiam quaedam media parte molendini vita durante usurpare pro tuo commodo, et praefati Cives proprietatem in eodem molendino habeant et va-

a) Errant, qui putant, juramentum a Parochis primo post Concilium Tridentinum desumi coeptum fuisse. Ut enim istud ab Episcopis Romae ad manus Papae ab olim debebat, ita simile Episcopi a suis curatis exigebant. V. Corp. Jur. Canon.

leant, scilicet juxta fidem ipsorum, Deo et Nobis debitam, protegere teneantur. Secus non facturus. In cujus rei testimonium praesentes literas nostri sigilli munimine duximus concedendas. Datum in Monte S. Martini *(Szepeshely)* Feria quinta post Festa Pentecostes. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo. (L. S. impressi.)

CCXXIII.

Matthias Luboczki mandat Késmarkiensibus, ut invagiatos equos Belensibus restituant, si sua pecora rehabere velint. Anno Dni 1542.

Ex originalibus ejusdem literis ibidem habitis.

DOMINE Judex et jurati Cives Késmark. Ita sicut me literis vestris avisatis, me curruum et equorum vestrorum, per Belenses acceptorum, ita vix impetravi a Dno Capitaneo, quod haec res non est delata ad Regiam Majestatem Poloniae, commisitque hic Dnus Capitaneus Belensibus, ut omnia vestra accepta, ad praesens restituantur, sed ea lege, ut vos primum praesentium exhibitoribus, Belensibus videlicet restituatis eorum equos. Itaque ego vobis committo sub gravi poena, ut restituatis equos Belensibus, ipsi vobis etiam restituent. Satis superque commisi vobis firmiter, ne ullus Civium auderet ligna secta accipere, usque quo ego informationem sive relationem a Regia Majestate Poloniae haberem: Et nunc hoc ipsum praecipio vobis sub gravi poena. Quodsi deinceps aliquis vestrum illic contra inhibitionem iverit et deprehensus per Belenses fuerit, profecto ego nolo amplius ne unum verbum quidem pro tali loqui. Videtis, qualia sunt tempora, et quod ex Polonia dumtaxat vivitis nunc. Itaque perpendatis res vestras. Quodsi inhibebitur vobis via in Poloniam, non valebunt ista ligna tantum, quantum ab ea patietur respublica vestra. Itaque ego et consulo et praecipio vobis, ut habita modernorum temporum ratione, donec ego cum Majestate Regia Poloniae humiliter rem hanc transegero. Ego autem abhinc altero die vado ad Serenissimum Regem Poloniae, et illic inter cetera hoc negotium transigere satagam, perculso autem Valentino — — — ut satis, mox visis praesentibus, fiat. Adhuc vos rogo et moneo, cohibeatis ad tempus tales temerarios, ne mihi curas augeatis. Satis enim superque obruor tum vestris, tum Orphanorum difficultatibus ita, ut non sit opus, ut temerarii

Cives vestri addant mihi plus afflictionis et tricarum. Datum raptim in Lublaw Feria tertia ante Catharinae Festum. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo. Matth. Luboczki Regius Consiliar. m. p. Belenses affirmant, se nihil lignorum accepisse illic, nec accipient usque ad Regis sui informationem.

CCXXIV.

Késmarkienses ineunt cum Belensibus ratione limitum concordiam. Anno Dni 1534.

Ex autographo apud Belenses habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Prudentibus ac Circumspectis, Providisque Viris, Sigismundo Mess, alias Goltschmidt, Judice, Joanne Brenner, et altero Joanne Elsinger juratis Civibus Civitatis Késmark, item Christiano Hacken, Comite eorundem Dnorum Civium de Késmark, Joanne Kwuczen Judice, Melchiore Heldel jurato, Francisco Schleiffer Comite, Egregiorum Melchioris et Georgii Warko*ch*, et Georgio Roth, vocatis incolis possessionis, Rokus vocatae, ab una parte; siquidem ab altera Georgio Zolschneider Judice, Hermelao Lang jurato, Stephano Frank, Philippo Czyrbus, Thoma Fidler, Adamo Marcus et Luca Czyrbus vocatis Civibus et inhabitatoribus Oppidi, Bela vocati, in suis ceterorumque universorum Civium et inhabitatorum dictorum Civitatis K*i*smark, possessionis Rokus ac Oppidi Bela nominibus et in personis, coram Nobis personaliter constitutis, per easdem partes sponte ac libere confessum extitit, pariter et relatum in hunc modum: Quod quamvis partes inter easdem, ratione quarundam terrarum arabilium, et silvarum, metarumque, a multis retroactis annis magnae differentiae, dissensiones, jurgiaque et odia mota, et suscitata fuerint; praedictaeque partes quampluribus fatigiis, damnis, laboribusque et expensis, etiam injuriis mutuo se se affecerint, tamen considerantes ambae partes praedictae hujusmodi differentias, dissensiones jurgiaque et odia inter se amicabiliter componere, grataque et christiana pace magis, quam hujusmodi rixis gaudere, sano ac maturo nonnullorum proborum et Nobilium virorum inter easdem partes pro pace et tranquillitate laborantium inducti et modi con-

silio: accedente etiam ad id Magnifici Dni Matthiae Loboczki de Lobodeicze, et in Malin haeredis etc. Consiliarii Sacrae Regiae Majestatis Romanorum etc. legitimi, ut puta, Tutoris et defensoris pupillorum et Orphanorum Spectabilis et Magnifici Dni quondam Hieronymi a Laszko, Palatini Syradiensis etc. Dominorum scilicet et legitimorum Haeredum praedictae Civitatis Késmark, et majoris partis Possessionis, Rokus praedictae, in eorundem Orphanorum et pupillorum, nec non generosorum et Egregiorum Dominorum Floriani Szebrzedowski, Aulici Sacrae Regiae Majestatis Poloniae etc. ac Jacobi de Lom*p*nicza, Notarii Arcis Lubl*yo*wiensis, Commissariorum, ut puta, ejusdem Sacrae Regiae Majestatis Poloniae, cum pleno mandato coram Nobis ostenso, et producto, plenariaque et integra authoritate suae Majestatis, eisdem in hac parte attributa; nec non Generosi et Egregii Stephani Bylina, Vice-Capitanei Lubl*yo*viensis, in praedictae Sacrae Regiae Majestatis Poloniae nomine et in persona, benevolo et gratuito assensu, pariter et consensu; talem praedictae partes ambae inter se se perpetuo, et *e*viterne duraturam fecerunt amicabilem concordiam, et compositionem: Quod primo sopitis omnibus litibus, litiumque processibus, differentiis, dissensionibus, jurgiis et odiis, hactenus mutuo inter se habitis, universas literas causales, Evocatoriales, Insinuatoriales, Sententionales, Protestationales, et obligatoriales, simul cum omnibus earundem processibus, quandocunque et quomodocunque emanatas et confectas, et insuper quaslibet etiam, et singulas literas metales, reambulatorias, literaliaque instrumenta ac privilegia ambarum partium praedictarum factum dumtaxat infrascriptarum metarum contentiosarum, solummodo proprie et praecise tangentia et concernentia cassarunt, revocarunt, et retractarunt, viribusque carituras reliquerunt; easdem metas contentiosas noviter, et de novo revidendo, et reambulando, reambulatasque et revisas erigendo, et distinguendo hoc ordine, qui sequitur. Quod prima meta incipit circa rivulum Schwarczbach, alias Feketew*yz* vocatum, prope locum, ubi rivulus Krompseyfen, alias Sarpataka dictus, cadit in eundem rivulum Schwarczbach, et circa viam quae tendit ex Oppido Bela usque ad montes niveos, descendendo versus eosdem Montes, in summitate Montis K*o*lenberg usque ad viam Sclavonicam, alias Windischweg*h* vocatam, ad manum dextram sunt erectae metae terreae numero octo se se sequentes, et in eodem monte Kalenbergh parumper reflectendo, ac a praedicta via declinando, sunt erectae metae terreae numero quinque se se sequentes, usque in finem ejusdem Montis Kalenberg. A quibus tandem iterum ascendendo versus Alpes, et transeundo per rivulum Rothenseiffen,

alias Verespatak *(sic)* vocatum, usque ad viam, qua itur de Villa Rokus ad viam Landek, sunt erectae metae terreae quinque, se se sequentes: A qua via, ulterius progrediendo via communi, qua itur ad Alpes, usque ad locum Mölenstad vocatum, sunt erectae ad manum dextram metae terreae numero quinque; a quo loco Mölenstad continuando eadem via usque ad torrentem Lybseiffen, alias Idesvys *(sic)* vocatum, similiter ad manum dextram ejusdem viae, sunt erectae metae terreae quinque, a quo torrente Lybseyffen, ulterius ad manum dextram prodecendo, per campum vocatum Legelstadt, usque ad tres fontes lutosos sine cognomine, sunt erectae metae terreae numero quatuor, se se sequentes; a quibus fontibus lutosis, ulterius versus Alpes ascendendo, in silva pervenitur ad quendam locum lutosum sine cognomine, et ibidem sunt duae metae terreae erectae, et ab eodem loco lutoso ulterius progrediendo versus easdem Alpes, per quasdam tres valles, sine cognomine, usque ad fornacem Calcis sive cementi, in radicibus Montis nivei existentem, sunt erectae metae terreae quinque, sub qua fornace talis est erecta meta terrea sexta. Deinde vero reflectuntur metae ad manum sinistram sub radice ejusdem Montis Nivei, et sunt ibidem metae terreae erectae numero tres distinctae, quae continue penes fornaces calcinas tendunt usque in vallem, Loch appellatam, ubi in faucibus dictae vallis est una magna et ultima terrea meta renovata, suntque in simul per has omnes limites erectae noviter metae terreae numero quadraginta quatuor; deinde ab eadem meta per torrentem Lybseiffen, alias Ideswys ascendendo, dictus torrens dividit metas Civium de Késmark, et Civium de Bela; ita videlicet, quod in ascensu vallis praedictae, hoc, quod est ad manum sinistram, est Civium de Kesmark, hoc autem, quod est ad manum dextram, est Civium de Bela, secundum continentias aliarum literarum metalium, ipsorum Civium de Bela, quae literae et privilegia dictorum Civium de Bela inter ipsos Civium de Késmark, et de Bela, usque ad praefatam metam magnam terream, in faucibus praedictae vallis Loch sitam, mortificantur: tum abinde respectu aliorum cometaneorum robur et vim suam non amittunt. Nihilominus tamen non obstantibus dictis metis ad radicem dicti Montis Nivei penes Calcinas fornaces currentibus, et non obstante praedicto torrente Lybseiffen, alias Ideswys liberum erit Incolis Civitatis Késmark et Villae Rokus uti libere Montibus in ascensu dictae vallis, ad latus dextrum existentibus, tam pro lignorum et roborum sectione, quam ad fornaces faciendas pro calce, et calce ipsa facienda, ac saxorum fractione: Belensibus autem solis licebit, et liberum erit praefatos montes aren-

dare pastoribus et custodibus ovium quorumcumque, excepto hoc, quod superius in montibus neque ipsi Cives de Bela, neque de Kesmark, ac Incolae Rokus debebunt cuique arendare pascua, pro gregibus equorum valentia, sed ipsis pascuis et pratis tam ipsi Cives de Bela, quam de Késmark, ac possessionis Rokus Incolae debebunt utrinque eisdem pascuis libere pro gregibus equorum suorum uti et frui, ita tamen, ut conjunctim in uno grege utriusque partis pastores, vel ipsi Cives de Kesmark, et Incolae Rokus debebunt tunc, cum pascere ibi equos voluerint, appretiare pastores Belensium ad pascendum gregem ipsorum si tunc per proprios ipsorum pastores pascere nollent. Ad quae praemissa, et praemissorum quaevis singula firmiter inviolabiliterque observanda, se se praefatae ambae partes, personalibus earundem adstantiis obligarunt, et adstrinxerunt coram Nobis, talis obligaminis vinculo mediante: Quo si quae partium praedictarum temporis successu praemissae amicabili compositioni et concordiae contraire, et contravenire vellet, et niteretur, eandemque acceptare nollet, extunc talis pars contraveniens contra partem alteram, in praemissis persistentem, in Mille florenis auri puri, boni, veri et justi ponderis, ante litis ingressum convinci, et aggravari debeat, convictaque et aggravata habeatur eo facto. In quorum omnium singulorum praemissorum fidem et testimonium Nos praesentes literas nostras, pendentisque et authentici Sigilli munimine roboratas, ambabus partibus praedictis duximus concedendas. Datum Feria sexta proxima ante Festum beatae Mariae Magdalenae. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio. (L. S. Cerei p.)

CCXXV.

Literae metales Oppidi Olasz et Villae Zeek. Anno Dni 1545.

Ex autographo in Olasz habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Reverendissimus Stanislaus Episcopus, Quinque-Ecclesiensis, Praepositus Scepusiensis, Sacratissimae Regiae Majestatis Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. Consiliarius, Dnus et Praelatus noster,[a] veluti Judex Superin-

a) Ad Capitulum venit Feria quarta ante Dominicam Judica, quae fuit 19. Martii. V. Wagner I. p. 377.

tendens, nec non Venerabilis Franciscus de Mechke, Praepositus de Posega Vicarius, Thomas Makoy Cantor, Fratres, Concanonici nostri, ac Egregii Martinus de Bertholdt Comitatus de Sáros, Balthasar Zakachi, Terrae Scepusiensis Vice-Comes, nec non Georgius Kapi, Laurentius de Gargow et Petrus de Polyanka, veluti Judices Arbitri parte ab una, per Spectabilem ac Magnificum Dnum Andream de Bathor, Comitem Comitatuum Zathmar, et Zabolch, ac Magistrum Tavernicorum Regalium, et Supremum Regni Hungariae Capitaneum etc. electi et designati: Item Generosi Dni Jacobus Malacewski Capitaneus de Chorstin, Andreas Rosen de Machilna, Petrus Bylina de Waynarow, et Nobilis Stephanus Literatus Chay de Waralia similiter Judices-Arbitri, per Spectabilem et Magnificum Dnum Petrum Kmitha, Comitem in Wisnicz, Palatinum et Capitaneum Generalem Cracoviensem, Regni Poloniae Supremum Marsalcum, Scepusien. Premislien. et Colensem Capitaneum etc. penes praefatum Dnum Episcopum parte ab altera, vigore pleni mandati, coram Nobis constituti, — — et libere confessi sunt, et retulerunt in hunc modum: Quod, cum illa controversia, quae inter Oppidum Sacrmae Regiae Majestatis Poloniae etc Olaszy vocatum, parte ab una ac Villam Zeek sive Zlathwyna *(Slatvin)* nuncupata — — — Scepusien. pertinentem, nunc prae manibus memorati Domini Andreae Bathory existentem, parte ab altera, ob limites et metas dudum fuerat oborta, ac variis utrinque tumultibus, dampnificationibus, diversis temporibus acta multoties — — — magnis sumptibus per plerosque superiorum temporum Arbitros, Commissariosque componi tentata, nequaquam tamen antea sedari, et complanari potuisset. Demum praefati Domini Petrus Kmitha, nomine praefatae Regiae Majestatis — — ac Andreas Bathori cupientes, tam diuturnae controversiae modum et finem imponere, omnemque discordiae occassionem e medio tollere, et submovere, ac inter subditos utrarumque partium tranquilitatem perpetuam constituere, et stabilire, ejusdem controveriae compositionem, ac metarum contentiosarum reambulationem et rectificationem actimoniae et dexteritati praefati Dni Episcopi praelati nostri, ut Judicis Superintendentis ab utraque parte desiderati, ac praenominatorum Arbitrorum industriae, vigore pleni mandati utrimque superinde dati solidam authoritatem, et componendi potestatem complectentis, ultro submisissent, et commendassent. Idem igitur Dnus Episcopus, Judex Superintendens cum ipsis Arbitris Feria secunda, tertia, quarta proxime se se sequentibus, post Dominicam Exaudi, nunc praeteritam, ad facies ipsarum metarum contentiosarum et litigiosarum accedendo, easdem aliquoties reambulassent, peragras-

sent, Testes etiam utrarumque partium aetate maturiores, et conditione honestiores, sub severissimo juramento examinantes, literasque metales et alias, quae ad rem facere videbantur, perlegentes, et trutinantes, ambarumque partium responsa et objectiones hinc inde, per procuratores eorundem legitimos factas, exaudientes, hanc tandem limitum distinctionem fecissent, utrique deservientem parti: Primo intra Villam Olsawka, circa rivulum, Olsawa vocatum, a plaga occidentali duas metas terreas, juxta se se ex utraque parte viae noviter erexissent, in quas portiones feces ferri imposuissent et carbones fabriles, et descendendo usque fluvium Olsawa, circa eundem, a plaga occidentali, duas metas terreas noviter erexissent, in quibus sunt impositae feces ferri portiones aliquae, et carbones fabriles, inter quas metas via, a Villa Olsawka, ad dictam Arcem Scepusiensem pertinens, descendit meridiem versus, et ab eisdem ad jactum sagittae ad eandem plagam, juxta eandem viam unam metam terream erexissent, et in eadem via ac plaga procedendo, venit ae metam terream, juxta vadum dicti fluvii Olsawa erectam, in quibus metis feces ferri et carbones essent consepulti, et prope mox ex altera parte ejusdem vadi et fluvii a parte orientali unam metam terream erexissent. Inde in via, Orientem versus, procedendo ad jactum sagittae, item mox sub via metam terream erexissent, cujus metae margo inferior, ubi est pratum, usque ad rivulum pertineret ad Ecclesiam, in ipsa Zlathwyna fundatam, usque ad proximam metam Orientem versus, quae meta immineret dicto rivulo, et sub eadem cadit in rivulum, et in eodem rivulo ad eandem plagam ascendit per bonum spatium usque ad metam terream circa seriem ejusdem fossati erexissent, cujus pars sinistra deservit ad Zlathwyna, dextra vero ad Olaszi *(sic)*. Inde procedendo in eadem plaga parumper, aliam terream metam erexissent, et ab eadem descendendo ad jactum sagittae in eadem plaga unam metam terream erexissent. Inde descendendo inter Orientem et Meridiem non longe metam terream erexissent, item ab eadem descendendo in pratum in eadem plaga, in ipso prato penes rivulum unam metam terream erexissent, a qua prosilit in ipsum rivulum; et in eodem rivulo ascendendo Semptemtrionem versus, duas metas terreas erexissent; quarum altera a dextra, altera a sinistra parte ejusdem rivuli esset erecta, et ab ipsa dextra meta terrea, ascendendo Orientem versus non longe unam metam terream erexissent, et ab eadem meta in eadem plaga parumper verticem versus ascendendo unam metam terream erexissent. Ab illa in eadem plaga ascendendo ad montis verticem, in ipso vertice unam metam terream erexissent, ab eadem versus

Meridiem parumper eundo ad jactum lapidis unam metam terream erexissent; ab illa divertendo directe orientem versus non longe unam metam terream erexissent. Ulterius, in eadem plaga parumper eundo, unam metam terream erexissent. Inde in ipsa plaga orientali amplius eundo unam metam terream ultimam erexissent, quae separat metas Zlathwyna a metis Olaszi. Quandoquidem id, quod ad meridiem est, pertineret ad Olaszi, id autem, quod ad Septemtrionem vergit, pertinet ad Zlathwyna; et sic metae noviter erectae terminantur. Qua quidem fassione et relatione praefatorum: Dni Episcopi, uti Judicis Superintendentis, et aliorum Judicum arbitrorum, modo praemisso coram Nobis facta, Nos ad requisitionem ambarum partium, praesentes literas nostras pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas, eisdem ambabus partibus, pro jurium ipsorum cautela, dandas duximus et concedendas, communi justitia suadente. Datum in Festo beati Urbani (seu 25 Maji) Papae. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. (L. S. p.)

CCXXVI.

Rescriptionales Tepliczensium Literae. Anno Dni 1545.

Ex autographo Leutschoviae habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Prudentes et Circumspecti Domini Daniel Turcus Judex et Caspar Knaffler, juratus Civis Leutschoviensis, nostram personaliter venientes in praesentiam, suis et ceterorum juratorum, ac totius universitatis Civium dictae Civitatis Leutschoviensis nominibus et in personis, exhibuerunt, et praesentaverunt Nobis copiam quarundam literarum nostrarum Transumpti, in simplici papyro conscriptam, continentem in se tenorem literarum Venerabilis quondam Fratris Ladislai, Abbatis Monasterii beatae Mariae Virginis juxta Schewnik *(h. Schavnik-Kastély)*, metalium Villae Teplika *(sic)*, tenoris infrascripti: petentes Nos debita cum instantia: Quod, quoniam originales literae literalium metalium nocte proxime transacta, exorto fortuito incendio in praescripta Villa Teplika, conflagratae forent, praenotatam copiam antedictarum olim literarum nostrarum transcribi et transumi, praesentibusque

literis nostris patentibus, juris eorundem pro cautela, inseri facere dignaremur: cujus tenor talis est:

Nos Frater Ladislaus etc. V. Diplom. CXLV. Anni 1436. pag. 253.

Nos itaque petitionibus justis et legitimis praefatorum Danielis Judicis et Gaspari favorabiliter inclinati, praesentes literas non abrasas, non cancellatas, neque vitiatas, sed omni prorsus suspicionis vitio carentes, de verbo ad verbum transcribi et transumi facientes, memoratis Dominis Judici, Juratisque ac toti Consulatui praedictae Civitatis Leuchoviensis, jurium suorum ad cautelam, communi justitia suadente, duximus concedendas. Datum sedecimo mensis Julii. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.

CCXXVII.

Stanislaus Waralii, Episcopus Quinque Ecclesiarum obtenta Scepusiensi Praepositura, Sacram Synodum in eodem Capituli celebrat. Anno Dni 1545.*)

Ex Transumpto V. Capituli Scepus.

ORDO Divinorum Officiorum, in Sancta Synodo observandorum 1545. Sabbatho: In primis Vesperis Dominicam personam repraesentabit Venerabilis Dnus Plebanus de Lewbicza *(h. Leibicz)*[a] Chorales, Dnus Plebanus de Villa Compositi[b], Dnus Plebanus de Villa Palmarum *(h. Pálmafalu)*[c], Dnus Plebanus de Villa Sperarum *(h. Illésfalu)*[d], Dnus Plebanus de Ewlenbach.[e] Ad Completorium Dnus Plebanus de Isaak *(h. Zsákócz).*[f]

---

*) Cfer Péterfy Concilia I. P. 299.

a) Seu Oppido Leibitz Regali, ubi Plebanus eotum fuit Salamon, qui Georgio Lewdeschit, hic vero Jacobo Fritsch successerunt.

b) Káposztafalva, Kabsdorf ea tempestate Georginm habens Plebanum, cujus Antecessor Petrus, Hospitalaris factus Leutschoviae, ubi etiam Anno 1549 mortuus est.

c) Fuit Franciscus nomine.

d) Sixtus distinctus a Matthaeivillensi.

e) Seu Velbach, germanis Eulenbach, nomine Joannes, qui anno 1543 transivit ad Müllenbach, verum propter eorum malitiam post triduum ad Velbach est reversus.

f) Valentinus nomine, quem Domini Arcenses multum divexarunt.

Die Dominica: Missam perficiet de Patrono Dnus Plebanus de Iglo *(sic)*[g]. Primam horam chorabit Dnus Plebanus de Quintoforo *(h. Csötörtökhely)*[h] intonando, et versiculum cum collecta dicendo et cantando. Maturam perficiet Plebanus de Bela.[i] Astantes erunt, Dnus Plebanus de Russquin[k] et Plebanus de Isaak *(h. Zsákócz)*. Sermonem faciet de S. Trinitate Venerabilis Dnus Custos Scepusiensis. Tertiam chorabit D. Plebanus de Villa Durandi[l] intonando versiculum, et collectam decantando. Cum Cappis et Baculis erunt D. Plebanus de Lewbicza *(h. Leibitz)*, D. Plebanus de Lomnicz[m], D. Plebanus de Villa Menhardi[n], D. Plebanus de Villa Hunis *(h. Hunfalu)*.[o] Summam Missam perficiet D. Plebanus Leuchoviensis. Astantes erunt D. Plebanus de Filka[p] et D. Plebanus de Monte Georgii *(h. Szepes-Szombat)*.[q] Ad Thuribulum D. Plebanus de Müllenbach[r], ad Naviculam D. Plebanus de Villa Svevi[s]. Sextam chorabit D. Plebanus de Odorino[t] cum intonatione, versiculo et collecta. Nonam chorabit D. Plebanus de Müllenbach cum intonatione versiculi et collecta. Ad Vesperas erunt

---

g) Laurentius Hylbrandus, post cujus fata supra dictus Georgius Lewdeschitt circa annum 1550 vocatus est.

h) Blasius, ultimus Catholicus Plebanus, post quem Oppidani circa annam 1550 vocarunt certum Pastorem Georgium.

i) Videlicet Laurentius Serpilius alias Quendel, antea ibidem Ludirector, novitate Lutheri doctrinae captus, ad ipsum audiendum Wittembergam abiit, inde reversus populum sensim ad suas partes pertraxit, multasque Loci eotum Parocho Valentino molestias creavit, quo demum mortuo Parochiam anno 1550 occupavit, seque Primum Pastorem ibidem constituit, gerendo se se pro Catholico Sacerdote atque Plebano, quod ipsum et alii locis in aliis fecerunt, prout probe notavit Clariss. Dnus Christianus Genersich. Minister Evang. Communitatis Késmarkiensis, Parte 2-a intitulata Merkwürdigkeiten der kön. Freystadt Késmark in Oberungarn. pag. 103.

k) Fuit Caspar, cui anno 1550 certus Georgius Pastor successit.

l) Jacobus, qui immediatum antecessorem Nicasium, hic autem Andream habuit.

m) Ambrosius, cujus antecessor Paulus, successor vero in anno 1550 Jacobus fuit.

n) Laurentius Buchvald, qui adhuc 1550 vixit.

o) Georgius Moller, Molner, sive Molitor, fuit antea Kakas seu Magno-Lomniczii Plebanus, atque Senior 24 Regalium. Anno 1558 die 11. Julii Leutschoviae, qua ejusdem Civitatis Parochus decessit. Perperam vero eundem Augustani Leutschovienses suos inter primos Apostolos adscivere. Post fata ipsius Leutschovienses antefatum Serpilium pro suo Pastore vocarunt: Quibus deinde 1564, Leibitzium pro Pastore eundo valedixit, ubi Anno 1572, die 11-a Junii vitam clausit.

p) Fuit Marcus, habens Antecessorem Christophorum. Successorem vero anno 1546 Urbanum.

q) Thomas, qui Marco anno 1543 ob persecutionem laicorum Parochiam hanc dimittenti successit. Antehac fuit Plebanus in Müllenbach, a quibus propterea abscessit, quod sibi molam violenter ademerint.

r) Georgius Lewdeschitt, quem 24 Fratres pro Plebano nondum cognoverunt, velut Lutherana labe infectum. Ecquidem anno 1546 Leibitzensem Parochiam rursus consecutus est, verum inde fugere debuit ob Polonicum Magistratum.

s) Seu Svabocz, habuit Plebanum Laurentium.

t) Georgius, anno 1550. jam certus Stephanus.

de Fraternitate Superioris et Inferioris Poprad. Dominicam personam repraesentabit D. Plebanus de Sancta Cruce *(h. Keresztfalu)*. Chorales cum Baculis et Cappis, Dnus Plebanus de Meldur *(h. Maldur)*, D. Plebanus de Rokus *(h. Rokusz)*, D. Plebanus de Podolinecz *(h. Podolin)*, D. Plebanus de Toporcz. Ad Completorium D. Plebanus de Chrba (*h. Csorba*, *slav. Štrba.*)

Feria secunda: Missam de Patrono perficiet D. Plebanus de Villa Bathisii. Primam chorabit D. Plebanus de Leuchivna (*h. Lucsivna*)[a] intonando, et versiculum cum collecta cantando. Maturam cantabit D. Plebanus de Villa Sancti Georgii[b] et Dnus Plebanus de Krygo (*h. Kriegh*). Sermonem faciet D. Plebanus de Poprad.[c] Finito sermone fiet Processio ad Waraliam (*h. Szepes-Váralya*)[d] ubi Missam cantabit Dnus Plebanus de Villa Matthaei (*h. Mattheócz*).[e] Astantes erunt D. Plebanus de Villa Joannis (*h. Janócz*) et D. Plebanus de Teplicza (*h. Teplicz*). Chorales Venerabilis Dnus Cantor Scepusiensis, V. D. Custos Scepusiensis, et Honorabilis D. Plebanus de Iglo. Reverendissimus Dnus Stanislaus Episcopus Quinque Ecclesiensis, Dnus Praepositus et Praelatus noster gratiosus, illos subsequetur in Pontificalibus et Cappa.

Ordo processionis: Dni Plebani Fraternitatis Dunajecz erunt primi, eos sequentur Fratres de Districtu Lubloviensi; deinde Fratres inferioris Hornad,

---

a) Mathias nomine, qui in causa 24. Plebanorum et aliorum, per Praepositum Scepusiensem Joannem Horvath de Lumpnicza, multum afflictorum, insignes obibat legationes.

b) Fuit jam Simon Mauritius Bayta Silesius Baccalaureus, qui anno 1540. ad Georgium Vernerum, Militiae Capitaneum, in causa Fratrum 24 Regalium est obligatus, alias etiam Marcus legitur. Fuit quidem ad Müllenbach pro Pastore vocatus, verum a Monte Georgensibus detentus est. Anno 1543. factus Consenior, 1564 a Laurentio Serpilio confirmatus, obiit tandem 1565. prout Matrica 24. Plebanorum suis in locis notavit. Istum Marcum Cl. Christian. Genersich P. II. pag. 110. pro Monte Georgensium primo Reformatore ita adstruit: „Dass er mit der ganzen Gemeinde zugleich das Augsburgische Glaubensbekenntniss angenommen habe.“ Interim illud ipsum protocollum, ad quod provocat, legi ego quoque diligenter, nuspiam tamen illa, quae ingessit, deprehendi.

c) Antonius Toppertzer, habens Antecessorem 1539. Martinum.

d) Fuerit laudatus in Diplomate 1542. Matthaeus Varaliensis Plebanus, una pro tunc Canonicus et Praepositi Scepusiensis Vicarius. Successorem nactus est circa annum 1550 Mathiam, deinde Jacobum Blasy. Matrica 24 Plebanorum Regalium de hocce Jacobo, et Antonio Toperczer Plebano Popradiensi ita refert: „Uterque in vera fide accepto Sacramento sub utraque specie extremum diem clauserunt in Christo, uterque in ultima senecta lumine visus orbatus.“

e) Fuit Sixtus de Poprad, ut testatur Diploma 1542-di. Videtur hic fuisse ultimus Catholicus Plebanus, habens Antecessorem Georgium. Tumultuosis illis temporibus per Hajdones Castri Scepusiensis Sixtus de Poprad perinde interceptus et ad squalidos ibidem carceres cum reliquis Plebanis fuit conjectus. Inde tandem lytro praestito, liberatus, isti Plebaniae valedixit. Post hujus obitum Oppidani Matthaeivillenses consecuti sunt facultatem, pro se idoneum Sacerdotem, sine praejudicio tamen Parochi, assumendi, ut mox Diploma ostendet.

post hos Fratres superioris Poprad, post eos Fratres XXIV. Regales. Hos sequentur Venerabiles Dni Canonici. Tertiam chorabit D. Joannes de Kubach, cum intonatione, versiculo et collecta. Summam Missam cantabit D. Plebanus de Lublio *(h. Ó-Lubló)*. Astantes erunt D. Plebanus de Rauschenbach, et D. Plebanus de Nova Lublio *(h. Uj-Lubló)*. Ad Thuribulum D. Plebanus de Hobgardt, ad Naviculam D. Plebanus de Krempach *(Krempach, Lubló)*.[a] Chorales erunt supra dicti DD. Cantor, Custos, D. Plebanus de Liubicza (*h. Leibicz*) et Plebanus de Iglo. Sextam chorabit D. Plebanus de Nova Bela (*Uj-Béla*). Nonam chorabit D. Plebanus de Nerer (*h. Nagy-Eőr*).[b] Ad Vesperas Dominicam personam repraesentabit D. Plebanus de Marcusfalva; Chorales, D. Plebanus de Sygra *(h. Zsegra)*, D. Plebanus de Rychno, D. Plebanus de Rubo, D. Plebanus de Grancha, Ad Completorium D. Plebanus de Antiqua Villa (*Ó-Falu.*)

Feria tertia: Missam de Patrono perficiet D. Plebanus de Grenich (*h. Grenicz*). Primam chorabit D. Plebanus de Bethlenfalva, cum intonatione, versiculo et collecta. Maturam cantabit D. Plebanus de Lethan (*h. Letánfalu*). Astantes erunt D. Plebanus de Jemnik (*h. Jamnik*), D. Plebanus de Widernik. Sermonem faciet D. Plebanus de Magna Lomnicza.[c] Finito sermone Regestum leget Ven. D. Magister Matthaeus Canonicus.[d] Tertiam chorabit D. Plebanus de Rubo cum intonatione, versiculo et collecta. Summam Missam cantabit D. Plebanus de Gargow (*h. Görgő*). Astantes erunt: D. Plebanus de Grancha, D. Plebanus de Sygra. Ad Thuribulum, D. Plebanus de Villa Thomae (*h. Tamásfalu*)[e], ad Naviculam D. Plebanus de Kubach. Chorales in Chappis: D. Plebanus de Markusfalva, D. Plebanus de Grenicz, D. Plebanus de Jemnik, De Plebanus de Villa Farkassy (*h. Farkusfalu*).[f] Sextam chorabit D. Plebanus de Widernik, intonando versiculum, cum collecta decantando. Nonam et Vesperas hujus diei perficient Sacellani Venerabilis Capituli Scepusiensis 1545-ti. Deo Laus, die Dominico post octavas Corporis Christi. Si qui vero praedictorum Dnorum ad designata

---

a) Indubium hinc est, possessionem Krempach una cum aliis supra attactis locis ad Praeposituram Scepusiensem et non Cracoviensem Episcopatum eo tempore realiter pertinuisse.

b) Sztraska etiam alias dicta, ubi anno 1543 Stanislaus Plebanus fuit.

c) Seu Kakas-Lomnicz.

d) De hoc jam supra dictum est.

e) Seu Thamasfalva, Thomasdorf.

f) Farkasfalva, Farksdorf, qua in possessione primus Scepusiensis Episcopus, Jacobus nomine, ab suo terrestrali domino ita nuncupatus, primam lucem aspexit.

oficia deficerent, tunc alter ex Fraternitate illa absentem supportare debeat. Qui vero ad supra scripta officia non sunt deputati, hi singuli, singulam Missam legendo, perficere debebunt.[g]

CCXXVIII.

Mathias Loboczki mandat Késmarkiensibus, ut Claves ab inferiori porta Capitaneo Przibkowski resignent. Anno Dni 1541.

Ex Tramsumpto ibidem habito.

OPTIMAE famae ac Prudentes Domini Amici salutem et nostri commendationem! Mandamus Vobis, ut mox visis praesentibus claves ab illa porta Civitatis Késmark inferiori Dno Przibkowski, Capitaneo nostro Késmarkiensi, in mannus illius proprias extradetis. Habentes enim duas alias portas satis convenientes[a] quibus commode utimini et has diligenter custodiatis. Noluistis enim Nobis ex nostris praeceptis, quantum attinet de pestilentiae sententiae obtemperare. Si enim obtemperavissetis omnino auxilio Dei, se et suos ab ipsa sevitia pestis liberassetis. Valere tandem Dominationes Vestras feliciter cupimus. Datum ex Nova Villa (*h. Igló*) nostra Feria tertia infra Octavas Assumptionis Mariae. Anno ab Orbe redempto, Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto. Mathias Loboczki Regiae Majestatis Consiliarius ac in Comyenitz[b] Dominus m. p.

g) In ordine horum Divinorum, Plebanum Olasziensem, pro tunc Thomam, non lego, ita nec Szepsiensem seu Moldaviensem, qui os XXIV. Fratrum compellati sunt, propterea indubie exmissi, quod horum paraeciae ab antiquo soli Archiepiscopo Strigoniensi fuerint subjectae. (V. Part. I. pag. 203.) Regalis porro Civitas Curimian (h. Kurimján), eo tum vacabat, et Nagy-Szalokiensis Plebanus cum Sacerdote Landekensis Praepositurae, nomine Malach, quoque desiderabatur.

a) Hodie (1806) quatuor antiquae ibidem portae reperiuntur. *) Dei praesenti — 1889 — amplius non existunt.

b) Sive Tarkő, Slavis Kamenyicza.

*

CCXXIX

Ferdinandus I. Roman. ac Hung Rex Sigismundo Regi Poloniae, significat, a se Commissarios pro sufferendis litibus denominatos esse. Anno D. 1547.

Ex autographo Varallyae habito.

FERDINANDUS, Divina favente clementia, Romanorum Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque etc Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis etc. Serenissimo Principi Dno Sigismundo, Dei gratia Regi Poloniae, supremo Duci Lithvaniae, Russiae, Prussiae etc Domino et Haeredi etc Amico, Fratri et Consanguineo nostro charissimo salutem, et mutui perpetuique amoris continuum incrementum.

Serenissime Princips, Frater et Consanguinee noster carissime! Literas Serenitatis Vestrae, ad Nos proxime datas, intelleximus, quibus eadem Nobis significavit, quod fidelis noster Andreas de Bathor etc revisioni fidelium Commissariorum nostrorum, quos ad petitionem Serenitatis Vestrae pro cognoscendis omnibus controversiis et injuriis, quae inter eum et subditos Serenitatis Vestrae Tredecem Civitatum ortae fuissent, delegaveramus, parere noluisset, sed per contentionem servitorum ipsius Andreae Bathori negotium omne prorogatum fuisset, non potest Nobis non displicere, quod praedictarum injuriarum et controversiarum revisio, contra nostrum mandatum, dilata fuerit. Nam, ut antea Serenitati Vestrae significaveramus, propter eam, quae mutua inter nos est, necessitudinem, inter subditos utriusque nostrum pacem, amicitiam, et concordiam rebus in omnibus, pro aequitate communi, esse semper exoptavimus, quod etiam nunc magno studio desideramus. Scribit ad Nos ipseque Andreas Bathori, in sui excusationem significans, mandato nostro in rebus omnibus obedientem fuisse, et Commissariorum nostrorum Judicio de injuriis et controversiis tempore sui factis, ut decebat, parere voluisse: Verum Commissarii Serenitatis Vestrae optassent, de his quoque judicium fieri debere, quae tempore quondam Joannis et Georgii, Comitum Scepusiensium ac Alexii Thurzo[a] fuissent motae controversiae, de quorum

a) Vocatus in suspicionem infidelitatis, Officium Locumtenentiale deposuit, ac in litis aparatu anno 1542 obiit. V. Pray ibidem pag. 54.

factis et tempore non esset ei integrum, quodque nihil earum rerum sibi constaret, respondere, quae sibi ignota et non a se, aut a suis commissa essent. Serenissime Rex! Nos acceptis literis his postremis Serenitatis Vestrae, supplicationi Andreae Bathori non usque quaque locum dedimus, sed cupientes Serenitati morem gerere, eos ipsos Commissarios nostros, quos Eadem a Nobis optavit, in his ipsis controversiis ac injuriis revidendis, designavimus, illisque per literas Commissionis serio, ut certum diem et locum constituant, utrisque partibus in tempore significandum, in quo primum et ante omnia, jure mediante, discutiant et decernant, si Andreas Bathori de jure teneatur respondere de his, quae tempore Comitum praedictorum Scepusiensium et etiam Alexii Thurzonis commissa fuere? Et si jus id exegerit, eas quoque controversias priores adjudicent; sin aliter ipsis cognitum fuerit, has omnes nihilominus controversias et differentias, quae tempore ipsius Bathori ortae quacunque ex ratione fuerint, cognoscant, judicent et determinent. Quorum revisioni ut Bathori quoque comparere debeat, alio nostro mandato firmiter commisimus. Quare non dubitamus Serenitatem Vestram hanc nostram deliberationem et commissionem aequi bonique consulturam. Nam, sicuti praemisimus, cupimus, ut aequitati communi observatae, necessitudo illa fraterna, quae inter nos est, omnibus in rebus integra maneat, et amicitia atque concordia inter subditos utriusque nostrum non modo coalescat, sed in dies magis ac magis augeatur. Haec ad Serenitatis Vestrae literas et petitionem respondere voluimus.[b] Ceterum, quum hunc ipsum Nuncium Serenitatis Vestrae expedivissemus, accidit, ubi in itinere consedit in Civitate nostra Gracz[c] eo ipso tempore, quum Pragenses, Cives nostros, ob eorum rebellionem castigaremus, cujus rei metu et ipsi Cives de Gracz tumultuantes, nescius quid turbae concitaverant, Nunciumque Serenitatis interceperunt, et literis nostris, ab eo ereptis, gravibus contumeliis affecerunt; ob quae eorum delicta intelliget Serenitas Vestra, ita Nos in ipsos animadversuros, ut sentiant laesam dignitatem Serenitatis Vestrae, et nostram se non impune tulisse. Serenitas itaque vestra velit moram ipsius Nuncii sui et temeritatem nostrorum Civium aequo ferre animo: Nam nostrorum haec temeritas, et facinus audax ita per Nos punietur, quod posteris quoque erunt exemplo. Serenitatem Vestram optamus diu felicissime valere, cujus

b) Wagner. P. I. pag. 20.
c) Gregium, alias Savaria.

amori Fraterno Nos commendamus. Datum Pragae decima quarta Mensis Julii. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo.

Ferdinandus, m. p. (L. S.) Nicolaus Olahus Eppus Zagrabiensis, Cancellarius. m. p.

CCXXX.

Petrus Kmitha orat Praepositum Scepusien. quatenus pro usu Arcium exarendaret suas decimas, Anno 1547.

Ex autographo in Lublo existente.

REVERENDISSIMO Dno Stanislao, Quinque Ecclesiensi Episcopo, Praeposito Scepusiensi, S. R. Majestatis Consiliario etc Amico suo observandissimo et honorando. Reverendissime Domine, Amice observandissime, salutem plurimam et verba bona! Tametsi nihil magis fuit in animo meo, quam cum Vestra V. D. his partibus convenire, vivasque voces, non solum gratia confirmandae nostrae benevolentiae utrinque susceptae et professae, verum etiam Regnorum causa, quae ita conjuncta sunt, ut eadem bona eademque mala, quae absint, sibi polliceantur. Nihilominus etiam fortunam, quae nostrum institutum infecit, aequi boni consulamus interea, necesse est, illam olim venturam praestolemur, quae nos colloqui de omnibus necessariis, Deo volente permittet. Ita etenim sententiam Vestrae V. D. de praesentibus rerum omnium motibus, quam divinationem de futuris audire vellem, vel quod harum rerum suapte ingenio cupidus sim, vel quod prudentiae ac virtuti ipsius tantum tribuam, ut nihil nisi exactum ac solum ab ea tam fieri, quam dici putem. Quia penus primariae Castrorum invectiones sunt, a Vestra V. D. peto, quo certas suas decimas pro usu Arcium et praecipue Podolinensis, meis illis Vices gerentibus vendere justo pretio velit; de quo, deque aliis rebus Jacobus Lomnitzki, Notarius meus Lubloviensis, cum Vestra Dominatione fusius colloquetur, atque statuet; quodque justum erit, meo nomine numerabit: Vestra vero Venerabilis Dnatio, accipiet rem ut necessariam, ita mihi gratam faciet. Quia hic narratur Nobis, plerosque Hungariae Proceres nullum modum ponere Civilibus bellis continere me nequeo, quin a Vestra V. D. petam, ut dirimendis illis omni sua auctoritate et ingenio det operam, ut ipsas reliquias, perpetuo in sui per-

niciem furentes[a] melioribus fatis servet pro virili, tam piam quam necessariam faceret. Si D. etiam Pastores respicere nollet, Vestrae V. D. testatum fiat, me nihil reliqui fecisse, ut decimae aequabilitas retineretur perpetua atque constans[b] quod foret, si aliena redderet sua sponte. Quod restat, me commendo V. D. Ex Leszko die Dominico ante Festum Sancti Laurentii. Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo. Vestrae P. F. totus et sincerus, quamvis non satis notus. Petrus Kmitha Comes in Wisnicz. Palatin. et Capitan. Cracoviensis, S. E. S. Marschalcus. m. p.

CCXXXI.

Transcriptum Ferdinandei privilegii XXIV. Scepusien. Plebanos concernentis. Anno Dni 1548.

Ex Protocolo XXIV. Plebanorum apud Jonam Czirbesz existente.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Venerabilis Magister Jacobus, Parochus Ecclesiae de Waralia, Senior Plebanorum Ecclesiarum Viginti quatuor Civitatum terrae Scepusiensis, nostram personaliter veniens in praesentiam, exhibuit et praesentavit Nobis quasdam literas Sacrae Romanorum, Hung. Bohemiae etc Regiae Majestatis, Domini nostri Clementissimi, generaliter Statibus et Ordinibus dictae terrae Scepusiensis praeceptorie sonantes, in duplici papyro patenter confectas, Sigilloque majori ac manus subscriptione Suae Majestatis, in margine inferiore obsignatas, tenoris infrascripti, petens Nos debita cum instantia, ut tenorem earundem transcribi et transumi, praesentibusque literis nostris inseri facere dignaremur, quarum tenor sequitur et est talis:

Ferdinandus — — Romanorum Hung. Bohemiae etc Rex V. Wagner P. I. pag. 283.

Nos igitur legitimis petitionibus praefati Magistri Jacobi Parochi ac Senioris etc favorabiliter, praescriptas literas non abrasas, non cancellatas,

a) Optimum sane hoc votum Petri Kmitha erat, nihil enim magis Hungariae officere potuit, quam iteratae erga Reges naturales initae confoederationes.

b) Per haec suam invasionem in Decimas excusare nititur.

sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, sine diminutione et augmento aliquali, de verbo ad verbum transcribi et transumi, praesentibus literis nostris inseri facientes, pro defensione jurium suorum, sub pendente et authentico Sigillo nostro dandas duximus et concedendas. Datum Feria tertia proxima post Festum beatae Catharinae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo.[a]

CCXXXII.

Franciscus Mekche (Mecske) Vicar. Capituli Scepus. Matthaeivillensibus indulget, Sacerdotem pro se eligendi, absque tamen Plebani praejudicio. Anno Dni 1548.

Ex autographo in Archivo Oppidi existente per Joannem Scholtz, V. D. D. Ministrum mecum communicato.

FRANCISCUS de Meckhe[a] Praepositus de Posega, Custos, Canonicus et Vicarius hujus almae Ecclesiae Scepusiensis, dilectis nobis in Christo Prudentibus ac Circumspectis Viris Judici, ac juratis, ceterisque Civibus et inhabitatoribus in Villa Matthaei *(h. Matheócz)*, amicis honorandis salutem in Domino. Votivis supplicationibus, salutaribus desideriis, pro vestri parte Nobis porrectis, inclinati, authoritate nostra ordinaria, qua in praesentiarum fungimur, praesentium tenore concedimus, et indulgemus, quatenus a data praesentium, quoad legitimum Parochum nacti fueritis,[b] toties quoties opus fuerit, liceat vobis per idoneum Sacerdotem, quem ad hoc duxeritis eligendum, in ipsa Ecclesia beati Stephani Regis et Confessoris isthic fundata, divina officia celebrari, omniaque Sacramenta Ecclesiastica administrari facere.[c] Utque commodius et diligentius

a) Anno Dni 1609 idem Privilegium rursus ibidem transumptum fuit, ut eodem in Protocolo pag. 28. legere est.

a) Olim quidam Georgius Mekche in Scepusiensi Capitulo Praepositus fuit. V. Wagner P. III. pag. 72. Alter Stephanus de Mecske exercitus Ferdinandi Capitaneus anno 1552, cum Stephano Dobo de Rutsko obsessam ab Achmete cum centum sexaginta armatorum millibus Agriam adeo strenue defendit, ut ipsum ab Urbe, insigni clade affectum recedere coegerit. V. Nic. Schmith T. II. Episc. Agrien. pag. 382.

b) Ob Secerdotum defectum, undique propulsatorum, aliunde invitari debebant.

c) Utique non alia, quam Romano Catholicae Ecclesiae Sacramenta, ab ipso Christo instituta, hic intelligenda veniunt.

Sacerdotum quispiam vobis inservire queat, annuimus, ut omnes proventus ad Plebaniam dictae Ecclesiae interim provenientes, idem Sacrificus, communi vestrum voto adsciscendus[d] e medio vestri exigere et in usum suum convertere valeat.[e] Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Vigesima tertia die Decembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo. (L S impressi)

CCXXXIII.

Mandatum Thomae de Nadasd, Judicis Curiae super attestandis in facto metarum Civitatis Késmark testibus. Anno Dni 1549.

Ex autographo ibidem habito.

THOMAS de Nadasd, perpetuus Terrae Fogarach ac Comitatus Castri Ferrei Comes, Judex Curiae Serenissimi Principis et Domini Dni Ferdinandi, Divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc Regis, semper Augusti, Infantis Hispaniarum, Archidux Austriae etc ac Supremus Regni Hungariae Capitaneus: Reverendis, Venerabilibus, Egregiis, Nobilibus ac Circumspectis Incolis hujus terrae Scepusiensis, qui praesentibus fuerint requisiti, salutem et amicitiam. Expositum est Nobis in personis Magnifici Alberti Laszki ac Judicis, juratorum et totius Communitatis Civitatis Késmark, qualiter ipsi vestri in praesenti attestationibus, in certis eorum negotiis, potissimum factum metarum ejusdem Civitatis concernentibus, summe indigerent. Ideo vestram amicitiam hortamur et requirimus, ut quandocunque per dictum Dnum Laszki, aut Cives ejusdem fueritis, vel seorsim, vel simul requisiti, de vobis designati in ipsam Civitatem Késmark, ac in praesentiam Commissariorum, vel hominis, per Dnos Commissarios ad id deputandi, accedere, et de quibus interrogati fueritis, fideliter ad fidem vestram, Deo debitam, fidelitatemque dicto Dno nostro Regi observandam, fateri, ac reambulationi metarum interesse debeatis. Secus

d) Videlicet jure Patronatus, quo XXIV. Regales Civitates, de Regum indulgentia, usque ad assumptam Lutheri vel Calvini doctrinam gaudebant.

e) Itaque ea tempestate, Intercalaris Parochorum, ut vocamus, proventus administratoribus et pro tunc ita dictis Vicariis obtingebat, cedente nihilominus certa parte in reparationem Sartorum tectorum Parochialium.

igitur non facturi. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in Capitulo Scepusiensi Feria tertia beatae Sophiae. Anno Dni Millesimo quingentesimo quadragesimo nono. (L. S.)

CCXXXIV.

Ferdinandus I. Roman. Hung. etc Rex Igloviensium Nundinas, foraque confirmat. Anno D. 1550.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Ferdinandus, Divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque etc Rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgae, ac superiores et inferioris Silesiae, Virtembergae et Thekae, Princeps Sueviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Fereti, Kypurgi, et Coritiae, Langraffius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Burgoviae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavoniae, Portus Naonis et Salinarum etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fideles nostri Prudentes ac Circumspecti Acatius, Johannes Nayhower, et Georgius Schwarcz jurati Cives Civitates nostrae Iglow, Terrae nostrae Scepusiensis, nostrae Majestatis venientes in conspectum, suis ceterorumque Civium populorumque et Inhabitatorum ejusdem Civitatis nostrae Iglow, nominibus et in personis, exhibuerunt Nobis et praesentaverunt quasdam literas, in formam libelli factas, Serenissimi quondam Principis Ludovici Regis Hungariae, Domini Praedecessoris et Sororii nostri carissimi, bonae memoriae, in pargameno privilegialiter confectas, secretoque ejus Sigillo communitas, habentes in se tenorem quarundam literarum Serenissimorum quondam Principum, Dnorum Ludovici, Wladislai, et Sigismundi Regum, felicis recordationis, super annuentia certarum Nundinarum hebdomadalium in eadem Civitate nostra Iglow celebrandorum, nec non erectione, consignatione et renovatione metarum aliisque juribus et libertatibus praedictae Civitatis nostrae Iglow emanatis, tenorum infrascriptorum: Supplicantes Nobis humiliter, ut easdem literas et omnia in eisdem

contenta, ratas, gratas, et accepta habendo, literisque nostris inseri et inscribi faciendo, acceptare, aprobare et ratificare, ac pro eisdem Civibus populisque et inhabitatoribus praedictae Civitatis nostrae Iglow ipsorumque posteris et successoribus universis innovando perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur: quarum quidem literarum tenor est talis:

Ludovicus, Dei gratia Hung etc. V. Dipl. CXCII. Anni 1519. p. 331.

Nos itaque et accepta humillima supplicatione praenotatorum Acatii, Johannis Nayhower, et Georgii Schwartz, suis ceterorumque, quorum supra, nominibus et in personis, nostrae modo, quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, et clementer admissa, praeinsertas literas annotati quondam Dni Ludovici Regis non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua parte sui suspectas, sed omni prorsus vitio carentes, praesentibusque literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas, et inscriptas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, ratas, gratas et acceptas habendo, acceptamus, approbamus, et ratificamus, omniaque et singula in eisdem contenta, pro memoratis Civibus, populisque et Inhabitatoribus supra nominatae Civitatis nostrae Iglow, ipsorumque posteris et successoribus universis innovando, perpetuo valituras, gratiose confirmavimus, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio literarum. Datum per manus Reverendissimi Domini Nicolai Olahi Episcopi Agriensis[a] Compatris et Consiliarii nostri fidelis, Nobis sincere dilecti. Viennae, octava Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo, Regnorum nostrorum Romani vicesimo, aliorum vero vigesimo quarto.

---

a) Agriensem Cathedram consecutus est Anno 1548. De ipsius Natalibus, ortu atque Infulis, quas tenuit, una cum aliis praegestis muniis erudite disseruit R. P. Nicolaus Schmitth. Tom. II. Episcop. Agriensium a pag. 384 ad finem.

CCXXXV.

Sigismundus Augustus, Rex Poloniae mandat, ne a 13. Oppidanis antiqua telonia, in suo Regno usitata, summantur. Anno Dni 1551.

Ex autographo apud Podolinenses habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lythvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae etc Dnus et Haeres. Universis et singulis Teloniatoribus et substitutis, eorumque Notariis, per omne Regnum nostrum existentibus, praesentibus requirendis, fidelibus dilectis, gratiam nostram Regiam. Fideles dilecti! Intelleximus ex Magnifico Petro Kmitha, Comite de Wisnicz, Palatino et Capitaneo Cracoviensi Generali, Regni nostri Summo Marschalco, ac Scepusiensi, Premisliensi et Colensi Capitaneo: Quod Tredecem Civitates in Scepusio, nec non Oppidum de Lublow et Podolenicze *(Podolin)* sunt exemptae et liberatae ab omnium teloneorum antiquorum solutione, per omne Regnum nostrum. Et ideo vobis mandamus, omnino habere volentes, quatenus ab Oppidanis Tredecem Civitatum, ac de Lublow et Podolenicze nulla telonea antiqua exigere, et eos pro eisdem teloneis molestare non debeant; sed illos circa libertatem eorum conservent, quos et Nos, uti par est, conservamus, et retinemus. Secus igitur facere non ausuri pro gratia nostra. Datum Cracoviae Feria tertia proxima ante Dominicam Laetare. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Regni vero nostri anno vigesimo secundo. (L. S. Regni) Joannes Ocieski Regni Poloniae Vice-Cancellarius. Ad mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium.

CCXXXVI.

Idem Poloniae Rex ad instantiam Petri Kmitha discreto Waysko Wolochi concedit Tabernam, reparationis viarum intuitu per Montem Krempak. Anno Dni 1551.

Ex autographo apud Lubloviensis habito.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam Rei memoriam. Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lythvaniae etc Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit univer-

sis et singulis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quia cum retulisset Nobis Magnificus Petrus Kmitha in Wisnicz Comes, Palatinus Cracoviensis, Scepusiensis, Culmensisque Capitaneus, sincere Nobis dilectus, in silva nostra Krempak[a)] qua itur in Hungariam, in Monte etiam Krempak dicto, ne sub Monte eodem ob incommoditatem itineris difficilem, illam Mercatoribus et Vectoribus esse transitum, commodassetque Nobis in reparandis viis sedulitatem, discreti Waysko Wolochi Tabernae sub Monte praefato, possessoris, supplicassetque pro eo, ut ipsi privilegium super dictam Tabernam dare dignaremur. Nos itaque ad supplicationem et commendationem dicti Magnifici Petri Kmitha, in Wisnicz Comitis, praesentes literas privilegii ipsi Waysko Wolocho, ejusque legitimis successoribus dandas, et concedendas duximus, praesentibusque gratiose damus, et concedimus. Quarum vigore ipse Waysko cum suis successoribus praefatam Tabernam jure haereditario, et eo modo, quemadmodum Antecessores ipsius tenuerunt ex antiquo, tenebit et possidebit. Tenebitur autem praefatus Waysko ejusque Successores pro commodiori transitu illae iter egentium Mercatorum et Vectorum vias, tam in Monte Krempak, quam sub monte et circumcirca sumptu, et labore proprio restaurare, eoque contentus, quod Vectores illi, aut Mercatores ex bona voluntate sua, ratione reparationis viae, sine illorum oppressione et gravamine, sunt daturi. Ut autem ipse Waysko, ejusque Successores reparationem viarum diligentius superintendant, praefatam Tabernam, centum florenos monetae usualis, in singulo grossorum triginta in quemlibet computando polonicos, ipsi Waysko, ejusque Successoribus legitimis per praesentes literas nostras, per ipsum Waysko, ejusque Successores legitimos in summa praefata centum florenorum, quemlibet per triginta grossos computando, cum omnibus fructibus et emolumentis, quae ex ipsa Taberna proveniunt, ejusque Successores legitimos jure haereditario pacifice possidere, et possidendam resignare, vel in suos usus quosvis beneplacitos, suorumque Successorum convertat. Harum, quibus in fidem et evidentius testimonium Sigillum nostrum est subinpensum in principio literarum. Datum Cracoviae Feria quarta ante Dominicam Laetare proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Regni vero nostri. Anno Vgesimo secundo. (L. S. Reg.)

Joannes Ocieski Regni Poloniae Vice-Cancellarius.

a) Habetur post Possessionem Jarabina, qua nempe versus Mnisek et Galicianam Civitatem Piwiczna (sic) dictam, itur, unde etiam Possessio Krempak nomen suum accepit.

CCXXXVII.

Idem Rex Poloniae, ad relationem Petri Kmitha Capitanei, certorum Artificum inter se habitos Ordines et Consuetudines confirmat. Anno Dni 1551.

Ex autographo Lubloviae habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc, Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis praesentibus et futuris, horum notitiam habituris. Quia cum retulisset Nobis Magnificus Petrus Kmitha a Wisnicz Comes, Palatinus Cracoviensis, Scepusiensis, Premislensis, Colensisque Capitaneus, Regni nostri Marschalcus, sincere Nobis dilectus; quid Artifices in Oppidis nostris tenutae suae Lubowliae *(h. Lubló)*, Gniazdae *(h. Gnézda)*, Podolenicze *(h. Podolin)*, et praesertim Braxatores Cerevisiae, Fabri, Sartores et Sutores habeant inter se Plebiscita sua, articulos et consuetudines ob bonum ordinem inter se conservandum, per ipsos adinventa, quibus et hucusque utuntur, ac juxta eadem res suas disponunt; Supplicatumque Nobis pro dictis Incolis praefatorum Oppidorum, ut eadem illorum Plebiscita, articulos et consuetudines, quibus praefati Braxatores Cerevisiae, Fabri, Sartores, et Sutores sunt usi, authoritate nostra Regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Nos itaque debite perpendentes, ejusmodi Fraternitates inter Artifices ob bonum ordinem, inter illos conservandum, multum momenti adferre, supplicationi quoque ipsius Magnifici Petri Kmitha a Wisnicz Comitis annuendo, omnes et singulos articulos in genere et in specie, insuper et Plebiscita, juste et licite pro conservatione ordinis et Contubernii confectos, et confecta; insuper et consuetudines, quibus hucusque sunt usi, authoritate nostra Regia approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, eaque omnia, tanquam de verbo ad verbum fuissent inserta, quae etiam pro hic insertis et specificatis habere volumus, approbamus, ratificamus confirmamusque praesentibus hisce literis nostris decernentes robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere debere: Mandantes Magnifico Petro Kmitha a Wisnicz Comiti praefato, ac aliis pro tempore existentibus Capitaneis Scepusiensibus, ut dictos Artifices in Lubowlia, Gniazda, et Podolenicze Braxatores Cerevisiae, Fabros, Sartores et Sutores juxta dicta Plebiscita, articulos et consuetudines, quibus utuntur, manuteneant, et defendant, tueanturque, illisque uti libere permittant, et permitti ab aliis faciat, pro debito suo et gratia

nostra. Harum, quibus in fidem et evidentius testimonium Sigillum nostrum praesentibus appendi jussimus, testimonio literarum. Datum Cracoviae Feria quinta post Dominicam Judica proxima. Anno Dni Millesimo quingentisimo quinquagesimo primo. Regni vero nostri anno vigesimo secundo. (L. S. Regni) Joannes Ocieski R. P. Vice Cancellar. Succamerarius Terrae et Burgrabius Cracoviensis, Sandecensis, Ostinensisque Capitaneus. m. p.

CCXXXVIII.

Idem Rex ad intermediationem Petri Kmitha mandat suis Teloniatoribus, quatenus ab Oppidanis de Lublo, Gnezda et Podolin nulla telonia antiqua exigant. Anno Dni 1551.

Ex autographo Podolini habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc Universis et singulis Teloniatoribus et substitutis, eorumque Notariis, per omne Regnum nostrum existentibus, requirendis, fidelibus et dilectis gratiam nostram. Fideles dilecti! Intelleximus ex Magnifico Petro Kmitha de Wisnicz Comite, Palatino et Capitaneo Cracoviensi, Generali Regni nostri Marschalco, ac Scepusien. Premislien. Colnensique Capitaneo; Quod Oppidani de Lublaw, Gniazda, et Podolenice, Administrationis suae, sunt exempti et liberati ab omni telonorium antiquorum solutione per omne Regnum nostrum: et ideo vobis mandamus, omnino habere volentes, quatenus ab Oppidanis de Lublaw, Gniazda et Podolenice nulla telonia antiqua exigere, et eos pro eisdem teloniis molestare non debeant, sed illos circa libertatem eorum conservent, quos et Nos, uti par est, conservamus et retinemus. Secus igitur facere non ausuri pro gratia nostra. Datum Cracoviae Feria quinta post Dominicam Judica. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Regni vero nostri anno vigesimo secundo. Joannes Ocieski Regni Poloniae Vice-Cancellarius m. p. Ad mandatum Sacrae Majestatis Regiae proprium. (L. S. Regni.)

CCXXXIX.

Metales literae Oppidi Olasz, post initam cum Welbachiensibus concordiam extradatae. Anno Dni 1553.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Prudens ac Circumspectus Matthaeus Byro, alias Goltschen vocatus, Cives Varaliensis, cum plena authoritate Sacrae Regiae Majestatis Poloniae, Domini sui clementissimi, sibi in infrascriptis attributa, adhaerentibus eidem Prudentibus ac Circumspectis Alexaudro Lanio Judice, et Georgio Mensatore Jurato Cive de Oppido Olazi, alias Wallendorff vocato, suis ac totius universitatis Inhabitatorum Oppidi ejusdem nominis et in personis ab una, parte vero ab altera Nobilis Joannes Grundel, Notarius Arcis Scepusiensis, in persona Generosi ac Magnifici Dni Joannis Thurzo, Comitis Scepusiensis, itidem cum integra authoritate ejusdem Domini scilicet sui: adhaerentibus eidem Providis et Circumspectis Paulo Judice, et Benedicto Erasmi, jurato Cive Oppidi Aylembach *(h. Velbach)*, similiter suis ac totius Communitatis ejusdem Oppidi nominibus et in personis, coram nobis personaliter constituti, concordi consonaque voce, ac unaminiter confessi sunt, et retulerunt isto modo: quod, quamvis partes inter easdem, ratione et praetextu quarundam metarum, limitum et silvarum, a multis retroactis annis plurimae differentiae contentionumque materiae exortae fuerint, et suscitatae, tamen eaedem partes saniori usae consilio, ut ipsae et earundem posteri mutua quiete bonaque vicinitate frui et gaudere perpetuo, suosque limites juste possidere valeant, abrenunciatis plane hujusmodi litibus, ratione praevia motis — — praenominatis dictorum tum Domini Regis, tum Comitis Scepusiensis hominibus, ad id specialiter transmissis, Feria quarta in profesto scilicet beatorum Petri et Pauli Apostolorum proxime praeterito, ad facies praedictarum metarum et silvarum, Venerabilibus Magistris Jacobo Ecclesiae praefati Oppidi Olazy ac Paulo, Plebano de Aylembach praenominata: aliisque quam plurimis probis viris vicinisque et Cometaneis, more solito ad id convocatis et praesentibus accessissent, inibique perlectis, et bene discussis literis et privilegiis partis utriusque, cognitisque verorum usuum attestationibus, partibus utrisque benevole et deliberate ad id consentientibus, metas et limites

praeallegatorum Oppidorum Olazy et Aylembach, per suas veras et antiquas metas reambulassent, novasque juxta veteres in locis necessariis pro aequitate erexissent, et ab aliorum juribus possessiones metaliter separassent et distinxissent, justeque utendas reliquissent; atque ita hisce peractis in perpetuo duraturam concordiae devenissent unionem; imo nostri in praesentia se devenisse retulerunt; petentes Nos debita cum instantia, quatenus super hujusmodi unione, metarumque rectificatione modo infra scripto factis, literas nostras privilegiales jurium suorum ad cautelam dare et conferre dignaremur: qui quidam umanini voto metas praedictas hoc modo et ordine prout sequitur, limitassent, distinxissent, metatique fuissent. Quod prima meta incipit fere in medio montis Stolczak *(h. Stolcek)* vocati, a Septentrione ascendendo, ubi erectae sunt tres metae terreae antiquae; quarum una ab Oriente pertinet ad Cives de Olazy, altera ab Occidente ad Cives de Aylenbach, tertia a Septentrione praedii seu Villae desertae Aranyos.[a] Hinc versus Meridiem eundo per breve spatium, erecta est prima nova meta terrea in montis planitie, quae agros Civium de Olazy et de Aylembach separat; deinde eundo per spatium circiter septuaginta tres passus ad secundam terram arabilem Civium de Olazy et Aylembach. A secunda meta itur in dorso montis ad tertiam metam, noviter erectam versus Meridiem circiter trecentos passus a secunda distantem. Quarta meta distat a tertia, directe eundo, passus fere ducentos versus meridiem. A quarta meta eundo eodem monte circiter trecentos passus. Quinta meta terrea est erecta versus meridiem. Sexta meta terrea per declivitatem in vertice vallis, Grosmannsgrund vocati, distat a quinta meta passus fere centum et quinquaginta. Septima meta est eundo in descensu vallis Grosmannsgrund, a parte sinistra versus meridiem circiter trecentos et quinque passus, versus Oppidum Aylembach prospiciens. A septima meta recte descendo per vallem quandam, et ascendendo ad verticem collis circiter centum et septuaginta sex passus versus meridiem, octava meta terrea est erecta. Ab octava meta in eodem colle eundo versus meridiem, circiter centum et quadraginta passus, nona meta terrea erecta, prospiciens versus Aylembach. A nona meta descendendo in dextra parte in dorso vallis Scherersgraben vocati, per centum et viginti passus itur ad decimam metam terream, noviter erectam versus meridiem. A decima

a) V. Part. I. pag. 94. Diplom. XXV.

meta terrea itur in vertice vallis, Scherersgraben vocati, ad duas metas terreas, quarum una, ex parte dextra descendendo, pertinet ad *Ay*lembach, altera a sinistra parte descendendo dividit terram arabilem Civium de Olaz*y* versus meridiem in eodem vallis vertice; ab illis duabus metis in vertice vallis descendendo usque ad finem vallis duae metae terreae erectae sunt ex utraque parte vallis, quarum una ex dextra parte in descensu pertinet ad *Ay*lembach, altera a parte sinistra pertinet ad Olaz*y*, circiter ducentos et nonaginta passus distantes a superioribus duabus metis. Deinde eundo in sinistra collis parte versus meridiem per passus centum et quadraginta septem, ad quintam decimam metam terream erectam, in colle ex adverso montis Hennigesberg vocati, pervenitur. A decima quinta meta terrea recte descendendo per passus octuaginta venitur ad sextam decimam metam erectam, prope rivulum Schebnyk versus meridiem. A prima meta nova usque ad hanc decimam sextam, quae distat tribus fere passibus a fluvio Schebnyk, ex singulis partibus omnium praedictarum metarum ducti sunt continui duo sulci, tribus passibus inter se distantes: Qui ad majorem certitudinem et firmitatem terras Civium de Olaz*y* et *Ay*lembach separarent. Deinde per rivulum praenominatum Schebnyk eundo ad pratum, ultima nova meta terrea est erecta in ipso prato. Ab ea meta terrea per pratum directe eundo, ad antiquam metam terream prope Regium iter, qua itur ad Iglo et *Ay*lembach in bivio, et antiquam metam noviter erectam. Et sic metae illae inter Olaz*ii* et *Ay*lembach terminarentur. Nos itaqae praefatorum Domini Regis ac Comitis, ipsisque adhaerentium hominum petitionibus, nominibus, quorum supra — favorabiliter inclinati super praedicta metatione, limitumque distinctione concordibus partium animis, (ut praemittitur) facta, et acceptata, praesentes literas nostras Sigilli nostri authentici appensione munitas, memoratis Judicibus, juratis, Communitatibusque praetactorum Oppidorum Olaz*y* et *Ay*lembach, ipsorumque posteritatibus utriusque sexus universis, jurium suorum uberiorem ad cautelam, communi justitia suadente, duximus dandas et concedendas. Datum post praescriptum beatorum Petri et Pauli Apostolorum Festum Sabbatho proximo. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

CCXL.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae Lubloviensium privilegiales innovat. Anno Dni 1556.

Ex autographo ibidem habito.

IN nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum omnes humanae res casibus fortunae subjectae sint, nihilque adeo ope vel ingenio hominum constitutum est, quod non fortunae periculis, injuriisque labefactari, aut everti possit; convenire imprimis Officio Principum existimamus, res, quas perennes esse oportuit, omnibus praesidiis ab interitu vindicare; praesertim vero beneficia, ab ipsis profecta, literarumque monumentis, quo perpetuo forent commendata. Cum itaque literae privilegiorum ab Antecessoribus nostris, Serenissimis Ungariae et Poloniae Regibus, Oppido Lubowla *(sic)*, in teritorio nostro Scepusiensi concessorum, miserabili recentis incendii casu, absumptae essent, ita tamen, ut ex iis semiustis illorum sententia colligi atque investigari possit. Itaque Nos Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithvaniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniae, Russiae, totius Prussiae, Massoviae, Samogitiaeque et Dominus et Haeres, significamus praesentibus literis, quorum interest universis, tam iis, qui nunc sunt, quam qui postea futuri sunt, Officio nostro Regis, ac precibus Oppidanorum Lobowliensium adducti, privilegia Oppidi ejusdem ita innovanda voluimus, ut nonnulla ad verbum inseri, nonnullorum summam tantummodo annotari mandaverimus. Ac imprimis quidem Domini olim Ludovici Ungariae Regis literarum, erectionem ejusdem Oppidi, ac ceteras quasdam libertates, et finium conscriptionem in se continentium, tenor sequitur, estque talis:

Wladislaus, Dei gratia Rex Poloniae etc V. Diplom. CXX. Anni 1414. p. 197. et CLII. 1440. pag. 268.

Item produxerunt quoque literas binas sub titulo et sigillo Capituli Scepusiensis, insertionem literarum Serenissimi olim Dni Sigismundi Romanorum Regis, et Gubernatoris Romani *(sic)* et Ungariae, in se continentes, quarum unae imunitatem a solutione tributi, aliae vero silvarum et aquarum libertatem, eisdem Oppidanis concessum usum, in se continebant. Produxerunt insuper et alias plerasque literas, quae propter earum combustionem legi

*

non potuerunt. Quamobrem Nos Sigimundus Augustus Rex, praenominatas literas tam praeinsertas, quam etiam has, quarum tantummodo summa descripta est, ac alias, in quarum usu ipsi Cives Lubowlienses fuerunt; ac praeterea omnes libertates, immunitates plebiscita, et alias quasvis consuetudines approbandas, confirmandas, ratificandas, et reintegrandas duximus, approbamusque et reintegramus literis hisce nostris, easque robur debitae, ac perpetuae firmitatis, ac si hic insertae essent, habituras decernimus perpetuis temporibus. Quod omnibus, quorum interest, aut intererit in futurum, nominatim vero Generoso Johanni Bonar de Balice, Castellano Biecensi, Magno Procuratori Arcis nostrae Cracoviensis, ac Scepusiensi, Rabstinensique Capitaneo, et aliis pro tempore existentibus Capitaneis denuntiantes, mandamus, ut Oppidanos nostros praenominatos Lubowlienses in eorum libertatibus conservent, neque eas ulla in parte violare audeant, pro gratia nostra. In cujus rei fidem et testimonium Sigillum nostrum praesentibus et appensum. Datum Vilnae die Dominico ante Festum Sancti Johannis Baptistae proximo. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. Regni vero nostri anno vigesimo septimo. Praesentibus Magnifico, Generosis, Reverendo et Venerabilibus: Achacio Czemae Marienburgense, Stumense, Mevenseque Capitaneo, Johanne Luthomierski, Ravensis Curiae nostrae Thesaurario, Arcis Cracoviensis Burgrabio, ac Lanciciensi, Radomiensi Capitaneo, Gabriele Tarto de Sczekarczewice Radomiensis, Serenissimae Dominae conjugis nostrae Curiae Magistro, Chelmensique Capitaneo, Castellanis, Johanne de Przeramb regni nostri Vice-Cancellario, ac Gnesnensi, Cracoviensique Praeposito, Nicolao Trzebchowski, Cubiculi nostri Praefecto, Arcis nostrae Cracooiensis Burgrabio, ac Brestensi, Leloviensique Capitaneo, Stanislao Miskowki de Mirow, Incisore mensae nostrae et Capitaneo Marienburgensi, Alberto Kryski, Succamerario Plocensi, Petro Arczechowski Juris utriusque Doctore, Vielicensi Canonicis, Secretariisque nostris et aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus, Secretariis nostris, testibus fide dignis circa praemissa existentibus. Datum per manus ejusdem praefati Reverendi Johannis de Przeramb, Regni Poloniae Vice-Cancellarii, ac Gnesnensis, Cracoviensis Praepositi, sincere Nobis dilecti. Johannes Przeramski Regni Poloniae Vice-Cancellarius, ac Gnesnen. Cracoviensis praepositus. m. p. (L. S. Regni.)

CCXLI.

Rescriptionales Leutschoviensium super exemptione Tricesimae. Anno Dni 1557.

Ex Tramsumpto ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod Prudentes et Circumspecti Dni Daniel Thurcus Judex, et Caspar Knaffler juratus Civis Regiae Civitatis Leuchoviensis, nostram personaliter venientes in praesentiam in ipsorum ac ceterorum Juratorum et totius Universitatis Civium, et inhabitatorum ejusdem Civitatis Leuchoviensis nominibus et personis, exhibuerunt, et praesentaverunt Nobis quasdam literas nostras Transumpti, in pargameno editi patenter, Sigilloque nostro in Zonula coloris flavi appenso, ac ob vim ignis plane liquefacto et absorpto, roboratas, tenorem literarum Serenissimi quondam Principis Dni Sigismundi, Dei gratia Romanorum etc Regis privilegialium, quibus mediantibus idem olim Dnus Sigismundus Rex praefatis Civibus, Mercatoribus, populis, incolisque et inhabitatoribus dictae Civitatis Leuchoviensis, ut videlicet iidem Cives, et inhabitatores semper et ubique penitus, et in toto, tam in exeundo quoque de Regno, quam in idem Regnum Hungariae redeundo a totali solutione Tricesimae de omnibus rebus eorum mercialibus et commutabilibus liberi sint, et omnimode exempti habeantur, eandem totalem solutionem Tricesimae ipsis perpetuo et irrevocabiliter gratiose relaxasse, et dimisisse dinoscitur, in se continentiam tenoris infrascripti; petentes Nos debita cum instantia, ut easdem transcribi et transumi praesentibus literis nostris, similiter patentibus inseri facere dignaremur; quarum tenor sequitur et est talis:

Nos Capitulum Ecclesiae beati Martini etc V. Diplom. CXXVIII. Anni 1420. pag. 217.

Unde Nos justis et legitimis petitionibus annotatorum Danielis Judicis et Caspari jurati Civis suis, ac quorum supra nominibus, factis, favorabiliter inclinati, praescriptas literas nostras non abrasas, non cancellatas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali, praesentibus inseri facientes, memoratis Judici, Senatui, ceterisque Civibus et inhabitatoribus Civitatis Leuchoviensis, sub sigillo ibidem nostro appenso, jurium eorum ad cautelam, communi justitia suadente,

duximus extradandas, et concedendas. Datum in Sabbatho proxima ante Festum divae Margarethae Virginis et Martyris. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo.

CCXLII.

Sigismundus Augustus Privilegiales Podolinensium confirmat. Anno Dni 1559.

Ex autographo ibidem habito.

IN nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniaeque etc Dominus et Haeres. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Exhibitas Nobis esse literas nomine Civium nostrorum de Podolenice, sub titulo et sigillo Serenissimi olim Wenceslai Regis Bohemiae, Ducis Cracoviae et Sandomiriae, Marchionisque Moraviae, iisdem Civibus concessas, sanas, salvas et integras, omni suspicione carentes: Supplicatumque Nobis est, ut eas authoritate nostra Regia confirmare, approbare et ratificare dignaremur; quarum tenor est iste:

Nos Venceslaus Rex Bohemiae etc. V. Suppl. Anal. Part. I. pag. 350.

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex praenominatus, literas praeinsertas pargameneas ratas et gratas habentes, eas in omnibus earum punctis, clausulis et articulis approbandas, confirmandas et ratificandas duximus, approbamusque et ratificamus, praesentibus literis nostris decernentes, eas robur debitae et perpetuae firmitatis habere debere. In cujus rei fidem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracoviae Feria secunda post Dominicam conductus Paschae proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo quioquagesimo nono. Regni vero nostri Anno tricesimo. (L. S. R.) Philippus Padniewski Vice-Cancellarius Regni, Gnesnensis, Lanciciensisque Praepositus, et Decanus Cracoviensis. m. p.

CCXLIII.

Idem Rex mandat Joanni Bonar, ut Lublovienses, incendio damnificatos ab omnibus oneribus immunes per annos sedecim habeat. Anno Dni 1559.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc Generoso Johanni Bonar de Balicze, Castellano Biecensi, Magno Procuratori Arcis nostrae Cracoviensis, Scepusiensi, Rabstinensique Capitaneo fideli, dilecto, in absentia ejus Vice-Capitaneo Scepusiensi, vel Lublowiensi Praefecto gratiam nostram Regiam. Generosi fideles, dilecti! Quemadmodum ante annos aliquot post inclementiam ignis, quo Incolae Oppidi nostri Lobowliensis afflicti fuerunt, omnibus incolis nostris Lubowliensibus libertatem et immunitatem a Censibus, contributionibus, et oneribus quibusvis, per eos Nobis pendi et praestari solitis, ad sedecem annorum decursum dederamus, et ut in eadem ipsa libertate omnes et singulos conservet, conservarique ad expletionem usque integram sedecem annorum praescriptorum jubeat; pro gratia nostra et Officio secus non faciat. Datum Cracoviae vigesima octava die Mensis Aprilis. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo nono. (L. S. p.)

CCXLIV.

Idem Rex confirmat Boleslai Ducis Poloniae Privilegia. Anno Dni 1559.

Ex autographo Parte Supplem. Anal. I. commemorato.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis, produxisse coram Nobis certos Consiliarios nostros, nomine Venerabilis et religiosi Joannis Janowski, Abbatis et totius Conventus sui Monasterii Scirczyczensis, in Terra Cracoviensi consistentis, literas pargameneas infrascriptas, titulo et sigillo subappenso Illustris Domini Boleslai Cracovien-

sis et Sandomiriensis Ducis communitas, Abbati praefato et Monasterio ejus, supra scripto, ratione bonorum, in iisdem literis specificatorum, servientes, sanas, salvas et integras, nullique vitio aut suspicioni obnoxias, supplicasseque, ut ejusmodi literas et omnia eorum contenta, authoritate nostra Regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur, quarum is tenor fuerat.

In nomine Domini Amen. Quoniam tempus imprimit quandam infectionem etc. V. Supl. Anal. P. I. Dipl. XIX. pag, 69.

Nos igitur Sigismundus Augustus Rex praefatus, supplicationi ejusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas, quatenus usus earum retinetur, in omnibus punctis, clausulis, conditionibus et articulis, authoritate nostra Regia approbamus, ratificamus et confirmamus, vimque et robur debitae firmitatis obtinere debere decernimus, harum testimonio literarum, quibus Sigillum nostrum est subappensum. Datum Cracoviae Feria secunda infra octavas Corporis Christi. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo nono. Regni nostri trigesimo. Joannes Ocieczki R. P. Cancellarius m. p. Relatio Magnifici Domini Joannis de Ocieczino R. Poloniae Cancellarii Cracovien. Generalis, Osvioncensis, Zatorien. Sandecen. Ostinensisque Capitanei.

CCLXV.

Idem Rex Poloniae, ejusdem Boleslai Ducis privilegia confirmat. Anno Dni 1559.

Ex autographo ibidem commemorato.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiaeque Dominus et Haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis, produxisse coram Nobis certos Consiliarios nostros, nomine Venerabilis et Religiosi Joannis Janowski, Abbatis et totius Conventus sui Monasterii Scyrczyensis, in Terra Cracoviensi consistentis, binas literas pargameneas infrascriptas, utrasque titulo et sigillo subappenso, Illustris videlicet Boleslai Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis communitas, Abbati praefato et Monasterio ejus supra

scripto, ratione bonorum, in eisdem terris specificatorum, servientes, priores quidem sanas, salvas et integras, posteriores vero, ob nimiam vetustatem maculatas, nulli tamen vitio aut suspicioni obnoxias, supplicasseque, ut ejusmodi literas et omnia eorum contenta, authoritate nostra Regia innovare, confirmareque, ratificare et approbare dignaremur. Primarum autem literarum is tenor fuerat:

In nomine Domine Jesu Christi. Amen. Nos Boleslaus, Dei gratia Dux Cracoviae — notum facimus universis etc V. Suppl. Anal. P. I. Diplom. XIV. pag. 58. etc antecedaneas praeprovocatas.

Nos itaque Sigismundus Rex praefatus supplicationi ejusmodi benigne annuentes, literas utrasque praeinsertas, quatenus usus earum retinetur, in omnibus punctis, clausulis, conditionibus et articulis, authoritate nostra Regia, innovamus, confirmamusque, ratificamus et approbamus, vimque et robur debitae firmitatis obtinere debere decrevimus. Harum testimonio literarum, quibus Sigillum nostrum est subappensum. Datum Cracoviae Feria secunda intra Octavas Corporis Christi. Anno Dni Millesimo quingentesimo quinquagesimo nono. Regni vero nostri trigesimo. Joannes Oczieszki R. P. Cancellar. m. p. Relatio (ut supra) ejusdem.

CCXLVI.

Ferdinandus I. Roman. Imp. et Rex Hung. Sabbatale forum Oppido Montis S. Georgii confirmat. Anno Dni 1560.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Ferdinandus Divina favente clementia Romanorum electus imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc Rex, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, et Wirtembergae etc. Comes Tyrolis etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fideles nostri Prudentes et Circumspecti Judex et jurati Cives Oppidi Szombathely *(sic)*, alias Sancti Georgii vocati, nostram accedentes in praesentiam, per supplicem eorum libellum humiliter, Nobis declarandum, exponendumque curaverunt: Quomodo ipsorum praedecessores ab antiquis temporibus libertate et praerogativa, liberorum fororum hebdomadalium, in dicto Oppido ipsorum singulis diebus Sabbathis, in singulis septimanis celebrari solitorum, semper usi et gavisi fuissent, prout ipsi modo quoque

eadem libertate uterentur, et gauderent. Super qua quidem ipsorum libertate, licet literas quoque, et literalia instrumenta sufficientia habuissent, ea tamen superioribus annis, dum videlicet domus Judicis ipsorum, in qua privilegia dicti eorum Oppidi asservata fuissent, ignis voragine consumpta essent: Supplicantes propterea Nobis humillime, ut, quum ipsi modo quoque eadem libertate gauderent, dignaremur eis super ea literas privilegiales dare. Nos itaque Supplicationi praefatorum Judicis et Juratorum Civium dicti Oppidi Sancti Georgii clementer exaudita, forum hebdomadale liberum singulis diebus Sabbathi, in qualibet septimana, omnino sub iisdem libertatibus et praerogativis, quibus fora hebdomadalia aliarum Civitatum, Oppidorum et Villarum Regni nostri Ungariae celebrantur, in eodem Oppido Szombat*hel*, alias Sancti Georgii vocati, perpetuo celebrari, denuo duximus annuendum, et gratiose concedendum: imo annuimus, et concedimus praesentium per vigorem, absque tamen praejudicio Nundinarum, seu fororum annualium, sed et hebdomadalium liberorum quorumcunque. Quocirca vos universos et singulos Mercatores, Institores, et alios forenses homines, atque viatores quoslibet serie praesentium affidamus, assecuramus et certificamus, quatenus ad praedicta fora hebdomadalia libere, per Nos in praefato Oppido Sancti Georgii, modo praemisso, perpetuo celebrari denuo commissa, et concessa, cum omnibus mercantiis, rebusque et bonis vestris quibuslibet libere et secure, ac sine omni pavore et formidine rerum, ac bonorum et personarum vestrarum veniatis, properetis, et accedatis; peractisque vestris cunctis negotiationibus ad propria, vel alia, quae malueritis loca, redeatis. Salvis semper rebus et bonis, ac personis vestris, sub nostra protectione et tutela speciali permanentibus. Et haec volumus per fora et alia loca publica, ubi necesse fuerit, palam et manifeste facere proclamari. Praesentes vero, quas secreto Sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti communiri fecimus: Post earum lecturam semper reddi volumus et mandamus praesentanti. Datum Viennae Austriae, die secunda Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo. Regnorum Romani tricesimo, aliorum tricesimo quarto Electionis autem nostrae Imperatoriae anno tertio.

Ferdinanuus, m. p. (L. S. p.) Nicolaus Olahus Strigon. m. p.[a]

Joannes Listhius, m. p.[b]

---

a) Hoc ipso anno Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis indixit Synodum, quam Tyrnaviae celebravit, causa probandorum Curatorum, an Catholici adhuc essent, in eaque statuta saluberrima condidit. V. Carol. Péterffy Part. II. Concil. Hung.

b) Cf. Nicol. Schmitth. Tom. III. Episc. Agrien. pag. 59.

CCXLVII.

Nobiles Martinus Hayway quartam partem Proedii Kromlow Ecclesiae Podolinensi in perpetuam eleemosynam donat. Anno Dni 1560.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus per praesentes: Quod Nobiles Matthaeus et Caspar Hayway ad praesens in Civitate Podoliniec commorantes, onera et quaelibet gravamina Viti et Melchioris, fratrum suorum carnalium, in subscriptis super se assumptis, coram Nobis personaliter constituti, sponte et libere in hunc modum fassi sunt: Quod, quomodo Nobilis quidam Martinus Hayway, Pater eorundem fratrum, volens pro terrenis Coelestia, et pro caducis aeterna, in Coelisti Hierarchia commutare! ob spem et devotionem, quam ipse erga beatissimam Mariam semper Virginem, Matrem Domini nostri Jesu Christi, in cujus nomine Ecclesia, in Civitate Podoliniecz, praedicta, fundata, et dedicata extitit, gessisset. Hac de causa quartam partem Proedii, Kromlow*) vocati ipsum jure haereditario concernentem, in comitatu Scepusiensi existentem, habitam, memoratae Ecclesiae Podoliniecz, sua et Parentum suorum animarum salute, in perpetuam eleemosynam dedisset, donasset, et contulisset. Pariformiter iidem Nobiles Matthaeus et Caspar Hayway, dictam quartam partem proedii Kromlow, pro refrigerio animarum suarum, et Parentum Ecclesiae saepefatae dedissent et donassent, imo dederunt et donarunt, et contulerunt coram Nobis, jure perpetuo et irrevocabiliter, his conditionibus et articulis interjectis, quo concives praefatae Civitatis Nobilem Dominam Elisabeth relictam, quondam Nobilis Martini Hayway praedicti, matrem eorundem fratrum, cum uno filio suo, in omni libertate tenere, et conservare teneantur, et sint astricti, ipsumque proedium quartuale nulli, nisi Provido Solthycz de Druzbaki *(h. Ruzsbach)*, qui dictam Elisabeth relictam victu in dies sustentat, annualem per arendam dare possint et valeant. Harum nostrarum vigore, et testimonio literarum mediante. Datum Feria quarta proxima post Dominicam Oculi. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo.

---

*) Praedium Kromlow dictum amplius non existit.

CCXLVIII.

Ferdinandus Imp. et Hung. Rex a Cibiniensi Civitate 500-tos flor. mutuat. Anno Dni 1560.

Ex autographo ibidem habito.

FERDINANDUS, Divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus etc etc. Fatemur, et recognoscimus tenore praesentium pro Nobis, nostris Haeredibus ac Successoribus notum facientes, quibus expedit universis: Quod cum Prudentes, Circumspecti fideles, Nobis dilecti, Judex, jurati Cives, ceterique Incolae Civitatis nostrae Cibiniensis*) ad benignam nostram requisitionem, in praesentes Regni nostri Hungariae usus bellicos, sub spe futurae restitutionis Quingentos florenos Hungaricos, singulos septuaginta crucigeris a) computandos, humillime mutuaverint, et ad manus nostri Consiliarii et solutionum bellicarum Magistri, Mathiae Camreri, Fuchs agnominati, in parata pecunia numeraverint; Nos praeterea praedictos Judicem, juratos Cives, reliquosque Incolas Cibinienses de rehabitione praedicti Quingentorum florenorum Hungaricorum mutui, in Tricesimam nostram Zempliensem *(sic)* lementer assecurasse; imo assecuramus, pollicemur, et affirmamus vigore praesentium ita: Quod Nos, nostri Haeredes et Successores, praedictis: Civitatis nostrae Cibiniensis Judici, Juratis Civibus, ceterisque ejus Incolis praetactos quingentos florenos Hungaricos ex proventibus et reditibus praelibatae Tricesimae nostrae Zempliensis, infra unius anni spatium, citra omnem defectum et dilationem, ad manus ipsorum exolvere, et numerare velimus, tenemur, vigore literarum nostrarum, hoc nomine ad Cameram nostram Hungaricam expeditarum. Harum nostrarum testimonio Sigilli nostri appensione, manusque subscriptione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna die decima quinta Julii. Anno a nato Christo Millesimo quingentesimo sexagesimo Regnorum nostrorum Romani tricesimo, reliquorum vero tricesimo quarto.

Ferdinandus mp. (L. S.) Ad mandatum Dni electi Imperatoris proprium. F. Thurzo mp. Linus Pugler de Veinasarey mp. Kexteis mp. Drumet mp.

---

*) Cibinium, Kis-Szeben in superiori Hungaria (in Comitatu Sáros) sitae.

a) Discimus hinc, quem valorem ea tempestate Hungaricus florenus habuerit.

CCXLIX.

Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, mandat suis Praefectis, ut Lublovienses in privilegiis suis conservent. Anno Dni 1562.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc universis et singulis Territorii nostri Scepusiensis Praefectis et Administratoribus, praesertim vero Oppidi Lubowla Rectoribus, praesentibus et futuris, notum facimus, tenore praesentium, exhibitas et authentice coram Nobis esse reproductas nomine Oppidanorum Lubowlia, et aliorum subditorum nostrorum in eodem Territorio Scepusiensi consistentium, literas authenticas, piae olim recordationis Hungariae et Poloniae Regum, Praedecessorum nostrorum, a Nobis confirmatas, certas immunitates et praerogativas eisdem liberaliter concessas, in se complectentes: Supplicatum est Nobis humiliter pro parte illorum, ut eosdem Cives et universos subditos nostros juxta praescriptum earundem literarum conservare, et manutenere, simulque Capitaneis et tenutariis, atque omnibus praefectis nostris, ejusdem Territorii Scepusiensis injungere et demandare dignaremur, ne ipsi Officiales nostri jura privilegia, concessiones et praerogativas eorundem subditorum nostrorum violare, et infringere quovis modo audeant; sed potius ex debito Officii sui, ab aliis omnibus, a quibuscunque contra libertates et praerogativas suas aliqua injuria affecti fuerint, vindicent, tueantur ac defendant. Cui quidem supplicationi illorum, uti justae, Nos benigne annuendo, futuris in universum omnibus Officialibus, et Praefectis nostris Territorii Scepusiensis, quorum hic nomina et cognomina pro expressis haberi volumus, tam his, qui nunc sunt, quam etiam his, qui postea futuri erunt, mandamus, omnino habere volentes, ut eosdem subditos nostros in juribus, praerogativis, et concessionibus nostris, et Praedecessorum nostrorum conservent, et manuteneant. Decimas manipulares, quas ipsi juxta contractum Capituli Scepusiensis persolvunt, ab ipsis per vim non exigant, liberumque navigandi et piscandi in fluvio Poprad, atque venandi in silvis et nemoribus nostris, pro usu domestico in illis ligna excidendi facultatem, juxta privilegia illorum, illis sinant. A Ruthenis et aliis vicinis illorum eisdem injurias et violentias inferentibus, eosdem tueantur et defendant. Insuper in communi tantum Civili Taberna, et non in privata singu-

lorum Civium domo, vina propinari, juxta privilegia et veterem usum admittant. In Villis autem et Pagis, eidem Oppido nostro circumadjacentibus, mercantias exercere non sinant: Exactori denique Caesarae Majestatis illos ultra debitum et privilegia illorum depactari non permittant; nec non in jurisdictionem illorum se se ingerant, aut judicia illorum ordinaria praepediant. Nec aliquibus angariis et novis depactationibus, laboribusque et aliis injuriis, praeter jus et aequum eosdem subditos nostros premant, et afficiant, sed in universum juxta veterem consuetudinem et privilegia illorum, in quorum usu et possessione extiterunt, ipsos firmiter conservent, conservarique et manuteneri ab aliis curent. Secus pro gratia nostra et debito suo non facturi. Datum Petrikoviae in Conventu Generali Feria tertia in crastino Festi Sancti Thomae Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Regni vero nostri anno tricesimo tertio. Ad mandatum Sacrae Majestatis Regiae proprium (L. S. Regni) Johannes Kresky Regni Poloniae Cancellarius mp.

CCL.

Amicabilis compositio Belensium cum Frankoviensibus ratione metarum Komperschacht dictarum. Anno Dni 1562.

Ex autographo apud Belense Oppidum habito.

EGO Georgius Schutta de parva Lomnicza, Vice-Comes Comitatus Scepusiensis, fateor praesentibus literis meis: Quod anno a Christi Nativitate Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, decimo octavo die Mensis Augusti, Officiales Castri Lubloviensis nomine subditorum Sacrae Regiae Majestatis Poloniae, in Oppido Bela existentium, coram me ex consueto hujus Regni more, protestati sunt de violentia, quae in propriis ipsorum metis et campis, Komperschacht vocatis, per Inhabitatores de Frankova, subditos Monachorum de Claustro Lechnicz, Belensibus facta, atque illata est. Quod nonmodo ibidem pascua Belensium suo grege turbarint, verum etiam violenti manu graviter eos percusserint, atque violaverint: Quorum Officialium querelas et protestationem usque ad alterius partis exaninationem suscepi. Qua parte tandem examinata, fassi sunt imprimis ipsi Incolae de Frankova, videlicet Lukacz et Jurgho cum ceteris nonnullis ex eadem Villa

Rutenis in mea aliorumque assidentium praesentia: Quod ex sua et Antecessorum suorum memoria certissime sciant, nominatum campum Komperschacht ad nullos alios, quam ad ipsos Belenses semper pertinuisse, a quibus pro conservatione gregis sui dicti Ruteni hactenus semper eosdem montes a Belensibus appretiare coacti sunt. Cumque in illo campo, Komperschacht vocato, cum suo grege eidem Ruteni, anno supra notato, deprehensi, et a Belensibus admoniti recedere noluissent, compertum est, ipsos Rutenos de Frankova Belensibus mutuam conflictationis occasionem praebuisse, quod non modo pertinaciter in turbandis pascuis pergerent, sed etiam tantum impetum et violentiam in ipsos Belenses facerent, ut nonnulli vulneribus et plagis confecti semimortui ex Belensibus domum deportati sint. Belenses vero, quamquam justam causam repellendi, et arestandi pecora, in propriis metis reperta habuissent; tamen rebellantibus Rutenis, sine protestatione, et juris determinatione, privata vi in eos irruere non debuissent. Itaque utraque pars rea cognita est, quod contra omnem juris rationem adversus se invicem in hoc conflictu egerint; unde magnae difficultates et dissensiones, atque longae juris concertationes, utrisque partibus nociturae, fuissent exortae. Ut autem his incommodis subveniretur, utraque pars, et Belenses et Frankoviani ad concessionem Officialium Castri Lubloviensis, in mutuam concordiam et litis compositionem se reduci passi sunt. Ea igitur concordia anno sexagesimo tertio die quarta Februarii tentata, atque finita est in mea supra dicti Vice-Comitis et Nobilis Dni Valentini Svabovsky de Slavonica Villa[a] Iudicis Nobilium praesentia, in Aedibus Rndi Praepositi de Landek. Cujus concordiae tenor est, ut sequitur. Quando quidem utraque pars mutuis verberibus se confecerint, et praecipui hujus dissensionis authores fuerint Frankoviani, quod contra jus suum in campos Belensium irruperint, ambae partes conservandae bonae vicinitatis causa reconciliatae et paccatae esse debent, nec pro acceptis injuriis et damnis altera alteri parti aliquid solvere, nec quidquam aliud debere teneatur, nisi bonam vicinitatem, et fraternam charitatem, ut et praeterita et futura dissensio omnis prorsus sopita, condonata et sedata habeatur; hoc si autem contingeret, ut aliqua eorum partium in alterius metis et pascuius cum suo grege deinceps deprehenderetur, eam innocens pars, cui damnum illatum est, solito Regni more debet. Cumque juxta juris cognitionem pro damno illo satisfactum fuerit, pignora integraliter reddi debent. Hoc ambae partes

a) Tóttalu.

firmiter et irrevocabiliter coram Nobis praedictis Nobilibus servare consenserunt. Si vero aliqua pars ex eis contumaciter pergere, et rejecta hac concordia in alterius metis pascere vellet, illa pars, si fuerit deprehensa, pro sua inoboedientia, et damnum commissum alteri parti solvere, et Domino suo quadraginta florenos monetae pro poena deponere debet. Ad cujus concordiae certitudinem et firmitatem. Nos praedicti Nobiles propriis sigillis praesentes corroborrari fecimus. Actum in Landek Anno et die, ut supra. (L. Sigillorum.)

CCLI.

Sigismundus Rex Poloniae mandat Capitaneis et tenutariis, ut Podolinenses in eorum libertatibus conservent, et XIII. Oppidanos ad Propugnaculi Podolinensis reperationem adstringant. Anno Dni 1562.

Ex autographo Podolini habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc Universis et singulis Teritorii nostri Scepusiensis, Praefectis et Administratoribus, praesertim vero Oppidi Podoliniec Rectoribus praesentibus et futuris. Notum facimus tenore praesentium, exhibitas et authentice coram Nobis esse reproductas, nomine Oppidanorum Podoleniec, et aliorum subditorum nostrorum, in eodem Territorio Scepusiensi consistentium, literas authenticas piae olim recordationis Hungariae, et Poloniae Regum, Praedecessorum nostrorum, a Nobis confirmatas, certas immunitates et praerogativas eisdem liberaliter concessas, in se continentes : Supplicatumque est Nobis humiliter pro parte illorum, ut eosdem Cives, et universos subditos nostros, juxta praescriptum earundem literarum conservare, et manutenere, simulque Capitaneis et Tenutariis, atque omnibus praefectis nostris ejusdem Territorri Scepusiensis injungere, et demandare dignaremur, ne ipsi Officiales nostri jura, privilegia, concessiones et praerogativas eorundem subditorum nostrorum violare, et infringere quovis modo audeant; sed potius et debito officii sui ab aliis omnibus, a quibuscunque contra libertates et praerogativas suas aliqua injuria affecti fuerint, vindicent, tueantur, ac defendant. Cui quidem supplicationi ipsorum, uti justae, Nos benigne annuentes, Fidelitatibus Vestris, in universum omnibus Officialibus et Praefectis nostris Territorri Scepusiensis,

quorum hic nomina, et cognomina pro expressis habere volumus, tam his, qui nunc sunt, quam etiam his, qui postea futuri erunt, mandamus, omnino habere volentes, ut eosdem subditos nostros in juribus, praerogativis et concessionibus nostris, et Praedecessorum nostrorum conservent, et manuteneant. Decimas manipulares, quas ipsi juxta contractum Capituli Scepusiensis persolvunt, ab ipsis per vim non exigant; liberam denique navigandi, piscandi in fluvio Poprad, atque venandi in sylvis et nemoribus nostris, pro usu domestico in illis ligna excidendi facultatem, juxta privilegia illorum, illis sinant. Utque turris et propugnaculum ruinosum in Oppido Podolenice, ad quod tempore incursus hostium recurritur, juxta veterem usum et consuetudinem, communi opera omnium Civium Tredecem Civitatum Territorii Scepusiensis, primo quoque tempore restauretur, et reparetur, curent, operamque suam adhibeant. Ne aliquibus angariis et novis depactationibus, laboribusque, et aliis injuriis, praeter jus et aequum, eosdem subditos nostros premant et afficiant; sed in universum juxta veterem consuetudinem, et privilegia illorum, in quorum usu et possessione extiterunt, firmiter conservent, conservarique et manuteneri ab aliis curent. Secus pro gratia nostra et debito suo non facturae. Datum Petrikoviae in Conventu Generali Feria tertia in crastino Festi Sancti Thomae Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Regni vero nostri anno trigesimo tertio. Joannes Ocieski Regni Poloniae Cancellarius mp. (L. S. Regni.) Ad proprium Sacrae Majestatis Regiae mandatum.

CCLII.

Ferdinandus Roman. Imperator ac Germaniae, Hungariae etc Rex mandat Stanislao Thurzoni, quatenus cesset Varalienses et Iglovienses vexare. Anno D. 1563.

Ex autographo apud Varalienses habito.

FERDINANDUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc Rex etc. Fideli nostro Magnifico Stanislao Thurzo de Bethlenfalva Comiti Comitatus Scepusiensis salutem et gratiam. Expositum est Majestati nostrae in personis Egregii Stanislai Dembinski, Capitaneatus Scepusiensis ac Arcis

Lzblo Serenissimi Regis Poloniae Locumtenentis, ac universorum incolarum Oppidorum Waralia et Iglo: Qualiter Tu quandam particulam terrae propriae et haereditariae ab ipsis Varaliensibus exponentibus, violenter occupari, et Blasium Holt, Castellanum tuum Scepusiensem perarari fecisses: Item ex Castro tuo ad terram ipsorum Varaliensium propriam ex barbatis pixidibus per Officiales tuos in medium ipsorum hostiliter jaculari fecisses: praeterea misso ad eosdem Varalienses ex Arce Servitore tuo, praefato Blasio Holt, eosdem diris verberibus fustium, ne scilicet ante castrum ambularent, minatus fuisses: consimiliter nescitur, ex cujus jussu et voluntate Molendinator quidam tuus, Circumspectum Andream Sutorem, et Civem Varaliensem interfecisset, quem ob hujusmodi commissum scelus, nedum detinere, sed potius voluntarie evadere passus fuisses. Item per Te ex Castro destinatus fuisset Valentinus Nemecz, Officialis tuus, in Civitatem Varaliensem, quo Ambrosium Varga ibidem morti traderet; item praeparari fecisses quandam novam viam ex domo tua braxatoria, sub Arce tua habita, per terram ipsorum Varaliensium exponentium: item alteram novam viam, a quodam novo Allodio tuo, ad ipsam Arcem per Provisorem tuum Dobrogoszt —, per medium segetum ipsorum praeparari fecisses; item fodinam cujusdam Georgii Fekete de Iglo, in Territorio Oppidi tui, Zomolnok vocati, adjacente, per ipsum Georgium Fekete, a te juridice obtentam, violenter recuperari fecisses. Niteris etiam fodinam ferri, in Territorio Oppidi Iglo sitam, destruere, ac ad nihilum redigi facere. Item fluvium Varaliensem, Palhak vocatum, a suo primitivo meatu et cursu in piscinam tuam derivari fecisses. Item missis Servitoribus tuis, quendam Michaelem Poliak, nisi fugae praesidio ereptus fuisset, interficere jussisses; cujus aedes deinde in ipso Oppido Varalia quidam Valentinus Nemecz, Servitor tuus, armata manu irruisset, foresque confringere voluisset: Item Malleum quoque Incolarum praedicti Oppidi Iglo exponentium, in quo ferrum cudi solet, in metis et Territorio ejusdem Oppidi Iglo jam diu extructum, ac per ipsos Incolas exponentes pacifice possessum, per te violenter occupare niteris. Postremo Egregius Joannes Petrowczy, *(sic)* Servitor tuus, Providos Leonhardum filium et Jacobum Mercenarium Urbani Zaloky, ac Ambrosium Stasko, Cives Varalienses, terras eorum proprias in agris arantes, et colentes, armatis et potentiariis manibus hostiliter invasisset, dirisque verberibus et vulneribus, nullis culpis eorundem exigentibus, affecisset, dixissetque eisdem verbis minacibus et vituperiosis, arate, inquit, sed antequam seminaveritis, corpora vestra canes decomedent, damno et praejudicio ipsorum exponentium manifesto.

Supplicatum propterea extitit Majestati nostrae pro parte et in personis: dignaremur eisdem hac in re de oportuno remedio gratiose providere, Quorum supplicatione clementer admissa, Fidelitati tuae harum serie firmiter committimus, et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, et praemissis sic, ut praefertur, stantibus, et se habentibus, a praemissis occupationibus Territorii, fodinae et Mallei, ac verberationibus, nec non illationibus damnorum, et injuriarum ac violentiarum quarumvis ipsorum exponentium, tam Tu ipse a*u*stinere, quam Servitores et Officiales tuos prohibere debeas, et teneaaris. Sed si quis juris haberes in eo, non violentia, sed via juris procedas. Secus non facturus. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Viennae duodecima die Mensis Julii. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.

Ferdinandus m. p. (L. S.) Nicolaus Olahus Stigonien. m. p.

Joannes Listhius m. p.

CCLIII.

Idem Imperator et Hung. Rex, altera vice Thurzonem gravius admonet. Anno Dni 1563.

Ex autographo Varaliae habito.

FERDINANDUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator etc. Fideli nostro Magnifico Stanislao Thurzo de Bethlemfalva, Comiti Comitatus Scepusiensis salutem et gratiam. Expositum est Majestati nostrae in personis Egregii Stanislai Debinski *(sic)*, Capitaneatus Scepusiensis ac Arcis L*i*blo, Serenissimi Regis Poloniae Locumtenentis, ac universorum incolarum Oppidorum Varalia et Iglo: Quod, licet hactenus quoque commisissemus tibi, ut ab occupationibus terrarum, fodinae Mallei ac verberationibus, nec non illationibus damnorum et injuriarum ac violentiarum ipsorum exponentium, in aliis literis nostris mandati, jam antea super inde ad te datis, contentarum, et declaratarum, ac specificatis per te, officialesque et servitores tuos perpetratarum, et factis, ulterius tam tu ipse abstinere, quam servitores et officiales tuos prohibere debuisses; quod si quid juris haberes, in eo non violentia sed via juris procederes: Nihilominus tamen tu, non curato hujusmodi mandato nostro, mala malis accumulando,

*

denuo plus terrarum, quam antea occupasses, ac ex fodina ferri intra metas ipsorum exponentium Oppidi Iglo habita, decem laboratores ipsorum exponentium captivos abduci fecisses, et ultra quindecem dies detinuisses; praeterea aliquot etiam decem millia capeciarum tritici et aliorum bladorum ab ipsis exponentibus, ac etiam ab aliis incolis reliquorum Oppidorum, qui a tuis colonis habuissent terras emptitias superseminatas violenter ademisses, damno et injuria ipsorum exponentium manifesta: Supplicantes propterea Nobis humillime, dignaremur his ipsorum exponentium oppressionibus et damnificationibus clementer providere. Et quoniam neminem fidelium nostrorum bonis suis justis et legitimis privari, aut indebite opprimi volumus, fidelitati tuae harum serie committimus et mandamus, aliud omnino habere nolentes, quatenus acceptis praesentibus, et praemissis sic, ut praefertur, stantibus et se habentibus dictas terras per te modo praemisso occupatas, dictis exponentibus remittere, ac triticum quoque ablatum reddere et restituere, et ab ulterioribus occupationibus terrarum ipsorum exponentium, ac aliis violentiis, et illationibus dampnorum et injuriarum, oppressionibusque quibusvis, in praetactis aliis literis mandati nostri, ad te antea dati, clarius declaratis et specificatis, tam tu ipse abstinere, quam servitores et officiales tuos prohibere debeas et tenearis. Sed si quid juris habes, in eo, non violentia, sed via juris procedas. Secus non facturus. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Posonii die decima nona Mensis Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.

Ferdinandus mp.

Nicolaus Olahus mp.
Joannes Listhius mp.

CCLIV.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae, privilegiales Villermi Comitis de Scepus rati habet. Anno Dni 1564.

Ex autographo Podolini habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus, quorum interest universis: exhibitas esse coram Nobis literas, in charta pargamenea descriptas, sanas, salvas, et omni suspicione carentes, cum suspenso sigillo et titulo Vilermi Comitis de Sce-

pus, quarum tenor iste est: Omnibus Christi fidelibus — Magister Villermus etc V. Diplom. LII. Anni 1329. pag. 77.

Supplicatumque Nobis est, ut ipsas renovare approbare confirmare dignaremur. Cui supplicationi benigne annuentes, hasce literas, superius insertas, renovandas et confirmandas esse duximus, prout renovamus, confirmamus, et approbamus praesentibus literis nostris, easque robur debitae firmitatis habere volumus, harum literarum testimonio. Datum Varsaviae vigesima secunda Aprilis. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Regni vero nostri tricesimo quinto.

Sigismundus Augustus mp. (L. S.) Valentinus Debinsky.
Regni Poloniae Cancellar. et Lubloviensis Capitaneus.

CCLV.

Compositio, Amicabilis inter Cives Belenses et Dnos Arcis Dunajecz, intuitu Komperschacht ac Tokornya metarum. Anno Dni 1564.

Ex autographo Belae habito.

NOS Joannes de Petrocz, Vice-Comes et Judlium, juratique Assessores Sedis Judiciariae Comitatus Terrae Scepusiensis, recognoscimus per praesentes: Quod postquam inter Officiales et subditos Arcis Dunajecz*a* ab una, et Cives, incolasque Oppidi Bela subditos Serenissimi Regis Poloniae ab altera partibus, per aliquot annos subinde exortae atque agitatae fuissent variae controversiae ac lites, ratione et ex parte silvarum et certorum montium ac pascuorum, eaedem postea ad persuasionem certorum bonorum ac Nobilium virorum, per Egregios Martinum Horvath, Castellanum Arcis Dunajecz*a*, ac Bartholomaeum Gumowski, Provisorem XIII. Oppidorum Scepusiensium, coram Nobis sunt tali modo sopitae et compositae: Quod Belenses debent uti campis, Komperschacht vocatis, verum silva nigra, quae est ultra et post Komperschacht, debent frui subditi Arcis Dunayecz*a* cum pecoribus suis. Iidem etiam subditi Arcis Dunayecz*a* in monte, Tok*o*rnya vocato, pecora, seu pecudes suas pascere minime debent; imo si sunt de praesenti aliqua ovilia in dicto monte Tok*o*rnya, tunc idem Martinus Horvath promisit, se statim, postquam hinc ad Arcem Dunayecz*a* redierit, illa velle facere comburi. Insuper Egregius Bartholomaeus Gu-

mowski, Provisor Tredecem Oppidorum Scepusiensium protestatus est coram Nobis solemniter, quod velit metas Civium de Bela, juxta jura ipsorum defendere usque ad fluvium, album rivulum vocatum. Revisio autem juridica, de proprietate montium Tokornya et aliorum debet manere in suspenso ab utraque parte usque ad adventum Magnifici Dni Nicolai Macieiowski, Capitanei Scepusiensis, in Scepusium. Actum in Capitulo Scepusiensi. Feria quarta proxima post Festum beati Jacobi Apostoli. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. (L. S. L. S. L. S. L. S. usualium.)

CCLVI.

Albertus Lasko admonet Kesmarkienses, quatenus suam Civitatem strenue defendant, timore omni abjecto. Anno Dni 1566.

Ex originali litera ibidem habita.

PRUDENTES ac Circumspecti, Nobis dilecti, salutem et gratiae nostrae perpetuum incrementum. Literas vestras accepimus, earum tenorem intelleximus, quamvis etiam prius satis copiose omnia ex Abrahamo Baksay, Secretario nostro, qui ante nuntios vestros ad Nos advolavit, acceperimus. Quo igitur imminentibus quodam modo malis succurendum foret quo quo modo Nobis utendum fiet, intellecturi estis a Generoso Dno Goreczky, quem prope diem ad fidelitates vestras cum plenaria informatione expedituri sumus, nam hic valetudinarii decumbimus. Quantum ad rumores et tumultus bellicos attinet, provisionem fidelitatum vestrarum commendamus, terrores tamen et timores vestros non probamus: hac enim ratione etiam exteris et circumjacentibus facile promulgaretur, fidelitates vestras in me non habere Dnum Militarem, sed aliquem timidum Sardonem ad instar Thurzonis, etiamsi excursiones aut obsidiones partium illarum ex improviso emergerent. Non sum in extremis Judiciis sed, proque mea erga fidelitates vestras gratia sum paratissimus easdem defendere, et contra omnium insultus protegere et tutari. Judici moderno factam pro hac vice summam 20. flor. gratiose concedimus, tamquam vero, probo docto, amatorique justi et aequi, reipublicae christianae moderatori vigilantissimo, imo oculatissimo et dignissimo. Reliqua ex praefato Goreczky

plenius intelligetis. Valere vos feliciter optamus. Ex Wisnicz 25-a Martii Millesimo quingentesimo sexto.

Albertus Laszki Palatinus Siradiensis m. p

CCLVII.

Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, Oppido Gnesda diversas concedit libertates, illudque etiam in numerum Civitatum evehit. Anno Dni 1566.

Ex autographo ibidem habito.

IN nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam: Quoniam facta humana quantumcunque memorabilia facile intereunt, nisi literarum beneficio, quae res scitu necessarias aboleri non patiuntur, fuerint immortalitati commendata. Proinde nos Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae Siradiae, Cujaviae Lanciciae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniaeque etc Dominus et haeres: Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis, tam praesentibus, quam futuris, harum notitiam habituris: Quia Nos intercessioni Generosi Nicolai Macieiowski, Scepusiensis nostri Capitanei pro incolis Villae nostrae Gn*ia*sda in terra Scepusiensi et Districtu Lubloviensi consistentis Nobis facta, benigne annuentes, simulque volentes commodo et utilitati illorum consulere, eandam Villam nostram Gnia*z*da, omnes incolas illius in numerum et Collegium aliarum Civitatum nostrarum, Terrae Scepusiensis, annectendam et annumerandam, in Civitatemque erigendam et locandam duximus, uti annumeramus, annectimus, in Civitatemque erigimus, et locamus harum serie literarum et conditione: Quod more aliarum Civitatum nostrarum Scepusiensium liberam potestatem habebunt, eum, quem inter se unamini voto et pari voluntate elegerint, in Judicem suum eligendi, et constituendi, qui una cum juratis omnes causas, tam criminales quam etiam civiliter intentas, tempore competenti judicabit, salva tamen in causis civilibus, ad Capitaneum nostrum Lubloviensem, in absentia vero ejus, ad Officiales illius appellatione permanente. Quod vero attinet censum annuum de more et antiqua consuetudine Nobis pendendum, eam moderationem solvendi Nobis census annui,

decernimus, ut ipsi Cives et Incolae, Communitasque Civitatis Gniazda annis singulis florenos Hungaricales seu Thaleros centum viginti quatuor pro duabus ratis, nempe pro Festo Pentecosten Thaleros sexaginta duos, alios vero sexaginta duos Thaleros pro Festo Sancti Martini Nobis, Serenissimisque Successoribus nostris solvere tenebuntur. Neque etiam, si Incolarum ejus Civitatis auctus fuerit numerus, eum censum augere debebunt. Molendinum vero, in fundo Civitatis ejus constructum, in usum et necessitatem Castri nostri Lubowlia conservamus. Facimus etiam potestatem eisdem Civibus et Incolis Gniazda pisces in fluvio Poprad pro usu et necessitate illorum quovis die, sine ullo impedimento et contradictione Capitanei nostri, ejusque Officialium, piscandi, et apprehendendi. Concedimus etiam Civibus et Incolis Gniazdensibus pro usu et necessitate illorum Tabernam, seu domum propinatoriam vini liberam. Hanc insuper praerogativam et libertatem eisdem Civibus damus, et largimur, ut ab omnibus rebus et mercibus illorum, quas in eam Civitatem intulerint, ad vendendumque exposuerint nullum telonium persolvere tenebuntur: ab iis vero rebus et mercibus, quas extra Territorium Arcis nostrae Lublaviensis extra fines Scepusienses, in Hungariam eos efferre, aut deducere contigerit, telonium usitatum solvent. Praeterea volentes, ut ea Civitas eo majora incrementa fortunarum accipiat, damus et concedimus Civibus et Incolis Gniazdensibus hanc praerogativam, quod nullum telonium in locis Terrae Cracoviensis, in quibus antiquitus exigi solitum est, a cupro, ferro, aliisque rebus et mercantia ipsorum, in eundo Bochnam et Cracoviam, indeque redeundo solvere, aut pendere astricti erunt. Instituimus insuper in ea Civitate duo fora annualia, seu Nundinas, unum pro Festo Sancti Adalberti, et aliud pro Festo S. Bartholomaei celebrandas: Septimanalia vero singulis feriis quintis frequentanda. Dantes facultatem fora utraque tam annualia, quam septimanalia absque praejudicio et jactura aliarum Civitatum et Oppidorum Regni nostri peragendi, celebrandi, et exercendi, omnibusque et singulis Mercatoribus, vectoribus, negociatoribus, artificibus, institoribus, Civibus, Oppidanis ac aliis hominibus cujuscunque status, sexus et conditionis fuerint, cum rebus venalibus quibuscunque, cujuscunque generis et speciei fuerint, libere vendendi, ac alia negociationis genera exercendi, pecudesque et pecora mactandi, illaque in mensis ad id praeparandis, et praeparatis vendendi, secundum, consuetudinem aliarum Civitatum Terrae nostrae Scepusiensis, nisi sint ejusmodi homines, quibus de jure consortium honestorum hominum merito denegari debeat. Reservatis tamen pro Nobis in deciso robore omnibus,

oneribus et laboribus, ad Castrum nostrum Lubloviense per eosdem Cives et Incolas Gniazdenses, ratione agrorum Castri Lubloviensis, quos possident quos, quidem labores et onera, more et consuetudine antiqua ad castrum Lubloviense laborare et subire tenebuntur. Quod ad universorum et singulorum cujuscunque dignitatis, Officii, status et conditionis fuerint, praesertimque Generosi Nicolai Maciejowski, Capitanei nostri Lubloviensis, ac Generosi Stanislai Splawski, Castellani Krzywinensis, Teloniorum nostrorum Majoris Poloniae Praefecti, Arcisque illius Lubloviensis Officialium et Teloniorum ipsorum Notariorum, aliorumque Capitaneorum Lubloviensium, et Teloniatorum Majoris et Minoris Poloniae, illorumque loca tenentium, modernorum et pro tempore existentium, ac ceterorum quorumcunque subditorum nostrorum noticiam deducentes, mandamus, ut superius recensitos Cives et Incolas Gniasdenses in omnibus et singulis praerogativis, libertatibus et immunitatibus, eisdem modo praemisso datis et concessis, inviolabiliter conservent, eosque tueantur, et defendant, pro gratia nostra et debito Officii sui secus non facturi. In cujus rei fidem, firmiusque et evidentius testimonium, sigillum nostrum est praesentibus appensum. Datum Lublinii in Conventu Regni nostri Generali, Feria tertia ante Festa Pentecosten proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto; Regni vero nostri anno tricesimo septimo. Praesentibus Reverendissimo et Rndis Patribus Dominis: Jacobo Uchanski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Regni nostri Primate, Philippo Padniewski Cracovien. Nicolao Wolski Wladislavien, Valentino Herborth de Fulstin Premislien. Alberto Starozrzebski Chelmensi, Ecclesiarum Episcopis. Nec non Magnificis, Generosis, Venerabilibus ac Strenuis Viris: Spitkone Jordan de Zaklyczin et in Melschtin haerede, Castellano Cracovien. ac Premisliensi, Camoniacensique, Stanislao Misskowski Cracoviensi Generali, Ratnensique, Joanne de Szluzewo Brzesten, ac Miedzirzecen. Koninensique, Nicolao de Sieniawa, Terrarum Russiae, Halicienque et Colinien, Joanne Firley de Dambrowicza Lublinensi, Regni nostri Marschalco, Casmirienque, Arnolpho Uchaniski Plocensi Palatinis, Wischegradenque, Stanislao Wolski Sandomiriensi, Curiae nostrae Marschalco, ac Varsavien. Brzeznicenque; Joanne Tomicki Gnesnen; Joanne Liutomierski Siradicensi, Curiae nostrae Thesaurario, ac Lancicien. Radomienque; Joanne Tarlo de Szcsekanowicze, Radomien. Pilznenque, Adamo Drzewicki, Juniwladislavien. Inovlodenque; Christophoro Misskowski Biecensi, Nicolao Ligeza de Bobrek Zawichosten, ac Bicen. Zhydaczovienque, Joanne Sicrakowski Landensi, Curiae nostrae Referendario Przedecenque, Nicolao

Czykovski Malogosten. Lomzenque et Colnen. Joanne Krzysthoporski Wielunensi, Vincentio Przerembski Rosparien. Opocznenque, Alberto Sandivogio Czarnkowski Santocensi, Castellanis, Valentino Dembienski de Dembianii, Regni Poloniae Cancellario Petro Miskowski, Decano Cracovien. ac Gnesnen, Plocen. Lanciensique Praeposito, et Regni Poloniae Vice-Cancellario, Stanislao Karnkowski, Regni nostri Referendario et Majori Secretario; Joanne Tenczynski, Comite Lublinensi, Nicolao Laszki Incisore nostro ac Marienburgicensi, Krasnostavienque; et Joanne Dulski Rogoznensi Capitaneis, et aliis quam plurimis Regni nosti Consiliariis, Dignitariis, Officialibus et Aulicis nostris, ad praemissa testibus fide dignis, sinceris et fidelibus Nobis dilectis. Datum per manus ejusdem Magnifiici Valentini Dembienski, Regni Poloniae Cancellarii, sincere Nobis dilecti. Valentinus Dembienski R. Polon. Cancellarius mp. (L. S. Regni.)

CCVLIII.

Maximilianus II. Imp. et Rex Hung. Nundinas, foraque hebdomadalia Civitatis Iglo confirmat. Anno Dni 1567.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgae, Superioris et inferioris Silesiae, Virtembergae et Theke, Princeps Sueviae, Comes Habspurgi. Tyrolis, Fereti, Kyburgi et Goritiae, Landgraffius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Burgoviae, ac Superioris et inferioris Lusatiae, Dominus. Marchiae, Slavoniae, Portus Naonis, et Salinarum etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium, populorum, et inhabitatorum Civitatis nostrae Igloviensis, Terrae nostrae Scepusiensis, exhibitae sunt Nobis et praesentatae quaedam literae Serenissimi quondam Principis, Domini Ferdinandi, Divina favente clementia Romanorum Impe-

ratoris, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc Regis, Domini et Genitoris nostri colendissimi, piae memoriae, privilegiales, in formam libelli in Albo pargameno patenter confectae, Sigilloque ejusdem secreto impendenti, ac propria manus subscriptione communitae, habentes in se tenores quarundam literarum quaternarum Serenissimorum quondam Principum, Dominorum Ludovici, ac alterius similiter Ludovici, item Wladislai ac Sigismundi Imperatorum et Regum Hungariae, felicis recordationis, super annuentia certarum nundinarum et fororum hebdomadalium, in eadem Civitate nostra Iglow celebrandarum, nec non erectione, consignatione. et renovatione metarum, ac aliis etiam juribus et libertatibus praedictae Civitatis nostrae Iglow emanatarum tenorum infra scriptorum: Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae pro parte et in personis Judicis ac Juratorum, ceterorumque Civium, populorumque et inhabitatorum ejusdem Civitatis nostrae Iglow humiliter, quatenus easdem literas dictae quondam Majestatis Paternae, ac omnia et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habendo, literisque nostris inseri, et inscribi faciendo, acceptare, approbare et ratificare, ac pro iisdem Civibus, populisque et inhabitatoribus praefatae Civitatis nostrae Iglow, ipsorumque posteris et successoribus universis innovantes, perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur: Quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Ferdinandus — etc V. Diplom. CCXXXIV. Anni 1550. pag. 386.
Ludovicus — — Rex Hung etc. V. Diplom. CXCII. 1519. pag. 331.
Wladislaus (?) — Hung. Bohemiae V. Dipl. CXXXI. Anni 1424. p. 221.
Nos Sigismundus etc — — V. Wagner P. I. pag. 219.

Nos igitur hujusmodi supplicatione pro parte praefatorum Judicis et Juratorum, ceterorumque Civium, populorumque ac inhabitatorum Civitatis nostrae Iglow, nostrae, modo, quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer et admissa, praeinsertas literas annotatae quondam Majestatis paternae, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes praesentibus literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quo ad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, ac in quantum dicti Cives in usu earundem libertatum hactenus fuerunt, et perstiterunt, ratas, gratas, et acceptas habentes, acceptavimus, approbavimus, et rectificavimus, ac pro praefatis Civibus, populisque et inhabitatoribus praenominatae nostrae Civitatis Iglow,

*

ipsorumque posteris et successoribus universis innovando, perpetuo valituras, gratiose confirmamus, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio literarum. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Nicolai Olahi, Archi-Episcopi Strigoniensis Ecclesiae, Locique ejusdem perpetui, ac Comitatus Hontensis Comitis, Primatis Hungariae, Sanctae Sedis Apostolicae Legati,[a] Summi Secretarii, et Cancellarii, ac in Regno Hungariae Locumtenentis et Compatris nostri fidelis, Nobis sincere dilecti, Viennae Austriae die decima sexta Mensis Augusti, Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae etc quarto, Bohemiae vero decimo nono. Venerabilibus in Christo Patribus: eodem Dno Nicolao Olaho, Archiepiscopo Strigoniensi, Colocensi et Bachiensi sedibus vacantibus, Antonio Verantio Agriensi, Paulo Bornemisza Transsylvaniensi, eodem Paulo Bornemisza Gubernatore Nitriensi, Joanne ab Uylak Vaciensi, Georgio Bornemisza Chanadiensi, Varadiensi, Quinque-Ecclesiensi, Boznensi, Syrmiensí Tinniniensi Sedibus vacantibus.[b] Item Spectabilibus ac Magnificis praefato Georgio Draskovich et Francisco Zajo[c] de Frangopanibus electis, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banis, Christophoro Orzagh de Guth, Judice Curiae nostrae, Comite, Georgio Zrinio Tavernicorum, Francisco Tahy Agazonum, Joanne Desewffy de Czernek Magistro Curiae, Stephano Banffy Janitorum, Christophoro de Bathian Pincernarum nostrorum Regalium Magistris, Comite Eichio a Salmis et Neuburg, Comite Posoniensi, ceterisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

Maximilianus m. p. Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigon. mp.
Joannes Listius. mp.

---

a) Jam anno 1553 in Regiis literis ita scribebatur. V. Nicol. Schmitth Agrien. Episc. Tom. II. p. 398.

b) Cf. Nicol Schmith Tom II. Dpisc. Agrien. pag. 69.

c) Hic Franc. Zajo cum Jacobo Varantio Eppo Agriensi ad placandum Solymannum II. Turcarum Imperat. anno 1562. fuit Byzantium ablegatus. V. Istvanffium Libr XIX. — Cassoviam post haec gubernandam accepit.

CCLIX.

Idem Imp. et Rex liberas Oppido Montis S. Georgii nundinas cum hebdomadali foro, die Sabbathi celebrando, concedit. Anno Dni 1567.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod, cum Nos ad nonnullorum fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et Juratorum, ceterorumque universorum Civium et inhabitatorum Civitatis nostrae, Montis Sancti Georgii, Terrae nostrae Scepusiensis, Majestati nostrae factam, tum vero pro utilitate, et commodo Regni nostri Hungariae, Civiumque et populorum dictae Civitatis nostrae Montis Sancti Georgii in eadem, Nundinas liberas seu fora annualia libera, in Festivitatibus Epiphaniarum Domini et S. Georgii Martyris,[a] aliisque diebus, ipsa Festa immediate praecedentibus et subsequentibus, ad id neccessario aptis et sufficientibus, singulis annis, et forum hebdomadale, quod singulis diebus Sabbathis in qualibet hebdomada, antea quoque ab antiquo in eadem Civitate nostra celebratum et observatum esse dicitur, etiam deinceps perpetuo celebrari gratiose duximus annuendum et concedendum; imo annuimus et concedimus praesentium per vigorem absque tamen praejudicio Nundinarum seu fororum annualium, nec non hebdomadalium liberarum Civitatum nostrarum, vel aliorum quorumcunque locorum. Quocirca vos omnes et singulos mercatores et institores ac forenses homines et viatores quoslibet harum serie praesentium affidamus, assecuramus et certificamus, quatenus ad praedictas Nundinas seu fora annualia et hebdomadalia, per Nos in praefata Civitate nostra Montis Sancti Georgii, modo praemisso, perpetuo celebrari commissas et concessa, cum omnibus mercantiis, rebusque et bonis vestris libere, secure et absque omni pavore seu formidine personarum, rerumque mercantiarum vestrarum veniatis, properetis et accedatis; peractisque ibidem omnibus vestris negotiationibus ad propria, vel quae malueritis loca redeatis, salvis semper rebus, sub nostra protectione et tutela speciali permanentibus. Et haec volumus et foris et in aliis locis ubique palam facere proclamari. Praesentes vero, quas in absentia

a) Celebrandum hodie dum praedictis temporibus ibidem.

Majoris Secreti, minoris et anularis sigilli nostri appensione communiri fecimus, semper reddi volumus et jubemus praesentanti. Datum Viennae Austriae, die decima sexta mensis Augusti. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Regnorum nostrorum: Romani quinto, Hungariae et reliquorum quarto, Bohemiae vero decimo nono anno.

Maximilianus mp. (L. S. appensi.)
Joannes Listhius mp.

CCLX.

Idem Imp, et Rex privilegiales Varaliensium, ratione Tributi Castri Scepus ratas habet. Anno Dni 1567.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc Rex, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Prudentum et Circumspectorum Judicis et juratorum Civium et inhabitatorum universorum Oppidi nostri, *W*aral*y*a vocati, terrae nostrae Scepusiensis. Exhibitae sunt Nobis et praesentatae literae Serenissimi quondam Principis Dni Sigismundi, Romanorum Imperatoris et Regis Hungariae etc — Praedecessoris nostri, felicis recordationis exemptionales, in pargameno patenter confectae, Sigilloque ejusdem intrinsecus in inferiori margine impressive communitae, quibus mediantibus idem quondam Dnus Sigismundus Imperator et Rex praefatos universos Cives et inhabitatores ejusdem Oppidi *V*aralya ab omni cujusvis tributi solutione tam de personis quam rebus eorum cujusvis materiei, ad Arcem nostram similiter Waralya antea ab antiquo spectantis, et exigi soliti, perpetuo exemisse dignoscebatur, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Majestati nostrae pro parte et in personis dictorum universorum Civium et inhabitatorum praefati Oppidi nostri Waralya humiliter, ut easdem literas omniaque et singula in eis contenta, ratas, gratas, et accepta habentes, literisque nostris privilegialibus inseri et inscribi facientes, approbare et ratificare, ac pro eisdem Civibus et universis incolis dicti Oppidi nostri Waralya, ipsorumque posteris et successoribus

universis perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur: Quarum quibus literarum tenor talis est:

Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex etc. V. Diplom. CIX. Anni 1412. pag. 175.

Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione praenominatorum Civium et inhabitatorum jam fati Oppidi nostri Waralya nostrae modo, quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita clementer et admissa, praeinsertas literas annotati quondam Domini Sigismundi Imperatoris et Regis non abrasas, non cancellatas, neque aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes, praesentibusque literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur; ac in quantum dicti Cives et inhabitatores ipsius Oppidi nostri *W*aralya in usu hujusmodi exemptionis et libertatis fuerint, et perstiterunt, et adhuc persistunt, ratas, gratas et acceptas habentes, acceptavimus, approbavimus et ratificavimus, ac pro praefatis universis Civibus et inhabitatoribus saepefati Oppidi nostri Waralya, ipsorumque posteris et successoribus universis innovantes, perpetuo valituras gratiose confirmavimus, imo acceptamus, approbamus, ratificamusque et confirmamus, salvo jure alieno, harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio literarum. Datum per manus Rssmi in Christo Patris, Dni Nicolai Olahi, Archiepiscopi Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Locique ejusdem perpetui, ac Comitatus Hontensis Comitis, Primatis Hungariae, Locumtenentis et Consiliarii, nec non Compatris nostri, fidelis Nobis sincere dilecti, in Civitate nostra Vienna Austriae, decima sexta Mensis Augusti. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo; Regnorum: Romani quinto, Hungariae etc quarto, Bohemiae vero decimo nono. Venerabilibus in Christo Patribus, eodem Dno Nicolao Olaho, Archiepiscopo Strigoniensi, Colocensi et Bachiensi Sedibus vacantibus, Antonio Verantio Agrien. Georgio Draskovich Zagrabien. Paulo Bornemisza Transsylvano, Andrea de Kewes Wesprimien. eodem Paulo Bornemisza Administratore Episcopatus Nitrien. Joanne ab Ujlak Vacien. Georgio Bornemisza Chanadien. Varadien. Quinque- Ecclesien. Boznen. Sirmien. et Tinniniensi Sedibus vacantibus Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis Christophoro Orzagh de Guth, Judice Curiae

nostrae, praefato Georgio Draskovich, ac Francisco Zajo de Frangepanibus, Segniae. Vegliae, Modrussiaeque Comite, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banis, Comite Georgio de Zrinio Tavernicorum, Francisco de Fahy Agazonum, Stephano Banffy de Also-Lindwa Dapiferorum, Joanne Desewffy de Czernek, Curiae nostrae, Jeanne Pethero de Gersse Cubiculariorum, Ladislao Banffy Janitorum, Christophore de Bathyan Pincernarum nostrorum Regalium Magistris. Comite Ecchio a Salmis et Neuburgh Comite Posoniensi, ceterisque quam plurimis Regni nostri Hungariae Comitatus tenentibus et honores.

Maximilianus. m. p. (L. S.) Nicolaus Olahus A. Eppus Strigon. mp.
Joannes Listhius, mp.

CCLXI.

Georgius Bornemisza, Praepositus Scepus. Plebanos causa religionis concertantes corripit, eo addito, quod paulo post in eorum doctrinam sit inquisiturus, et contumaces plexurus. Anno Dni 1567.

Ex matrica XXIV. Regalium Plebanorum.

VENERABILES Domini et Fratres in Christo Nobis honorandi, salutem et omnem felicitatem! Constans et quotidiana est apud Nos fama, quod inter vos, causa religionis, sit quedam scissio et deploranda contentio, ob idque nonnulli ex vobis, ne judicio vel censura Ecclesiae subjicerentur, patrociniis quorundam freti, in diversis latebris se se occultare decrevissent, quo quidem abunde satis testantur, se correctionem et emendationem non admittere, Superiorem non agnoscere, et Ecclesiae authoritatem prorsus contemnere. Quae, cum gravia sint et minus ferenda, Nos ex Decreto Caesareae Majestatis, ejusque brachio seculari adjuti, curabimus, ut ejusmodi contumaces reipsa sentiant, quam grave sit Ecclesiam non audire, et suis Praepositis non obedire. Cujus rei causa nostras Basilicas et vos omnes, Deo volente paulo post visitabimus, ut appareat, quam quisque doctrinam profiteatur, quam Religionem colat, vel quid in universum credat. In reliquo vos valere optamus. Datum Cassoviae 15-a die Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo.

Georgius Bornemisza Eppus Chanadien. et Praepositus Scepusiensis. mp.

CCLXII.

Nicolaus Macieovski, Capitaneus Scepus. admittit Joanni Sculteto, certis sub conditionibus, sex Colonos in Villa Kamien locare. Anno Dni 1567.

Ex autographo Lubloviae habito.

NOS Nicolaus Macieowski, Capitaneus Scepusiensis, Sacrae Regiae Majestatis Secretarius, recognoscimus per praesentes literas nostras, quibus expedit universis et singulis: Quandoquidem intelligimus Nos desertationem campi, vocati Pietroviani, in fundo et metis Villae Kamien.[a] Rutheniae existentis, ex quo exiguum commodum ad Castrum Lubowla Capitaneatus nostri proveniebat, ac cupientes, ut exinde Sacrae Majestati Regiae, Domino nostro clementissimo in posterum majores proventus et reditus ad dictum Castrum proveniant, et ut dicta Villa Kamien majori locatione colonorum augmentetur, propterea admisimus et concessimus Provido Ivan Sculteto, de praedicta Villa Kamien, moderno, ibidem inter alios colonos locare, et de novo collocare colonos seu Kmethones, sex in eadem Villa domos illis de novo extruere. Ut autem se ibidem commode aedificare poterint; dedimus et concessimus iisdem Colonis campum desertum, dictum Pietrowiany, una cum omnibus pertinentiis, agris, pratis, silvis, fluviis, ex antiquo ad praetactum campum Pietrowiany spectantibus, ita, quod habebunt liberam facultatem in dicto campo deserto agros et prata de nova radice extirpandi, et alias commoditates sibi faciendi, tali videlicet conditione: quod quilibet illorum primo anno post aedificationem domorum ac dicti campi deserti occupationem, tenebitur ad Castrum Lubowla dare et solvere censum annualem de quolibet agro de novo extirpato, more et ad instar aliorum Colonorum, in dicta Villa Kamien, censum Regalem ex antiquo solventium. Praediales etiam, prout moris in aliis Villis Vallachorum, dicti sex Kmethones cum aliis Colonis simul solvere tenebuntur. Etiam super eorum gregem ovium habebit datiam, ut moris est in dictis Vallachorum Villis, ab eisdem ovibus et a grege ad Castrum annis singulis sol-

a) Hodie Kamjonka vocatur, et videntur Rutheni seu Walachi isti horsum fuisse inducti ab Hieronymo de Laski ad defensionem Késmarkiensium contra impetitores Leutschovienses, de quibus controversiis supra actum est.

vere tenebuntur. Item labores at alia servitia solita tenebuntur ad Castrum facere, sicuti alii Coloni in dicta Villa Kamien ex antiquo faciunt, et alia onera subeunt. Praedicto vero Sculteto Kamienski, in adjuvandis ejusdem propriis laboribus, illi adesse tenebuntur, prout et ceteri coloni in dicta Villa ipsi ex antiquo tenentur. Dictos autem Colonos sex una cum campo deserto Pietrowiany, cum fuerint de novo extructi, praedictae Villae Kamien, praesentibus literis nostris et authoritate nostra Capitaneali, qua hac in parte fungimur conjunximus, anneximus, ad scripsimus et incorporavimus, ita videlicet, quod sub una lege et jurisdictione in primis Castri Lubowla, postea dicti Sculteti Kamienski, omnes et insimul cum aliis Kmethonibus, ibidem antea existentibus, omniaque judicia communia in dicta Villa Kamien perpetue et in aevum habebunt. Partes autem granicierum seu metarum, ex parte possessionum Nobilium Hungarorum, versus occasum solis dictae Villae Kamien, ac deserti campi Piotrowiany, tali modo distinguuntur. Prima meta seu signum granicierum, incipiendo a contiguis parietibus, seu Villae Majestatis Regiae superioris Druzbak *(h. Felső-Ruzsbach)* et pervenit per cacumina montium usque ad cacumen montis calvi, et exinde directe procedendo per cacumen montium aeque, pervenit ad montem dictum Kiczara, ubi finaliter terminari debent metae seu granicies dictae Villae Kamien, ac Villae Ungaricae, nominatae Folwarska, *(h. Folyvark)* ad Castrum Niedziecza pertinentis, et alia Villa, vocata, Jaworska, jam ad Regnum Poloniae spectantis; et postea versus Septentrionem progrediuntur metae dictae Villae Kamien, per fluvium Lipnik inferius descendendo: ad quem locum deinde perveniunt aliae metae Villae Jarzebina *(h. Jarembina)* nuncupatae, et ad Castrum Lubowla pertinentis. Et ne dictus Scultetus Kamienski a coloniatione dictorum sex colonorum, et ab usu campi deserti Pietrowiany, per futuros Capitaneos Lublovienses aliquo modo amoveri, alienari et impediri possit, me a Sacra Majestate Regia, Domino meo clementissimo, petiturum praesentiumque literarum nostrarum confirmationem et approbationem impetraturum. In cujus rei fidem et evidentius testimonium praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque nostro roboravimus. Datum in Castro Lubowla die prima Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Mikolay Maciowski Starosta Spiski. Renkam swu.

CCLXIII

Sigismundus Augustus Rex Poloniae, Oppido Gneszda Miroslai Scultetiam confirmat. Anno Dni 1569.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris: exhibitas esse coram Nobis per certos Consiliarios nostros, nomine Civium Oppidi nostri Scepusiensis, nuncupati Gniazda *(Gnezda)*, literas pargameneas, sub titulo et sigillo Petri et Miszon Militum, filiorum olim Meroslai, sanas, salvas, integras, omnique suspicionis nota carentes, continentes in se emptionem Scultetiae, in haereditate eorundem militum in Knissen, *(h. Gnezda)*, per Joannem filium Rozeri *(sic)* de K*i*smark per Nicolaum Sculteti ejusdem Oppidi in perpetuum factam, tum etiam aliorum bonorum, in eisdem literis inferius insertis contentorum, supplicatumque deinde esse Nobis, ut easdem literas in omnibus punctis, clausulis et articulis, authoritate nostra Regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur; quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum sequitur, estque talis:

Quoniam humana facta transeunt etc. V. Part. I. Diplom. LVI. anni 1286. pag. 253.

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex praenominatus, easdem literas, superius descriptas, omniaque in eisdem contenta, authoritate nostra Regia, in omnibus earundem punctis, clausulis et articulis approbandas, ratificandas et confirmandas esse duximus, prout approbamus, ratificamus et confirmamus per praesentes, decernentes, easdem robur debitae et perpetuae firmitatis, si et in quantum in eadem Scultetia latiorum bonorum, in eisdem literis expressorum, in usu et possessione hactenus existunt, obtineri debere. In cujus rei fidem et testimonium evidentius Sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum Lublinii in Conventu Regni nostri Generali, die octava Mensis Februarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo nono; Regni vero nostri Quadragesimo.

Sigismundus Augustus mp. (L. R. S.) Franciscus Krasinski; Regni Poloniae Vice-Cancellar, Praepositus Plocensis; Gnesnen. Cracovien. Canonicus. mp.

CCLXIV.

Idem Rex, locationem sex Kmethonum in Villa Kamien ratam habet. Anno Dni 1569.

Ex autographo Lubloviae habito.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: exhibitas Nobis esse literas papyreas, titulo et sigillo Generosi Nicolai Maciejowski, Capitanei nostri Scepusiensis communitas, sanas, salvas, integras, omnique suspicionis nota carentes, continentes in se concessionem locationis sex colonorum, Provido Jvan Sculteto in Villa Kamien, in Scepusio, ad Castrum nostrum Lubowla pertinentis. Supplicatumque est Nobis, ut eam concessionem praefatam authoritate nostra Regia approbare, confirmare et ad eam consentire dignaremur; cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

Nos Nicolaus Maciejowski etc. V. Diplom. anni. 1567. pag. 425.

Cui quidem supplicationi Nos Sigismundus Augustus, Rex praenominatus benigne annuentes, animadvertentes quoque proventus et reditus ad Mensam, fiscumque nostrum ea ipsa concessione augeri; easdem literas praeinsertas in omnibus earum punctis, articulis et clausulis, authoritate nostra Regia approbandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout approbamus, confirmamus praesentibus literis nostris, decernentes, eas et omnia in eis contenta, robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere debere. In cujus fidem, testimoniumque evidentius Sigillum nostrum est subappensum Datum Lublinii in Conventione Regni Generali, die decima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Regni vero nostri quadragesimo.

Sigismundus Augustus, mp. (L. S. R.) Franciscus Krasinski,
Praepositus Plocen. Gnesnen. Cracoviensisque
Canonicus, Regni Poloniae Vice-Cancellarius, mp.

CCLXV.

Greorgius Bornemisza, Praeposit. Scepus. Sacerdotio suo Synodum indicit. Anno Dni 1570.

Ex matrica XXIV. Plebanorum Regalium.

VENERABILES Fratres in Christo dilecti, salutem et paternae benevolentiae significationem! Curas et solicitudines, atque occupationes nostras, quarum causa Nobis hic Cassoviae hactenus haerendum fuit non ignoratis, quae etsi gravia sint, atque molesta, officioque nostro Pastorali ex diametro repugnent; observandum tamen est jure divino legitimae potestatis imperio, cujus nutu geruntur et administrantur omnia. Postquam antea ab ejus Majestate Dno nostro clementissimo Nobis licentia et facultas data sit, basilicas nostras visitandi et reformandi, mores item Plebanorum depravatos corrigendi, scandalosa omnia vitiosaque emendandi, et e medio tollendi: proinde statuimus ad proximum Sanctí Andrea Apostoli diem ad Vos venire, et de singulis vobiscum agere. Animadvertimus etiam, longiorem nostram absentiam, multis impune peccandi ansam praebuisse, quod non potest Nobis non displicere. Atqui Deo auxiliante his omnibus malis occuri adhuc poterit, qua in re nullum genus remedii intactum relinquemus. Quamobrem, ut ad diem praescriptum Vos omnes et vestrum quilibet in Capitulo nostro Scepusiensi compareat, in virtute Sanctae obedientiae strictissime praecipimus. Datum Cassoviae die 6-a Novenbris. An. D. 1570.

Eppus Chanadiensis et Praepositus Scepusiensis.

CCLXVI.

Attestatoriae literae super testium inquisitione pro parte Stanislai Thurzo, in negotio Gelnicziensium fodinarum, facta. Anno D. 1571.

Ex autographo ibidem existente.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis, memoriae commendamus, per praesentes significantes, quibus expedit universis: Quod Nos literas Serenissimi Principis, et Dni Dni Maximiliani Secundi, Deigratia Romanorum electi Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae et Bohemiae etc

Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc Dni nostri clementissimi attestatorias pro parte Magnifici Dni Stanislai Thurzo de Bethlehemfalva, Comitis Comitatus Scepusiensis[a] patenter confectas, Nobisque praeceptorie sonantes et directas, honore et reverentia, quibus decuit, recepimus in haec verba:

Maximilianus II. Divina favente clementia, Romanorum clectus Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae ac Bohemiae etc Rex, Archidux Austriae etc. Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Scepusiensis salutem et gratiam. Expositum est Majestati nostrae in persona fidelis nostri Magnifici Stanislai Thurzo de Bethlehemfalva, Comitis Comitatus Scepusiensis: qualiter idem exponens in quibusdam arduis negotiis suis, coram clarius declarandis, pro jurium suorum defensione, fassionibus et attestationibus certorum proborum virorum Nobilium, alterius etiam cujusvis status et conditionis honestae, praescripti Scepusien. Sárossien. Gömerien. et Abaujvariensis Comitatuum, hominum, ad praesens valde indigeret, essetque necessarium, et praeterea per nostrum Regium et vestrum homines pro sui parte quandam attestationem, Testiumque inquisitionem fieri, et celebrari facere vellet, jure Regni admittente. Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, pro eo fidelitati vestrae harum serie firmiter praecipiendum committimus et mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo praesente Franciscus Chetneky de eadem Chetnek, aut Paulus Mariassy, sive Emericus aut Stephanus Soldos, vel Chrystophorus et Lanislaus Görgey de eadem, seu Melchior de *Z*enth-Andras, aut Martinus vel Henricus Berzeviczy de eadem Berzevicze, sive Lazarus Korotnoky de eadem Korotnok, seu Ciriacus Hedry, aliis absentibus, homo noster Regius, per Majestatem nostram ad id specialiter transmissus, ad universos Nobiles, sed et ignobiles, alterius etiam cujuscunque status et conditionis honestae, praescriptorum Scepusien. *Sch*arosien. *Ge*ömerien. et Abaujvariensis Comitatuum homines, quos videlicet praefatus exponens, vel ejus nomine Procurator suus duxerit nominandos, accedentes, eisdemque sub onere sedecim Marcarum gravis ponderis super illos, si qui forsitan ex eisdem, cum praesentibus requisiti, a dicendo de his, de quibus scilicet nomine et in persona jam fati exponentis, in praescriptis negotiis suis interrogati fuerint, mera rei veritate, se se abstraherent, per eos, quorum

a) V. Carol. Wagner P. III. pag. 225.

interest, immediate irremissibiliter exigendarum, sui in praesentiam citatis et convocatis, ab iisdem ad fidem eorum, Domino Deo debitam, fidelitatemque Majestati nostrae, ac Sacrae Coronae observando, qualis ipsis de praescriptis negotiis, de quibus videlicet in persona memorati Exponentis interrogati fuerint, constat certitudo veritatis, sciat, inquirat et experiatur meram, plenam atque omnimodam certitudinis veritatem. Et post haec, hujusmodi attestatione, testiumque inquisitione, literas vestras, dicto Exponenti necessarias, ad relationem praefatorum nostri et vestri hominum, eidem Exponenti sub sigillo vestro Capitulari, extradare modis omnibus debeatis, et teneamini, jurium suorum futura pro cautela. Secus non facturi. Datum Posonii Feria quinta, proxima post Dominicam Oculi. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo primo.

Nos itaque Commissionibus et Mandatis praefati Dni Imperatoris et Regis, uti semper tenemur, in omnibus obedire volentes, una cum praefato Egregio Henrico Berzeviczy de eadam, homine suae Majestatis Regio, inter alios suos homines, nominatim conscriptos, specificato, nostrum hominem videlicet Venerabilem Magistrum Benedictum Zilagyi, Socium, Fratrem, et Concanonicum nostrum, ad infrascriptam attestationem, suo modo fideliter peragendam, nostro pro testimonio fide dignum, duxeramus esse transmittendum. Qui tandem exinde ad Nos reversi, Nobis sub juramento pariformiter retulerunt eo modo: Quomodo ipsi Feria quarta proxima post Dominicam Jubilate, novissime transactam, praeterita, et aliis diebus, immediate subsequentibus, proxima, ad facies Civitatis K*i*smark vocatae, in Comitatu Scepusiensi existentis, habitae, ibidemque ad universos Nobiles, sed et ignobiles, alterius etiam cujusvis status, et conditionis honestae, praescriptorum Scepusien. Sárossien. Gömerien. et Abaujvariensis Comitatuum homines, quos videlicet praefatus Exponens, vel ejus nomine procurator suus duxerit nominandos, accessisset, eisdemque sub onere sedecim Marcarum gravis ponderis super illos, si qui forsitan ex eisdem, cum praesentibus requisiti, a dicendo de his, de quibus scilicet nomine et in persona jam fati Exponentis, in praescriptis negotiis suis interrogati fuerint, mera rei veritate se se abstraherent, per Nos, quorum interest, immediate et irremissibiliter exigendarum, sui in praesentiam citatis et invocatis, ab eisdem ad fidem eorum, Deo debitam, fidelitatemque Majestati suae ac Sacrae Coronae observando, qualis ipsis de praemissis negotiis, de quibus videlicet in persona memorati exponentis interrogati fuissent, constitit certitudo veritatis, scivisset, inquisivisset et expertus fuisset, meram plenam atque om-

nimodam certitudinis veritatem fassique et attestati fuissent modo et ordine tali:

Primus testis: Circumspectus Fridericus Gryger, Concivis Civitatis Kismark, juratus et examinatus, fassus est, quod quodam tempore idem Testis fodinas in Oppido Gölnicz curasset aedificari, tunc accepisset ab hominibus extraneis, et praecipue Colonis de Mechenseff *(h. Mezenseif)*, quod Cives de Krompach cum aliis Jobbagionibus, circa Oppidum Gölnicz adjacentibus, ab eodem Oppido dependissent cum omni justitia ipsorum, et quod de omnibus fodinis, propter jurisdictionem principalem, quarumlibet minerarum urburas, seu censum, etiam ex fodinis, ad dictum Oppidum Gölnicz solvere debuissent. Item providus Jacobus Phanesmyd, Concivis in dicta Kismark, juratus et examinatus, fassus est; se bene recordari, quod suus Pater, nomine similiter Phanesmyd fodinarum aurearum in Gölnicz Comes[a] Curator usque ad mortem suam extitisset: ad cujus manus ex singulis fodinis census Urburarum, seu minerarum do Krombach scilicet, et aliis locis circumjacentibus, ad Gölnicz fuisset administratus. Post cujus quidem Parentis sui obitum etiam idem Testis Comes extitisset, qui simili modo tales census perceptos, ad manus quondam Magnifici Alexii Thurzo[b] in dictam Arcem Scepusiensem administrasset; hoc idem testis superaddendo: quod possessiones Krompach, Hawffner, Hömer, Folkmar, Sokelsdorff *(h. Zsakarocz)*, Jekelsdorff et Margytfalva, in metis Oppidi Gölnicz essent situatae, et propterea omni jure atque justitia ex dicto Oppido Gölnicz dependissent, et auscultassent ratione fodinarum. Unde etiam nunc non licet Magistrum fodinarum ipsis Krombachiensibus contra Gölnicenses tenere. Sed si forte fodinas vel ipsi de Krompach vel alii circumjacentes vicini facere intendebant, ad eam rem omnimodam potestatem a Gölniczensibus petebant, ubicunque laborare voluissent. Praecipiue vero in istis locis, utpote Haynschitz Staynbrich ouf Gölnitzer Hew-Gelegen, Quellbergh, Hermstberg, Rosthollen, Sendelsberg, Foudergrin, Glatzbergh, Zindav et reliquis quoque, quae circa Gölnicz existerent: quamvis eidem Testi non de omnibus fodinis urburam solvissent, sed tantummodo de fodinis aureis, argenteis et cupri; sed tamen omnium fodinarum erectiones a Gölniczensibus impetrassent. Imo vero, si in vicinia dicti Oppidi Gölnicz aliqui forum hebdomadale promulgare constituissent, Gölniczenses non concusserunt. Idem testis subnectendo: quod,

a) Fodinae Praefectus.
b) V. Wagner P. III. pag. 224.

dum Coloni de Jekelfalva, infra Oppidum Gölnicz ad Malleum aggerem fecissent, eundem aggerem Gölniczenses destruxissent, neque id propterea fecissent, quod extructionem Mallei prohibere voluissent, sed saltem propterea, quia aggere vias communes destruebant. Item Feria quinta immediate sequenti in Civitate Leuchoviensi Circumspectus Sebastianus Krupek, Concivis ejusdem Civitatis, juratus et examinatus, fassus est: quod ipse a quo tempore Malleum in Gölnicz possidet, semper libere possidebat, qui etiam nunc possideret, quoniam haberet libertationem a Dominis Arcis Scepusiensis, et quod possessiones omnes jurisdictionem habebant ex Oppido Gölnicz, sumebantque omnimodam facultatem circa negotia fodinarum ab ipsis Gölniczensibus, et si ab aliquibus impetebatur, id jure mediante coram Judicio Oppidi Gölnicz prosequebatur, in causam conveniens. Item eadem die in Oppido Neudorff alias Iglo: Providus Christophorus Barthis, juratus et examinatus, fassus est, se apud Benedictum Kovacs, Comitem fodinarum, per aliquot annos servivisse, et per hoc certo se scire, quod praescriptae Possessiones, circa Gölnicz adjacentes, in metis ejusdem Oppidi Gölnicz existerent, et de singulis fodinis ipsarum Possessionum Urburas, mineras seu Massas metallorum ad Oppidum Gölnicz ferebant, et de Malleis quoque censum solvebant, et quod vicinis in locis non licebat Magistrum fodinarum tenere, aut fodinas extruere, donec a praescripto Magistro fodinarum de Gölnicz libertatem impetrassent, utpote a quo omnem jurisdictionem recipiebant; et si quis contumacia ductus, ordinarios census fodinarum solvere recusabat, tunc propterea statim in Oppido Gölnicz arestabatur, donec persolveret; atque etiam ipse testis recordaretur, se censum, Urburas, mineras et metalla, praecipue de supra nominatis locis Heinsthylttröll *(sic)*, Steinbroch supra Gölnicz existentibus, *Shinidl*berg, Glatzberg et aliis de locis solvisse, imo dictae possessiones circumjacentes metalla, sive mineras non audebant prius inter se dividere, donec a Comite fodinarum aliquem divisioni, per ipsum Comitem de Gölnicz missum, interesse non vidisset. Item Providus Stephanus Kuchel de Iglo, juratus et examinatus, fassus est, se in Jekelfalva, mansisse per aliquos annos, et bene recordari, quod de Jekelfalva, Folkmar, Margythafalva possessionibus nullum censum solvebant de mineris ferri, sed tamen extructio fodinarum ex concessione Comitis de Gölnicz concedebatur, a quo omnibus juribus alias dependebant, et ad quem in causa fodinarum, omnes lites dilucidae, deferebantur, ubi omnia illa solebant ratificare; recordetur denique aggerem Mallei, per Incolas de Jekelfalva extructum, Oppidanos de Gölnicz abstraxisse: Item eadem die in Oppido Varallya:

Providus Christophorus Kraczer, Concivis ibidem, juratus et examinatus, fassus est, se bene recordari, quod in annis Domini 1527 et 1528-o Pater suus in Oppido Gölnicz fuisset, vicinae Possessiones Krompach, Folkmar, Jekelfalva et aliae, omni justitiae ex Oppido Gölnicz auscultassent, et ab eis dependissent, contra quos ipsis Magistrum fodinarum eligere non licebat, et causa impetitionum et aliorum negotiorum jure in Gölnicz agere oportebat, atque insuper de omnibus fodinis et Malleis ad idem Oppidum Gölnicz urburas, mineras, census, et de mineris ferri reditus solvebant, et in manus Comitis fodinarum, de quibuslibet fodinis; et supperadendo: quod in anno Dni 1529 quidem Georgius Hekkel Judex fuerat in Oppido Gölnicz, qui nonnullos maleficos fecerat comprehendere, quorum unum in Krompach captivarant, quem tamen ad administrationem juris faciendam, opportuit in Oppidum Gölnicz deducere, et secundum illorum demerita poenas ibidem sustinere. Idem Testis subjiciendo: quod ab anno 1539 usque ad annum 1542 in Oppido Gölnicz ipse Testis scribam egisset, apud quandam Viduam, Ferberin vocatam, et apud quemdam Leonardum Guthlis in Krompach similiter scribam egisset, et temporibus sub eisdem Urburas, mineras, et alios proventus ad Oppidum Gölnicz dabant; et idem Testis quoque simili modo, donec officialis extitisset, isthuc ejusmodi proventus defferebat. Eodem tempore quidam Valentinus Kunisch et Christophorus Czitauffer, in Krompach commorantes habebant in monte Klaczberg fodinas, de quibus proventus ad Oppidum Gölnicz dependebant, hoc superadjecto: quod quidam Cracovienses Cives quoque habuissent fodinas in Krompach, de quibus proventus ad Oppidum Gölnicz solvebant, quorum unius nomen Hans Lyncz erat. Habuit autem in unum socium in extructione fodinae, Benedictum Maurer, qui cum praedicto Joanne Lyncz, quando dolose et fraudulenter agere cepisset, Civis Cracoviensis hunc propterea vocaverat in Judicium, quo dum in Krompach fieri nequivisset, deinde collotenus ligatus, ipse Benedictus Mauer ad Oppidum Gölnicz deductus erat, ubi definitiva sententia, super eum fuit pronunciata, et ultimus finis litis impositus, qui in redemptionem poenae aliquot centenarios cupri coactus fuisset tandem solvere Civi Cracoviensi. Hoc quoque non obmisso, quod cum apud quandam Viduam cujusdam Hannes scriba fuisset, quidam Falthensteller de Folkmar, dictae Dominae suae debebat certam summam pecuniariam, quam, cum eidem solvere noluisset, vocaverat eum ad Judicium ad Oppidum Gölnicz, ubi continuato juris processu, tandem fuisset sibi readjudicata pecunia, coactus fuisset dictus

Falthensteller dictam Dominam suam per illud Judicium omnimode contentare. Item providus Christophorus Beyer, in eodem Oppido Varallya commorans, juratus et examinatus, fassus est idem sicut et Christophorus Kratzer, immediate praecedens Testis, nisi hoc addito, quod licet ipse apud neminem scriba extiterit, tamen quando in Krompach, puer existens, servitor fuisset, se quoque proventus fodinarum ad Oppidum Gölnicz eques duxisse, recordatur. Item Sabbatho ante dictam Dominicam Cantate, noviter praeterito, idem homo Regius, nostro testimonio praesente, in possessione Mochnya, in Comitatu de Sáros, providus Gallus Gryffler, subditus Civitatis Eperies, juratus et examinatus, fassus est, quod ipse ante quatuor annos in Folkmar Judex fuisset, et antea ipsi omni jure montano ad Oppidum Gölnicz auscultassent, imo neque Judicem constituere poterant, nisi prius accepissent libertatem ex Oppido Gölnicz Judicem constituendi, et si quid ex parte fodinarum litis inter se fuit, determinare non poterant, appellatione mediante causa deducebatur ad Oppidum Gölnicz, ad determinandam finaliter hujusmodi contentionem; et idem testis, cum in Folkmar habitasset, audivit saepius ab hominibus septuagenariis, et praecipue a Joanne Wolff, et ab altero Joanne Maysner, et aliis quamplurimis, senio confectis hominibus, quod possessiones circa Oppidum Gölnicz adjacentes, censum, Urburas, mineras et proventus a lapidibus ad Oppidum Gölnicz solvere consueti fuerant, atque de singulis, Sycht *(sic)* vocatis, tres nummos propterea, ut liberam haberent vectionem et possessionem, solvere tenebantur; et quod tempore sui judicatus, duos e medio sui, videlicet Michaelem Maysner et Joannem Wolff, concives suos, ad Egregium Ladislaum Uyfalusy, tunc Officialem ipsorum, supplicatum expedivissent, ut eos in antiquis ipsorum Juribus more solito conservaret; a quo quidem Officiale, quae essent jura ipsorum? interrogati fuissent, ad haec respondissent Nuncii ipsorum, talia esse jura et libertates: quod jam inde ab initio praecipue causa fodinarum ab Oppido Gölnicz dependebant; quoniam sectiones minerarum in singulis fodinis ab Oppidanis Gölnicz impetrabant, et quae causae finiri in Folkmar non poterant, eaedem in Gölnicz finiebantur; ad quae dictus Officialis tandem ipsis respondisset, quod ad Oppidanos in Gölnicz non auscultarent, quoniam ipse esset Dnus Terrestris ipsorum, et ab eo haberent jurisdictionem, de quo velit etiam aliis Judicibus, sub potestate Domini sui existentibus, eadem praescribere, et sic tandem tempore sui Judicatus praescriptus Officialis prohibuisset, et abstraxisset Folkmarienses ab Oppido Gölnicz, violando libertates ipsorum, potentia mediante. Item eadem die in Civitate Eperies, Circum-

*

spectus Stephanus Suttor, concivis ibidem, juratus et examinatus, fassus est, se in Gölnicz in hanc lucem editum esse, et licet jam triginta anni forent, posteaquam inde recessisset, adhuc tempore expugnationis Arcis Sáros a) sed etiam tunc vicinae possessiones ad Oppidum Gölnicz auscultabant, quae idem testis a Patre suo, et ab aliis hominibus, senio confectis, praecipue vero in possessionibus Krompach, Hawffner alias Slov*e*nka, Sok*e*lsdorff, Folkmar, Jekelfalva et Margyt*ha*falva commorantibus, audivisse, quae omnes unanimiter a dicto Oppido Gölnicz dependebant. Item Circumspectus Joannes Ferber, Civis Eperiesiensis, juratus et examinatus, fassus est, se scire, quoniam suus Pater Georgius Ferber fuisset per aliquot annos Administrator Urburarum et aliorum proventuum in fodinis, et ipsum Testem Pater suus ad fodinam, Hermsthberg vocatam, per currum saepius misisset pro urburis et mineris, hoc est Nonis et Decimis fodinarum adducendis, ubi onerato curru eos proventus ad Oppidum Gölnicz introduxisset, quam fodinam tunc Civis de Krompach possedisset: qui testi, ipsa fodina demonstrata, significasset, eandem fodinam de jure haereditario ab Avo accepisse, et locis quoque minerarum demonstratis. Ibi unam lagenam vini induxissent, quam cum ebibere non potuissent, vinum tandem residuum gaudens ad mineras effudisset. Item eadem die in Possessione Margithafalva, in Comitatu Scepusiensi: Providus Joannes Deutsch, subditus Nobilis Leonardi Jekelfalusy, juratus et examinatus, fassus est, se certo scire et recordari: quod ante duodecim annos vel ultra circa Oppidum Gölnicz existentes praedictae possessiones, praecipue vero Krompach, Folkmar, Sokelsdorff alias Szakowcze, *(recte Zsakarocz)* Hawffner, alias Slow*i*nka, et Margit*ha*falva omni jure et proventibus fodinarum ad Oppidum Gölnicz auscultabant. Et si quis eorum fodinam colere volebat, ex Gölnicz impetrabat: hoc quoque addendo: se certo scire, quod de omni fodina, ubi lapides secabantur, secundum cursum fodinarum a Krompach incipiendo usque ad Sokelsdorff, sine ullo impedimento sectos Mades ad Malleos Oppidi Gölnicz ducebant supra dicti Jobbagiones; sed tamen facultatem ex Gölnicz petebant, et non diu, nisi tempore olim Magnifici Andreae Bathory, quando idem Oppidum Krompach pro se occupasset, fuerunt a jurisdictione Oppidi Gölnicz abstracti, et a pensione ordinaria de fodinis; et sic tandem Oppidani de Krompach, propria ipsorum voluntate eligebant inter se Magistros fodinarum, quod antea nunquam liberum erat. Et quando fodinarum erectiones ab Oppido Gölnicz

a) Pereniani, et postea Nicolaus Berchal de Dobra, ac Emericus et Joannes de Zapolya.

impetrabant, tenebantur solvere tres denarios. Item: eadem die ipse ibidem providus Bartholomaeus Judex in Margythafalva, subditus Nobilis Stephani Jekelfalussy, juratus et examinatus, fassus est idem, quod ut proxime praecedens testis, nisi quod de consuetudinario jure nihil sciret. Item Leonardus Jekelfalussy in eadem Jekelfalva, juratus et examinatus, fassus est: certo scire, quod praescriptae possessiones, adjacentes Oppido Gölnicz, omni justitia, et fodinarum proventu ad Gölnicz auscultabant; nisi ante aliquot annos Domini de Rychno potentia mediante, eos inde abstraxissent. Unde postea Cives de Krompach, propria ipsorum voluntate Magistrum fodinarum elegerunt, quod autem nunquam liberum erat. Imo, si idem testis aliquem maleficum in sua ditione cemprehendebat, statim ad Oppidum Gölnicz, pro administrando jure, superinde expediebat, ubi tandem de maleficis supplicium sumebatur. Item Providus Martinus Waghner, subditus dicti Leonardi Jekelfalussy, ibidem juratus et examinatus, fassus est idem, quod proxime praecedens Testis Dominus suus. Item providus Benedictus David, subditus Nobilis Stanislai Barchay, juratus et examinatus, fassus est id, quod et Leonardus Jekelfalussy, hoc addendo: quod Coloni de Jekelsdorff semper usque ad hanc horam ad Ecclesiam Oppidi Gölnicz attenderent, et Plebano ipsorum censum darent, quod tamen Domini ipsorum satis prohibuissent, sed frustra; quia administratione Sacramentorum ex Gölnicz uterentur. Atque idem Testis, cum adhuc in Sokelsdorff fuisset commoratus, etiam tunc iidem subditi de Sokelsdorff, et idem Testis quoque cum Oppidanis de Krompach in Gölnicz propter sectionem lapidum, jure mediante contendissent. Item Providus Felix, alias Chesney, Nobilis Leonardi Jekelfalussy, ibidem juratus et examinatus, fassus est sicut et prior testis Joannes Deutsch; hoc tamen addendo: se certo scire, quod Georgius Molnar et Balthazar Besteller de Gölnicz, semper absque ullo impedimento de fodinis sectos lapides, praecipue vero Qvekbergh, et Thamel ac aliis locis ad Gölnicz ducebant. Singulae autem fodinae tunc suos habebant Dominos. Item in Dominica Vocem Jucunditatis, Circumspectus Ludovicus Wildner, Concivis de Leuschovia repertus, juratus et examinatus, fassus est: Quod cum idem Testis a Sebastiano Krupek Leuschoviensi, socero suo in Gölnicz malleum atque domum certo pretio sibi coemisset, tempore emptionis interrogasset a dicto Sebastiano, unde lapides pro ferro ad suum malleum acciperet, et libere adducere posset? Ad quae idem Krupek respondisset, de monte Gölniczer vocato, qui inter Oppida Gölnicz et Krompach adjaceret; ideoque ille Testis usque in hanc horam in suum lapides adve-

heret; praeterito saltem proxime anno Officiales de Richno et Inhabitatores de Krompach voluissent huic Testi lapides adimere, et servitorem quoque ejus captivaverant; sed cum idem ad Arcem Scepusiensem ad Magnificum Dominum Stanislaum Thurzo, ut ipse eum in suis metis defenderet, supplicatum venisset, ab eodem debitam accepit defensionem; sic etiam nunc libere idem Testis in dicta fodina laborat absque ulla prohibitione, et quod dictus mons Gölniczer, ad ipsum Oppidum Gölnicz pertineret, de quo Oppidani de Krompach isthuc et ad Arcem Scepusiensem censum dabant. Item Providus Jacobus Waghner de Jekelfalva, Nobilis Leonardi de Jekelfalva subditus, juratus et examinatus fassus est, se certo nescire, quae essent verae metae inter Oppida Gölnicz et Krompach, neque scire census de fodinis, quo dati sint, se tamen non ignorare, quod circumjacentes possessiones, praesertim Krompach, Hawff*en*, Sokelsdorff, Folkmar, Margythafalva, et Jekelfalva, quando volebant fodinas erigere, nunquam ausi fuerunt prius, nisi ab Oppidanis de Gölnicz impetrassent, a quibus omni jurisditione utebantur. Recordaretur etiam, quod dictus suus Dominus ante viginti annos, quemdam maleficum, Kozma nomine, captivaverat, quem ad Oppidum Gölnicz, ut Judicium super eum fieret, transmisisset, isthicque morti adjudicatus fuisset. Item Venerabilis Martinus Rimanowski, Presbyter in Jekelfalva, juratus et examinatus, fassus est: quod a pueritia sua in Oppido Gölnicz fuit educatus, et operam dedit studiis, et certo sciret, a sua memoria circiter triginta quatuor annorum, praescriptas possessiones Oppido Gölnicz circumjacentes, omni iudicio et censu fodinarum ad Oppidum Gölnicz auscultabant, et fodinarum erectionem a Magistro in Gölnicz impetrabant. Item in Civitate Somolnok, Egregius Petrus Faigel de Zaybelsdorff, juratus et examinatus, fassus est, se a quadraginta annis scire, quando Nicolaus Derenchény fuisset Provisor Arcis Scepusiensis, etiam tunc circumjacentes possessiones ad Gölnicz attendebant, a quibus judicium expectabant, proventus quoque fodinarum, Urburas, mineras, et lapides ad Gölnicz deportabant. Praecipue autem istae possessiones Krompach, Hawffner, Sokelsdorff, Jekelsdorff, Folkmar et Margythafalva, si volebant fodinas parare, tunc petebant licentiam a Magistro fodinarum in Oppido Gölnicz; et hoc addendo: quod omnes praescriptae possessiones essent in metis Oppidi Gölnicz situatae, et quod tempore sui Officialatus in Arce Scepusiensi, subditi de Jekelfalva ad Malleum fecerant quemdam aggerem, quem tandem ipse testis disjici curasset. Recordaretur insuper, quod quidam Hans Lencz, Civis Cracoviensis, habuit unam fodinam cupream, inter Krompach et Slovenka in loco, Alten Wasser

vocato, cujus aedificationem ipse Civis Cracoviensis ex Oppido Gölnicz impetraverat, quo et censum dare solebat. Et si qua injuria afficiebatur undecunque, non in Krompach, sed in Gölnicz coram Magistro fodinarum Judicium expectabat. Sic etiam Nicolaus Derencheny, praescriptus Officialis, de praescriptarum possessionum fodinis, proventus ad Gölnicz percipiebat. Item Feria secunda proxima post praedictam Dominicam Vocem Jucunditatis in Oppido Wallendorff, alias Olaszii, Providus Valentinus Schörger, juratus et examinatus, fassus est, quod ipse solummodo possessiones Jekelfalva et Folkmar sciret, solvisse de fodinis censum ad Gölnicz, tanquam ubi liberum usum obtinebant, possessiones nominatae omni jure ad Gölnicz auscultabant; de aliis se nihil scire. Super qua quidem attestatione, Testiumque inquisitione, literas nostras praefato Exponenti necessarias, ad relationem praefatorum nostri et Vestrae Majestatis hominum, eidem Exponenti sub sigillo nostro Capitulari modis omnibus extradandas duximus et concedendas. Datum Sabbatho proximo post Festum Ascensionis Domini. Anno ejusdem Millesimo quingentesimo septuagesimo primo supra dicto. Lecta et correcta in Consistorio eadem manu.

CCLXVII.

Sigismundus Rex Poloniae gratas habet attestationes, sibi intuitu devastatarum per Hussitas Matthaei, Durandi et Rusqvini Villarum factas, proptereaque illis unius anni censum remittit. Anno Dni 1572.

Ex autographo Matthaeivillae existente, medio Joannis Scholtz V. D. Ministro mecum communicato.

SIGISMUNDUS Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae etc significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis, oblatas esse Nobis literas papyreas, Sigillo Magnifici Hieronymi Buzenski, Regni nostri Thesaurarii, Cracoviensis Zuppani sigillatas, supplicatumque est Nobis, ut eas authoritate nostra Regia approbare et confirmare dignaremur, quarum quidem literarum sequitur tenor, et est talis:

Hieronymus Buzenski Zbuzenina Potskarby Corunu Zupnyk Crac. Buzcznjezki, Kizeczowski Starosta: Oznajmuje wsiem, komu tego viedzycz potr-

zeba ist, ad requisitionem trzech Myasteczek, Matkiasovecz[a] Twarosney[b] Rusquinowecz[c] u Ztaroztwem Spiskem bendaicz, extract regestru Panow Lustratorow maley Polszkj, to jezt iich mezi Panow Jana Christoporskyego, Castellana Vyelyunzkego, Zacheusa Pikarzkjego S. Seymo Walnego, Coro nego, Luwbeszkjego, wroku 1569. tak od J. Pokmezi ijaka Panow Rad Coronich, y Poszluff Zemzkych wizlanich, y nanasonych do Zkarbu I. pok mezy y wzeczy pozpolitey na nynyeyszim Seymye Warsawszkju, wroku 1572. przy bythnoczczy ych merz Panow, Pana Tarla Sczekarzowich Radomzkego, Pana Dzyalynszkyego Dobrzyanzkego Castellanow, od ich Merzi Panow Rad Coronyich Piotra Strzaly Sendziego Oszwyezymzkego, y Zatorzkego, Marczina Kazanowskiego, Piotra Wydawskjego, a Thomasa Dubrawzkjego, Podsenika Liowskjego, od Panow Poszlow Zemzkych, na to deputowanich, pod pyeczaczamy y pod Pyszem Ruk swich odanego, okolo Powynosczy, y oddawanya Czynsu annis singulis stich Mjastachek wysey opiszanich yesth widan: ktori de verbo ad verbum tak ze ma: Ty trzy Mjasta Matthiasowcze, Twarosna, Ruzquinowcze, jako se nayduje wztarich Regestrach, ustami zeznawayn ysz placzily Czynsz Ztarodawna wjensky, to jesth Matthiasowcze pro una rata aureos sexaginta. Twarosna, pro una rata aureos septuaginta quinque. Ruzqvinowcze pro una rata aureos quadraginta. Alye dali the zprawe ysz przech Hussitach thy trzy — Mjasta byly prawe zpusztozonie, y prez dluhy czas nyeoszadlyi, asz za wmenysenym Czynsu, ktori do tego czaszu daya oszradacz pochely, jakosz z inwentaroch pokazuje czyensz thim spusobem, jako napiszano jesth, nizey czynecz placza Mjasta Matthiasowcze placzi czinsu na ten czas, na jedne rate aureos 30. cziny na tri rati do Roku aureos 90. Mjasto Twarosna placzi czinsu na ten czas na jedne rate aureos 30. cziny na try rate de Roku aureos 90. Ruzqvinowcze Mjasta placzy na ten czas czinsu, na jedne aureus 15. cziny na trzy rate do Roku aureos 45. Dokladaly tesz thego ysz na the czinsu wmejseny myely Liszthy, y przp wyleye, ktore by ihm w koztzejlie Leibiczkim zgorecz mialy wze 90. Vscheczkego przyszega popravilj sami, a druzim zinich Mjast od tym zwadecztwo davaly, y przyzanecz zujmi gdeby thego potreba byla, gothowy; byly czo na ten czas jesth zwyadomowczeau, y z pryzwelenym, i tok mezi od ich mezy wsitkych Panow Rad Coronich y Poslow

a) Matthaeivilla.
b) Durandivilla.
c) Ruszquinocz. Opptda coronalia.

Zemzikich prze tho y Sermeny wsitkym approbowano, ze na ten czas wentich powinoczy w czinsu, kteri odavaja anj tich aureos 300. nie za ani benda powinv dawacz, oa to Swyadetzwa liebsego peczenecz moga yezt przilozena. Datum na Zeynye walnym Warsawzkim die 20, Maji, anno Dni 1572. Ex Regestris Dominorum Lustratorum extractum, et Sigillo Magnifici Domini Regni Thesauraii communitum. Jacintus Mloczowski, Thesauri Regni Notarius mp.

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex, praenominatus supplicationi huic annuentes, praemissas literas in omnibus punctis et articulis approbandas et confirmandas duximus, prout approbamus et confirmamus praesentibus literis nostris decernentes, eas et omnia in eis contenta robur perpetuae firmitatis obtinere debere. In cujus rei fidem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Warsaviae in Conventione Regni generali die 21. Mensis Maji. Anno Dni Milesimo quingentesimo secundo. Regni vero nostri anno quadragesimo tertio.[a)]

CCLXVIII

Henricus Rex Poloniae ad intercessionem Nicolai et Joannis Maciejowski Capitaneorum omnia XIII. Oppidorum privilegia cum jure patronatus confirmat. Anno Dni 1574.

Ex autographo per Jonam Andr. Czirbes V. D. M. Igloviae descriptum.

NOS Henricus, Dei gratia Rex Poloniae, [a)] Magnus Dux Lithvaniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniae, Samogitiae, Livoniaeque etc Dominus, nec non Dux Andeorum (Andegavensium) Borbonicorum, et Alvernorum etc. Significamus tenore praesentium, quorum

---

a) Sigismundus iste e Jagellonia familia postremus fuit, eodemque anno Kalendas Julii fuerit etiam humanis exemptus.

a) Post hujus Regis mortem longiorem, de Successore eligendo, Poloni disceptationem habuere. Tandem praelibatum Henricum, Galliae Principem ob cunctationem Maximiliani Caesaris anni 1573. in suum Regem proclamarunt, atque anno sequente 1574. Feria secunda post Dominicam secundam Conductus Paschae proxima inaugurarunt. V. RR. D. Georg. Pray. Histor. Regni Hung. Stirpis Austriacae. Edit. Buden. 1799. pag. 123.

interest, universis et singulis, tam praesentibus quam futuris: Quod, tametsi, posteaquam Diadema capiti nostro imponeretur, omnia jura, privilegia, literas, libertates et immunitates Ecclesiasticas et seculares, tam privatas quam publicas, personis cujuscunque status et conditionis et ordinis confirmaverimus, eaque Nos omnia sancte et inviolabiliter observaturos, vigore praestiti juramenti, obligaverimus; permoti tamen intercessione Magnifici Nicolai Macieiowski, Palatini Lublinensis, ac Generosi Joannis Macieiowski, Subcamerarii Sandomiriensis, Capitaneique Scepusiensis, pro Spectabili ac famato Stephano Dirner, Comite de Iglo et Consule XIII. Oppidorum nostrorum Scepusiensium, ut omnia jura, privilegia, literas, libertates et immunitates, cujuscunque generis existentes, per Sacratissimos Hungariae et Poloniae Reges, Antecessores nostros, ipsis ac Oppidis nostris memoratis Scepusiensibus concessas, specialibus literis nostris, authoritate nostra Regia, approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Ideo intercessioni hujusmodi, ut justae, benigne annuentes, omnia jura, privilegia, literas, decreta, libertates, etiam super libertate mercandi et non solutione thelonii nostri ubilibet per Regnum nostrum, tum etiam de annua Censuum solutione, vigore Decreti Conventus Generalis Varsaviensis divi Sigismundi Augusti Regis, Antecessoris nostri, Nobis, thesauroque nostro per eadem Oppida Scepusiensia praestanda, nec non de eligendis idoneis Pastoribus, et eisdem conferendis Decimis, ex concessione privilegiorum Regum Hungariae, simulque de libera electione Comitis et Judicum, facultateque judicandi causarum omnium, salva ad Nos appellatione permanente; ac insuper de perceptione proventuum in usus publicos Oppidorum, Reique publicae eorundem, ex propinatione vinorum in liberis tabernis, et emolumentis molendinorum provenientium, usuque silvarum libero, exemptioneque ab aliis quibuscunque oneribus et laboribus, exactionibusque insolitis, aliasque immunitates et praerogativas, per olim Serenissimos tam Hungariae quam Poloniae Reges, Antecessores nostros, ipsis Oppidanis Scepusiensibus praefatis, publice et privatim quibusdam illorum, per memoratos tam Hungariae quam Poloniae Reges, Antecessores nostros, juste et legitime concessas, quas quidem hic pro expressis et specificatis, tamquam de verbo ad verbum praesentibus insertae fuissent, habere volumus, in quorum usu et possessione ad hunc usque diem fuerant, nullis penitus exceptis tam in genere quam in specie; ita quod generalitas specialitati, et specialitas generalitati non deroget, ac in omnibus eorum punctis, articulis et conditionibus, clausulisque approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, prout et de certa scientia nostra, as-

sensuque Consiliariorum nostrorum Scepusiensium, nobiscum existentium, approbamus, ratificamus et confirmamus per praesentes eadem omnia et singula jura, privilegia, libertates, decreta, literas et immunitates praefatorum Oppidorum nostrorum Scepusiensium, ceu huic Regno unitorum et adjunctorum [b] robur debitae firmitatis obtinere debere, tanquam a Nobis ipsis fuissent elargita, decernimus, omniaque et singula in eis contenta observaturos, ac ad ea observanda alios adacturos, neque violare illa a quopiam aliqua in parte permissuros Nos esse, pollicemur. In cujus rei fidem et evidentius testimonium Sigillum nostrum praesens subappensum est. Datum Cracoviae in Conventu Coronationis nostrae, Feria tertia post Festum Sancti Matthiae Apostoli proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. Regni vero nostri primo. Datae per manus Magnifici Valentini Dembienski de Dembiani. Regni Poloniae Cancellarii, sincere Nobis dilecti.

Henricus Rex mp. (L. S. Appensi) Valentinus Dembienski,
Regni Poloniae Cancellarius. mp.

CCLXIX.

Idem Rex Lubloviensium privilegia confirmat. Anno Dni 1574.

Ex autographo ibidem habito.

Henricus, Dei gratia, Rex Polouiae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae etc. Significamus tenore praesentium, quibus interest, aut postea interesse poterit, universis et singulis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris: Quoniam in hoc publico felicis Coronationis nostrae Conventu, postquam Dei Optimi Maximi voluntate ad Regni hujus gubernacula erecti essemus, Regiumque Diadema Capiti nostro impositum sit, exhibitas Nobis literas confirmationis, in pargameno scriptas, sub titulo Serenissimi Principis, Domini Sigismundi Augusti Regis, Antecessoris nostri desideratissimi, Rndi

---

b) Ad evidentiam est, istam expositionem non tenere, cum praelibata Oppida solum pignoratitia fuerint. Id quidem, ut fieret, Poloni anhelabant, ast Status et Ordines Regni Hungariae, imo et ipsi reges receptionem eorundem Oppidorum una cum Dominiis Lublo ac Podolin, constanter adurgebant testante Corpore juris Hungarici, in quo eatenus plurima pro redemptione eorum projecta, quin imo et Leges legi poterunt. Ut adeo certa in Curia Vratislaviensi inscriptio, per me alias adducenda, mera sit fabula.

*

Joannis Przerebski, Regni Poloniae Vice-Cancellarii manu propria subscriptas, Sigilloque Regni appenso communitas, continens in se tria privilegia Serenissimorum Regum Ungariae, et Poloniae, Antecessorum nostrorum, primum Ludovici, Dei gratia Ungariae, Dalmatiae etc Regis, — secundum Wladislai, Dei gratia Regis Poloniae, electi Regis Ungariae etc. sanas, salvas, integras, omnique suspicionis nota carentes; supplicatumque Nobis fuisse, ut ejusmodi literas authoritate nostra Regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur: Quarum quidem literarum verba haec sequuntur:

In nomine Domini. Amen. etc V. Dipl. CCXL. 1556. pag. 395.

Wladislaus Rex Poloniae — etc V. Dipl. CLII. Anni 1440. pag. 268.

Proinde Nos Henricus Rex, supra nominatas literas superius recensitas, de verbo ad verbum praesentibus insertas, authorirate nostra Regia in omnibus eorum punctis, clausulis et articulis approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, approbamusque et ratificamus per praesentes, decernentes, eas robur debitae et perpetuae firmitatis, prout in suo tenore continetur, obtinere debere temporibus perpetuis. In cujus rei fidem Sigillum nostrum est appensum, manuque nostra propria subscriptum. Datum Cracoviae in Conventu Regni Generali, felicis coronationis nostrae, Feria secunda post Dominicam conductus Paschae proxima, anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Regni vero nostri anno primo. Praesentibus Rndis in Christo Patribus: Jacobo Uchanski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato, Regni Poloniae Primate, Stanislao Szlumowski, Leopoliensi, Dei gratia Sanctarum Ecclesiarum Metropolitanarum Archiepiscopis, et Rndis: Francisco Krasinski Cracoviensi, Stanislao Krakowski Vladislaviensi et Pomeraniae Adamo Konarski Posnaniensi, Petro Myskowski Plocensi, Alberto Starozrepski Chelmensi, Dionysio Szeczygniewski Camencensi, eadem gratia Episcopis. Nec non Magnificis: Sebastiano a Mielicz, Castellano Cracovien. Brzestensi, Cujavienque, Nicolao Radziwil, Duce Dubiczen, Vilnen. Magni Ducatus Lithvaniae Cancellario Lidensi, Petro a Zborow Sandomirien. Gasparo Tebrzydowski Calisien. Alberto a Maszko Siradien. Joanne Sierakowski Lancicien. Przedecen. Joanne Krotowski Junien. Vladislavien. Georgio Jagtorwieczki Russiae, ac exercituum Regni Campestri Praefecto, Lubaczovien. Nicolao a Mielicz Podoliae, novaeque Civitatis Korczyn Palatinis et Capitaneis. Joanne Comite in Teczin, Woynicen. Lublinen. Andrea Comite in Gorka Miedzyrzeczen, Gnesnensique et aliis quam plurimis Castellanis et Capitaneis. Valentino Dambienski, Regni Poloniae Cancellario. Nec non

Venerabilibus et generosis Petro Dunin Wolski, Gnesnensi Canonico, Regni Poloniae Vice-Cancellario, Stanislao Ossowski Scolastico Sandecen. Stanislao Sandinogio a Czarnkow, Coadjutore Posnanien, Plocensi Capitaneo. Referendariis Curiae: Laurentio Goslicski, Cracoviensi Canonico, atque aliis quam plurimis dignitariis, Officialibus et Secretariis, aliisque ad praemissa testibus fide dignis. Datum per manus Petri Dunin Wolski Gnesnen. Posnaniensisque Canonici, et Regni Poloniae Vice-Cancellarii. m. p.

Henricus Rex m. p. (L S Regni)

CCLXX.

Idem Rex Podolinensibus omnes libertas, quas habebant, una cum Depositorio confirmat. Anno Dni 1574.

Ex autographo ibidem habito.

IN nomine Domini. Amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Henricus, Dei gratia Rex Poloniae etc significamus praesentibus literis nostris tam praesentibus, quam futuris: Quia licet in Sacris Majestatis nostrae Comitiis, hic Cracoviae celebratis, dum videlicet Principes spirituales et seculares, ceterique Praelati et Barones, et Regnicolae nostri, felici nostrae aderant coronationi, universa jura et privilegia, per divos olim Antecessores nostros Reges Poloniae, ac Regni ejusdem ac Dominiorum, Provinciarumque ad idem pertinentium, Dominos quoscunque Regni Poloniae, Dominiisque illius ac ipsorum Incolis, Status et conditionis cujuscunque Spiritualibus et Secularibus concessa, confirmaverimus, eaque Nos omnia sancte et inviolabiliter observaturos, vigore praestiti juramenti, obligaverimus: Quoniam tamen Nobis in Conventione generali praesenti Augustae Coronationis nostrae, una cum Consiliariis Regni nostri existentibus, venientes ad praesentiam nostram Famati Thomas Ploweczki Proconsul, Ambrosius Kraus et Martinus Gawel Cives, et Incolae Civitatis nostrae Podolenice *(Podolin)*, Terrae Scepusiensis, suis ac totius Communitatis omnium Civium nominibus juramentum fidelitatis praestiterunt; post cujus praestationem supplicati sunt Nobis pro eis Consilarii et Nuncii terrarum Regni nostri, in eo Conventu generali congregati, ut omnia jura, privilegia libertates et immunitates eorum, per Serenissimos olim Dominos Antecessores nostros ipsis

concessas, specialibus literis nostris, authoritate nostra Regia, approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Ideo supplicationi et intercessioni ejusmodi, uti justae, benigne annuentes, simulque meliori conditioni Civitatis nostrae praefatae prospicere cupientes; omnia jura, privilegia, literas, decreta, libertates, Depositoria quaecunque, inscriptiones, concessiones, exemptiones, plebiscita, Senatus consulta, praerogativas, indulta, quietationes, et alia omnia munimenta tam pargamenea, quam papyracea, per quoscunque Reges, Principes, Duces et Dominos Praedecessores nostros, ac alias quascunque personas spirituales et seculares, ipsis Proconsuli, Consulibus, ac toti Communitati praedictae Civitatis nostrae Podolenice, tam publice quam privatim quibusdam ex illis data, et concessa, datasque et concessas, justa et legitima, justasque et legitimas, quorum, quarumque tenores tam in genere, quam in specie ita, ut generalitas specialitati, et specialitas generalitati non deroget, perinde esse, et valere volumus, tanquam his nostris praesentibus literis de verbo ad verbum inserta, insertaeque essent, in omnibus eorum, earumque tenoribus, passibus, Capitulis, conditionibus, clausulis et paragraphis, de speciali gratia et munificentia Nobis innata, approbanda, ratificanda, roboranda et confirmanda duximus, uti quidem de certa scientia nostra, authoritate nostra Regia, assensu Consiliariorum nostrorum et Nunciorum terrestrium, in eo Conventu Regni generali Coronationis nostrae congregatorum accedente, approbamus, roboramus et confirmamus praesenti privilegio nostro confirmatorio. Eademque omnia et singula jura, privilegia, literas, Decreta, libertates, Depositoria quaecunque, inscriptiones, concessiones, exemptiones, plebiscita, Senatus consulta, praerogativas, indulta, quietationes, et alia omnia munimenta robur debitae firmitatis obtinere debere, tanquam a Nobis ipsis fuissent largita et largitae, decernimus. Ac omnia et singula in eis contenta observaturos, ad eaque observanda alios adacturos, neque violari illa a quopiam aliqua in parte permissuros Nos esse, pollicemur, perpetuis temporibus et in aevum. In cujus rei fidem et testimonium evidentius Sigillo Regni nostri majori subappenso, praesentes communiri fecimus. Datum Cracoviae in Conventu Regni generali Augustae Coronationis nostrae, Feria quarta post Festum Solemnis Paschae proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. Regni vero nostri anno primo. Praesentibus Rssmis et Rndis in Christo Patribus, nec non Magnificis, Generosis et Venerabilibus: Jacobo Uchanski, Archi-Episcopo Gnesnensi, Legato Nato, et Regni nostri Primate, Francisco Krasinski Cracovien. Stanislao Karnhowski Wladislavien. et Pomeraniae, Adamo Konarski Posnan. Petro Mys-

kowski Plocen. Alberto Starzechowski Chelmen. Dionysio Spozygniewski Camenecensi Episcopis. Sebastiano a Mielicz, Castellano Cracovien. Bresten. Cujavienque, Joanne Firley de Dombrowicza Palatino et Capitaneo Generali Cracovien. ac Supremo Regni Marchalco, Nicolao Radziwil Vilnen. Magni Ducatus Lithvaniae Cancellario Supremo, Liden. Mohnen. Boxiszoviensique, Petro a Zborow Sandomirien. Stobnicen. Camionecenque, Gasparo Zebrydowski Calisien. Przecenque, Alberto Laszki, Siradiensique Palatinis. Eustachio Wolowicz Castellano Trocensi, et Magni Ducatus Lithvaniae Vice-Cancellario, Brestenque. Joanne Sykrakowski Lancicien. Przedecenque, Joanne Kotkowicz Comite in Sclov. Capitaneo Generali, Terrarum Samogitiae et Magni Ducatus Lithvaniae Supremo Marchalco, Kownen Plothelecenque, Joanne de Stuzewo Brcesten. Constantino Constantynovicz de Ostrow Kujawien. Joanne Krotowski de Barcin, Inowladislavien. Georgio Jaztowieczki de Buczacz, Russiae, exercituum nostrorum Campiductore. Nicolao Mieleczki de Mieklicz Podoliae, novae Civitatis Korczyn. Grodecenque, Nicolao Maciejowski de Maciejowicze Lublinen. Stanislao Zawski Ravensi Palatinis et Capitaneis. Nec non Hieronymo Oszolinszki Sandomirien. Przessiowienque, Joanne Konarski Calisien. Joanne Comite a Tanczyn Wojniczen. Lublinenque, Andrea Dembowski Siradien. Lancicienque, Jacobo Lafsokj Lancicien. Stanislao Herborth de Zulsthin Leopolien. Drochobicen. Samborienque, Hieronymo Sieniawski Camenecen. Halicienque, Andrea Comite a Teczyn Belzen. Sigismundo Wolski de Podhaycze Czernen. Varsavien. Joanne Dulski Culmen. Rogosnenque. Joanne Kosthka de Stemberg Gedanen. Terrarum nostrarum Prussiae Thesaurario Marienburgensi, Andrea Comite de Gorka Miedzyrczen. Stanislao Saffraniecz de Pieschowa Skala Biecen. Lelovienque, Joanne Zarto de Szczekarzewicze, Radomien. Pilznenque, Nicolas Ligcza Zawichosten. Bieczen. Joanne Szeniawski Zarnowien, Joanne Christoporski Vielunen. Paulo a Dziatyn. Dobrzycen. Stanislao de Tarnow Czechovien. Nicodemo Lezkinskj Naklen. Paulo Szczawinski Brzczinen. Andrea Ilowski Wisnensi, Castellanis et Capitaneis. Valentino Dembinski de Dembiany Supremo Regni Cancellario, Hieronymo Buzinski Regni Thesaurario, Zuppario nostro Cracowiensi, Dobczyczensique, Nicolao Maruszowitz, Magni Ducatus Lithvaniae Thesaurario, Nicolao Radziwil, Magni Ducatus Lithvaniae Curiae Marchalco, Stanislao Osowski, Referendario Curiae nostrae, Erasmo Dembienski, Decano Cracoviensi, Luca Podoski Gnesnen. Joanne Bornhowski Lancicien. Joanne Zaborowski Sandomiriensi Praepositis, Secretariis nostris, et aliis quam plurimis Dignitariis et Officialibus nostris. Datum per manus

Magnifici Valentini Dembinski de Dembyani. Regni Poloniae Cancellarii, sincere Nobis dilecti.

Henricus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCLXXI.

Joannes Maciejowski Capitan. Scepus. indulget Gneszdensibus novam molam aedificare, illam a ferendo onere ad Arcem solvit. Anno Dni 1577.

Ex autographo ibidem habito.

JOANNES Maciejowski Succamerarius Sandomiriensis, Capitaneus Tredecem Oppidorum Scepusiensium et Liblo ac Podolin etc. Significamus praesentibus literis nostris, quibus expedit universis: Quod annuentes supplicationi fidelium Oppidanorum de Gniezna, qui ob aquae penuriam tempore hyemali molere, quantum necessitas eorum requirit, non possunt, ac propterea ipsis concessimus, imo concedimus molendinum novum instruere in fluvio Poprad, eoque uti et frui pro libitu poterint, de eoque in Arcem Liblo nihil omnino dare tenebuntur, solummodo quantum antehac de molendino antiquo quotannis dederunt, tantum et in posterum de utroque dare tempore consueto tenebuntur. Insuper pollicemur Nos illis, apud Sacram Regiam Majestatem ad hoc privilegium impetraturos, quod praesentes literas has nostras confirmabit: ac pro meliori testimonio Sigillum nostrum subimprimi curavimus, propriaque manu subscripsimus. Actum in Arce Liblo vigesima quinta die Mensis Septembris. Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Idem qui supra mp. significat. (L. S.)

CCLXXII.

Stephanus, Rex Poloniae, Lubloviensium confirmat privilegia. Anno Dni 1577.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae[a] Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Livoniae, Volhiniae, Podlachiae. Kiioviae, nec non Princeps Transsilvaniae etc significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, ac interesse poterit, universis et singulis, harum notitiam habituris: Exhibitas Nobis esse literas confirmationis Serenissimi Principis, Domini Henrici, Poloniae Regis, Antecessoris nostri, in pargameno scriptas, sigilloque minori Regni appenso communitas, salvas, sanas integras, nulloque suspicionis vitio obnoxias, continentes in se .... privilegia: Supplicatum est Nobis, ut easdem literas authoritate nostra Regia ratificare, approbare et confirmare dignaremur: Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est ejusmodi:

Henricus, Dei gratia Rex Poloniae etc V. Diplom. CCLXIX. Anni 1574. pag. 443.

Wladislaus — Rex Poloniae etc V. Diplom. CXX. Anni 1414. p. 197.

Exhibuerunt etiam Nobis Cives iidem Lublovienses ..... privilegium Serenissimi olim Wladislai Poloniae Regis, et electi Ungariae, Avi nostri

a) Isto anno Henricus ante nominatus repente, atque insalutatis Polonis in Galliam reversus est, ut subinde ibidem Fratri suo Carolo succederet. Non intermiserunt Poloni ipsum orare, ut ad Regnum suum rediret. Cum autem viderent, se frustra omnia agere, editis anno 1575. literis, declararunt, non tantum Regnum Poloniae vacare, verum una etiam Comitia ad 1-am Decembris Varsaviam indixerunt, in quibus videlicet de novo eligendo Rege agerent. Intellectis his Stephanus Bathor de Somlyo, Princeps Transsylvaniae, Martinum Berzeviczy Varsaviam, ad colligenda pro se Senatorum suffragia, ablegat. Qui, dum nomine Principis sui, splendidas et Poloniae Regno utiles conditiones proposuisset, insuper etiam Turcarum Imperator Amurathes per literas suas Bathorium potenter commendasset, is propterea voto Palatini Cracoviensis in Regem renunciatus est. Quia vero pars altera Polonorum, Duce Gnesnensi Archiepiscopo, pro Caesare Maxiliano, cujus causa Albertus Laszki, Palatinus Terrae Siradiensis, praecipuus ablegatus fuit, (V. Corp. Jur. Hung. Maxmiliani Imper. et Regis Decr. I. 1578. art. 18.) fortiter stabat, eumque, ut quo citius in Poloniam veniret, invitabant, is vero nonnullas moras traxisset, factum est, ut Stephanus Báthorius cum exercitu suo in Poloniam advolaverit, et Androviae omnium tandem Polonorum consensione pro suo rege acceptatus sit, et demum Kalendis Maji 1576. corona incinctus fuerit. Nihilominus reservavit sibi supremam in Transsilvania auctoritatem cum proventuum parte. V. R. R. Georg Pray Histor. Regum Hung. Stirpis Austriacae. Edit. Budensis. 1799. pag. 135.

charissimi, quo exemptio et libertatio ab equitaturis, ducturis, ac aliis oneribus eisdem concessa est: quod quidem privilegium propter ejusdem exustionem ad verbum ex originali describi non potuit; verum tamen ex literis confirmatoriis, divi olim Wladislai Regis Poloniae, Patrui nostri describi illud mandavimus. Cujus tenor est iste:

Wladislaus Tertius etc V. Dipl. CLII. Anni 1440. pag. 268.

Nos itaque Stephanus Rex supra nominatus, literas superius descriptas, de verbo ad verbum insertas, authoritate nostra Regia, in omnibus eorum punctis, clausulis, articulis, positionibus ratificandas et confirmandas esse duximus, approbamusque ratificamus, et confirmamus per praesentes, easque robur perpetuae firmitatis obtinere debere decernimus temporibus perpetuis. In cujus rei fidem ac testimonium praesentes literas sigillo nostro communiri jussimus, manuque nostra subscripsimus. Datum Marienburgi [b] die septima Mensis Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Regni vero nostri anno secundo.

Stephanus Rex. mp. (L. S. Regni.)

CCLXXIII.

Idem Rex immunitates Podolinensis Civitatis confirmat. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

IN nomine Domini. Amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Stephanus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniae, Kiioviae, Volchiniae, Podlachiae, Livoniae etc. ac Princeps Transsilvaniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, harum notitiam habituris, tam praesentibus, quam futuris. Quia licet in Sacris Majestatis nostrae primitiis, Cracoviae celebratis, dum videlicet Prin-

---

b) Marienburg, Földvár Oppidum, in Districtus Colonensis ditione, in Australi amnis Alutae ora situm et Castello munitum est.

cipes Spirituales, Seculares, ceterique Praelati et Barones, ac Regnicolae nostri felici nostrae aderant coronationi, universa jura, privilegia, per divos olim Antecessores nostros, Reges Poloniae, ac Regni ejusdem et Dominiorum, Provinciarumque ad eum pertinentium, Dominos quoscunque Regno Poloniae, Dominiisque illius ac ipsorum Incolis, status et conditionis cujuscunque Spiritualis et Secularis concessa, confirmaverimus, eaque Nos omnia sancte, et inviolabiliter observaturos, vigore praestiti juramenti, obligaverimus. Quoniam vero Nobis in conventione generali praesenti Varsaviensi, una cum Consiliariis Regni nostri existentibus, venientes ad praesentiam nostram Famati Martinus Gal Rychtarius, Joannes Bartosz, et Caspar Kowal, Cives et Incolae Civitatis nostrae Podoleniec, Terrae Scepusiensis, suo ac totius Communitatis omnium Civium nominibus, supplicati sunt Nobis, et pro eis Consiliarii nostri, lateri nostro assidentes, in praesenti Conventu generali congregati, ut omnia jura, privilegia, libertates et immunitates eorum, per Serenissimos olim Dominos Antecessores nostros ipsis concessas, specialibus literis nostris, authoritate nostra Regia, approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Ideo supplicationi et intercessioni ejusmodi, ut justae benigne annuentes, simulque meliori conditioni Civitatis nostrae praefatae prospicere cupientes, omnia jura, privilegia, literas, Decreta, libertates a praestandis podwodis et theloniis solvendis, Depositoria quaecunque, constitutiones, concessiones, exemptiones, Decimarum pecuniariarum solutiones, Decimarum vero manipularium pro usu Civitatis ejusdem nostrae Podoleniec comportationes, plebiscita, senatus consulta, praerogativas, indulta, quietationes et alia omnia munimenta, tam pargamenea, quam papyracea, per quoscunque Reges, Principes, Duces et Dominos Praedecessores nostros, ac alias quascunque personas Spirituales et Seculares, una cum antiquo usu, et consuetudine liberae piscaturae in flumine Poprad, Civitatem eandem alluente, et fossae, ad Molendina decurentis, ipsis Civibus praedictae Civitatis nostrae Podolenice, tam publice quam privatim quibusdam ex illis data et concessa, datasque et concessas, justa tamen et legitima, justasque et legitimas, ac usu continuo possessa, et possessas: Quorum, quarumque tenores tam in genere, quam in specie, ita, ut generalitas specialitati, et specialitas generalitati non deroget, perinde esse et valere volumus, tamquam his nostris praesentibus literis de verbo ad verbum inserta, insertaeque essent, in omnibus eorum, earumque tenoribus, passibus, capitulis, conditionibus, clausulis et paragraphis de speciali gratia et munificentia, Nobis innata, approbanda, ratificanda, roboranda, et confirmanda duximus,

uti quidem de certa scientia nostra, authoritate nostra Regia, assensu Consiliariorum nostrorum, lateri nostro assidentium, in eo Conventu Regni generali Varsaviensi congregatorum accedente, approbamus, ratificamus, roboramus, et confirmamus praesenti privilegio nostro confirmatorio; eademque omnia et singula jura, privilegia, literas, Decreta, libertates a praestandis Podwodis et teloniis solvendis, Depositoria quaecunque, constitutiones, concessiones, exemptiones, Decimarum pecuniariarum solutiones, Decimarum vero manipularium pro usu Civitatis ejusdem nostrae Podolenice comportationes, una cum antiquo usu et consuetudine liberae piscaturae in flumine Poprad, Civitatem eandem alluente, et fossae, ad Molendina decurrentis, plebiscita, senatus consulta, praerogativas, indulta, quietationes, et alia omnia munimenta, robur debitae firmitatis obtinere debere, tanquam a Nobis ipsis fuissent largita et largitae, decernimus, ac omnia et singula in eis contenta observaturos, ad eaque observanda alios adacturos Nos esse, pollicemur, perpetuis temporibus et in aevum. Quod ad universorum et singulorum Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Vice-Capitaneorum, Teloniatorumque ac eorum Notariorum, Proconsulum, Consulum, Advocatorum, Scabinorum ac aliorum quorumvis subditorum nostrorum praesentium, et pro tempore existentium notitiam deducentes, mandamus, et memoratos Cives nostros Podolinecenses juxta praescriptum privilegiorum ipsorum et praeinsertum, a Nobis eisdem concessum, confirmatoriumque, in omnibus eorum conditionibus, clausulis et articulis conservent, conservarique ab aliis, quorum interest, curent. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, et Sigillo Regni nostri eisdem appendi jussimus. Datum Varsaviae, in Conventu Regni nostri generali, die sedecima Mensis Januarii. Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno secundo. Praesentibus Rdis in Christo Patribus Stanislao Krankowski Cujaviensi et Pomeraniae, Petro Dunin Wolski Plocensi, Regni nostri Cancellario, Alberto Starozrzebski, Premisliensi Episcopis. a) Nec non Magnificis, Generosis, Venerabilibus: Eustachio Wolowicz, Castelleno Plocensi, et M. Ducis Lithvaniae Vice-Cancellario et Brzesten. Kobrzynenque Capitaneo, Hieronymo Sieniowski Russiae, ac Halicen. Kolonienque, Nicolas de Mielicz Podoliae, et Novae Civitatis Korczyn. Grodecenque. Anselme Gostomski Ravenensi Palatinis et Capitaneis. Alexando Laszez Czernen. et

a) Nondum videntur fuisse concilliati illi Eppi ac Poloniae Proceres, qui a partibus Maximiliani Caesaris stabant: Ideoque illorum hic nulla facta est mentio.

Chelmen. Joanne Chlebowicz Minscen. Nicolas Jirki de Dambrowicza Biecen. et Casimirien. Joanne Chustaposki Wielunen. Joanne Fredro de Pleszowice Samocen. Stanislao Gostomski Sochaczewien. ac Ravensi Castellanis et Capitaneis. Andrea Opalinski de Bnin. Regni nostri Supremo Marchalco ac Srzemen. Rochatinensi Capitaneo, Joanne Zamoyski de Zamosice, Regni nostri Vice-Cancellario, ac Belzen. Knysnyen. Zamechenque Capitaneo, Hieronymo Buzeniski de Buzenin, Regni nostri Thesaurario, ac Brzcznicen, Krzeczowien. Dobczycen. Capitaneo, Hieronymo Rozrzazewski Comite de Rozrzazewo, Praeposito Plocensi, et majore Secretario Regni nostri, Joanne Bornkowski Praeposito Lancicien. Decano Varsaviensi, Laurentio Gosliczki Cracovien. Plocen. Sandomirien. Canonico, Andrea Patritio Nideczki Archi Diacono Varsaviensi, Secretariis nostris, ac aliis quam plurimis Regni nostri Consiliariis, Secretariis, Capitaneis et Aulicis Curiae nostrae, Testibus ad praemissa fide dignis. Datum per manus ejusdem Magnifici Joannis Zamoyski de Zamoscie, Regni nostri Vice-Cancellarii, ac Belzen. Knysznynen. Zamechenque Capitanei, sincere Nobis dilecti.

Stephanus Rex mp. Martinus Moszczczki Notarius mp.

CCLXXIV.

Idem Rex, immunitatem Podolinensium a teloniis confirmat. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Famatis Proconsuli et Consulibus Civitatis nostrae Sandecensis, fidelibus Nobis dilectis, gratiam nostram Regiam. Famati, fideles Nobis dilecti! confirmavimus et approbavimus in hoc praesenti Conventu Regni nostri generali Varsaviensi, omnia jura, privilegia, libertates, et praerogativas, ipsis a Serenissimis et Illustrissimis olim felicis recordationis Regibus et Ducibus Poloniae ac Ungariae concessas. Et quoniam coram Nobis querebantur, Fidelitates vestras ab eis telonia aquatica et terrestria, hisce temporibus proxime praeteritis, exigere, liberamque cum rebus et mercantiis per aquam navigationem eis impedire cepisse: idcirco fidelitatibus vestris mandamus, ut eos vigore literarum nostrarum confirmatoriarum, in libertate Teloniorum et libera navi-

gatione conservent, nec eos amplius in praemissis impediant, pro gratia nostra debitoque suo, aliter non fecerint. Datum Warsaviae in Conventu Regni generali, die decima septima Mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Regni nostri anno secundo. Ex proprio Sacratissimae Regiae Majestatis mandato. (L. S. Regni.)

CCLXXV.

Idem Rex, universas XIII. Oppidanorum immunitates confirmat. Anno Dni 1578.

Ex autographo apud eosdem habito.

IN nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Stephanus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae etc Princeps Transsilvaniae. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis, tam praesentibus quam futuris: Quia, tametsi omnia jura, libertates et privilegia Regni nostri omnium Incolarum Spiritualium et Secularium, a Praedecessoribus nostris concessa, Nos jam ante confirmaverimus: sed quoniam venientes in conspectum nostrum famati et providi Albertus Nicasius Comes, et Stephanus Dirner, Petrus Voldner, Georgius Hassek, et Balter Racz, Internuncii Tredecem Oppidorum nostrorum Scepusiensium, supplicarunt Nobis, ut Oppidis nostris memoratis omnia eorum jura, libertates, privilegiaque eorum, per Serenissimos Reges Hungariae et Poloniae, Antecessores nostros, ipsis ac Oppidis memoratis nostris Scepusiensibus concessa, specialibus literis nostris, authoritate nostra Regia approbare, ratificare, et confirmare dignaremur. Ideo supplicationi huic, uti justae, benigne annuentes, omnia jura, privilegia, literas, Decreta, libertates, etiam super libertate mercantium et teloniorum nostrorum, ubilibet per Regnum nostrum, tum etiam de annua Censuum solutione, vigore Conventus generalis Warsaviensis, divi Sigismundi Augusti Regis, Antecessoris nostri, Nobis, Thesaurarioque nostro per eadem Oppida Scepusiensia praestantium, nec non de eligendis ad Ecclesias idoneis Sacerdotibus et eisdem conferendis Decimis, ex concessione privilegiorum Regum Hungariae, simulque de libera electione Comitis et Judicum, facultateque judicandarum causarum omnium, salva ad Nos appellatione permanente; ac insuper

de perceptione proventuum in usus publicos Oppidorum, Reique-Publicae *eorundem et propinationes vinorum in liberis tabernis, et emolumentis* Molendinorum provenientium, usuque silvarum libero, exemptioneque ab aliis quibuscunque oneribus et laboribus, exactionibus insolitis, aliasque immunitates et praerogativas, per olim Serenissimos tam Hungariae, quam Poloniae Reges Antecessores nostros, ipsis Oppidanis Scepusiensibus praefatis; publice et privatim quibusdam illorum, per memoratos tam Hungariae, quam Poloniae Reges, Antecessores nostros, juste et legitime concessas, quas quidem hic pro expressis et specificatis, tamquam de verbo ad verbum praesentibus insertae fuissent, habere volumus, in quorum usu et possessione ad hunc usque diem fuerunt, nullis penitus exceptis, tam in genere, quam in specie, ita quod generalitas specialitati, et specialitas generalitati non deroget, ac in omnibus earum punctis, articulis et conditionibus, clausulisque approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, prout de certa scientia nostra assensuque Consiliariorum nostrorum approbamus, ratificamus et confirmamus per praesentes, easdem omnia et singula jura, privilegia, libertates, decreta, literas et immunitates praefatorum Oppidorum nostrorum Scepusiensium, ceu huic Regno nostro unitorum et adjunctorum, robur debitae firmitatis obtinere debere, tanquam a Nobis ipsis fuissent elargitae, decernimus, omniaque et singula in eis contenta observaturos, ac ad ea observanda alios adacturos, neque violare illa a quopiam aliqua in parte permissuros Nos esse, pollicemur. In cujus rei fidem et evidentius testimonium manu nostra subscripsimus, et sigillo nostro muniri jussimus. Datum Varsaviae in Conventu Regni generali die vigesima prima Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno secundo. Praesentibus Rndmis et Rndis in Christo Patribus, nec non Magnificis et Venerabilibus, Petro Myskowski Cracoviensi, Stanislao Krankowski Cujaviensi et Pomeraniae, Petro Duninwolski Plocensi. Regni Cancellario, Alberto Sobienski de Starczeli Premislien. Victorino Wierzbicz Luccovien. Alexandro Gyerdroicz, Adamo Pilchowski Chelmensi Dei gratia Episcopis. Petro a Zborow Palatino et Capitaneo generali Cracovien. Camionecensi, Eustachio Wolowicz Castellano Plocensi, Vice-Cancellario, M. D. Lithvaniae Brestensi, Hieronymo Sieniawski Russiae et Haliciensi, Nicolao de Mielecz Podoliae, et Novae Civitatis Korczyn. Grodecenque, Joanne Tarto de Szczekartewicze Lubliensi, Pilsnensique, Joanne Siecrakowski Lanciciensi, Predecensique, Andrea Comite a Tenczin Belcen. Oswiecien. Rubieszowiensique, Anselmo Gostomski de Lesznika Ravensi,

Palatinis. Stanislao Szafranice de Pieskowa Skala Sandamiriensi et Capitaneo Lelowiensi, Paulo Szczawinski Lanciciensi Capitaneo, Svchaczewiensique, Georgio Zielinski Plocensi, Capitaneo Lakrocimiensi, Alexandro Laszesz Czermensi et Capitaneo Chelmensi, Nicolao Firley Biecensi, Capitaneo Casimiriensi, Stanislao Sierakowski, Landensi, Capitaneo Praedecensi, Stephano Grodziewski, Naklensi, Andrea Opalinski de Bnin, Supremo Regni Marchalko, Rochatinen, Sremensique nostro Capitaneo, Hieronymo Burenski, Thesaurario Regni generali, Brzczniensi, Dobczycensique Capitaneo, Joanne Zamyski, Regni Vice-Cancellario, Belzensi, Knyszynensique Capitaneo, Laurontio Woyna Thesaurario, M. D. Lithvaniae, Pincernarum, Capitaneo. Hieronymo Rozdrazewski, majore nostro Secretario Plocensi, Wratislawiensique Praeposito, Cantore Gnesnensi, Canonico Cracoviensi, Laurentio Gosliczki, Cantore Plocensi, Decano Kielkoviensi, Cracoviensi, Wladislaviensi, Sandomiriensi Canonico, Joanne Borkowski Praeposito Lanciciensi Decano, Varsavien. Canonico Cracoviensi, Secretariis nostris. Datum per manus Reverendi Petri Dudin Wolski Cancellarii, sincere dilecti mp.

Stephanus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCLXXVI.

Idem Rex mandat suis Officialibus, ut Podolinenses in suis juribus servent, et non conturbent. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Universis et singulis Territorii nostri Scepusiensis Praefectis et Administratoribus, praesertim vero Oppidi Podolenice Rectoribus, ac aliis cujuscunque dignitatis, status et conditionis, ubicunque locorum in Regno nostro et Dominiis nostris existentibus, praesentibus et futuris. Notum facimus tenore praesentium; exhibitas et authentice coram Nobis esse reproductas, nomine Oppidanorum Podoliniecz et aliorum subditorum nostrorum, in eodem Territorio Scepusiensi consistentium, literas authenticas, piae olim recordationis Hungariae, et Poloniae Regum, Praedecessorum nostrorum, a Nobis confirmatas, certas immunitates et praerogativas, eisdem liberaliter concessas, in se complectentes: supplicatumque est Nobis humiliter pro parte illorum,

ut eosdem Cives et universos subditos nostros, juxta praescriptam earundem literarum, conservare, et manutenere, simulque Capitaneis et Tenutariis atque omnibus praefectis nostris, ejusdem Territorii Scepusiensis, injungere et demandare dignaremur; ne ipsi Officiales nostri jura, privilegia, concessiones et praerogativas eorundem subditorum violare, et infringere quovis modo audeant, sed potius, ex debito Officii sui, ab aliis omnibus, a quibuscunque contra libertates, praerogativas suas aliqua injuria affecti fuerint, vindicent, tueantur, ac defendant. Cui quidem supplicationi illorum, uti justae, Nos benigne annuentes, fidelitatibus vestris in universum omnibus Officialibus et Praefectis nostris, Territorii Scepusiensis, quorum hic nomina et cognomina pro expressis habere volumus, tam his, qui nunc sunt, quam etiam his, qui postea futuri sunt, mandamus, omnino habere volentes, ut eosdem subditos nostros in juribus, praerogativis et concessionibus nostris, et Praedecessorum nostrorum conservent, et manuteneant. Nec aliquibus angariis et novis depactationibus, laboribusque et aliis injuriis, praeter jus aequum, eosdem subditos nostros premant et afficiant: sed in universum juxta veterem consuetudinem, et privilegia illorum, in quorum usu et possessione extiterunt, ipsos firmiter conservent, conservarique et manuteneri ab aliis curent. Secus pro gratia nostra et debito suo non facturae. Datum Varsaviae in Conventu Regni nostri generali, die vigesima sexta Mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno secundo.

Stephanus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCLXXVII.

Idem Rex mandat, ut Nobiles in Podolin onera Civilia subeant. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Generoso Joanni Maciejowski, Succamerario Sandomiriensi et Scepusiensi nostro Capitaneo, vel cuicunque alteri, locum ejus tenenti, fideli, Nobis dilecte! Ex supplicatione per famatos Consules Civitatis nostrae Podoleniec Scepusiensis, Nobis porrecta, cognovimus, Nobiles Ferentium Filipessi, Foltinum Swabowski, et

Hansium Bendiczka, ratione domorum, aliorumque bonorum, quae in eadem Civitate nostra possident, nulla onera, tributa et exactiones sustinere velle, non sine damno et injuria eorundem Consulum, et reliquorum Civium Podolinecensium. Proinde mandamus fidelitati tuae, ut eos ipsos Nobiles, ratione bonorum et domorum ipsorum, sub jurisdictione Civitatis praefatae existentium, vigore jurium et statutorum Regni nostri, ad sustinenda onera, tributa, et exactiones Civiles ex Officio fidelitas tua adigat,[a] pro gratia nostra. Datum Varsaviae in Conventu Regni nostri generali die decima octava Mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Regni vero nostri anno secundo.[b]

Stephanus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCLXXVIII.

Idem Rex confirmat literas, super possessione Kromlow sonantes. Anno Dni 1578.

Ex autographo apud Podolinenses habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Exhibitas coram Nobis per certos Consiliarios nostros, nomine fanatorum Richtarii, et Consulum Civitatis nostrae Podoliniec Scepusiensium, literas infrascriptas, alteras pargameneas sub appenso sigillo, alteras vero papyreas, ob vetustatem pridem ex parte attritas, super possessione Komlow nuncupatam, servientes, sanas tamen, salvas et integras, nullamque suspicionis notam in se habentes; supplicatumque Nobis, ut eas, ob ipsorum vetustatem, innovare atque confirmare, approbare. et certificare dignaremur. Primarum autem literarum pergamenarum tenor sequitur ejusmodi:

---

a) Itaque Nobiles Hungariae in 13 Oppidis a domibus et bonis suis, puta, agris etc. censum solvere debebant.

b) Produxit Carol. Wagner I. pag. 237. sed aliquantum mance. *) Quamvis auctor Schmauk in allegatione huius documenti sub nota b) provocationem ad eiusdem tenoris mance prolatum apud Wagner l. c. documentum fecerit, animadvertendum tamen, documentum apud Wagner non Podolinenses prout apud Schmauk refertur, ast Lublovienses „nobiles“ ab oneribus perferendis semet retrahentes, attingere. Putemus igitur Schmaukianum documentum utpote diserte Podolinenses attingens a Wagneriano distinctum esse, et sub CCLXXVII ad a. 1578. revere occurere.

Nos Nicolaus Custos et Vicarius Ecclesiae beati Martini etc V. Dipl. XCVII. Anni 1407. pag. 149.

Nos Capitulum Eccl. Scepus etc. V. Dipl. CCXLVII. A. 1560. p. 403.

Nos itaque Stephanus Rex praenominatus supplicationi ejusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas utrasque, ob earum vetustatem innovandas, easque (si et in quantum earum ipsi Consules Podolinenses in usu fuerunt, hactenusque sunt, Legibusque Regni nostri non deroget) approbandas, ratificandas, et confirmandas duximus, uti quidem innovamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus praesentibus literis nostris, decernentes eas, robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere debere. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, Sigillumque Regni nostri eisdem appendi mandavimus. Datum Varsaviae in Conventu generali Regni nostri die vigesima octava Mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno secundo.

CCLXXIX.

Idem Rex mandat suis Officialibus, ut Lublovienses in libertatibus eorum conservent. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae etc. Princeps Transsilvaniae; notum facimus tenore praesentium universis et singulis Teritorii nostri Scepusiensis Capitaneis, Praefectis et Administratoribus, praesertim vero Oppidi Lubowla Rectoribus praesentibus et futuris: exhibitas, et authentice coram Nobis esse reproductas, nomine Oppidanorum Lubowla et aliorum subditorum nostrorum, in eodem Territorio Scepusiensi consistentium, literas authenticas piae olim recordationis Hungariae et Poloniae Regum, Praedecessorum nostrorum a Nobis confirmatas, certas immunitates et praerogativas eisdem liberaliter concessas, in se complectentes: supplicatum est Nobis humiliter pro parte illorum, ut eosdem Cives et universos subditos nostros juxta praescriptum literarum earundem conservare, et manutenere, simulque Capitaneis et Tenutariis, atque omnibus Praefectis nostris ejusdem Teritorii Scepusiensis injungere, et demandare dignaremur: ne ipse Officiales nostri jura, privilegia, conces-

*

siones, et praerogativas eorundem subditorum nostrorum violare, et infringere quovis modo audeant, sed potius ex debito officii sui ab aliis omnibus a quibuscunque contra libertates et praerogativas suas aliqua injuria affecti fuerint, vindicent, tueantur, et defendant. Cui quidem supplicationi illorum, uti justae, Nos benigne annuentes, fidelitatibus vestris in universorum omnibus officialibus et Praefectis nostris, Territorii Scepusiensis, quorum hic nomina et cognomina pro expressis habere volumus, tam his, qui nunc sunt, quam etiam his, qui postea futuri erunt, mandamus, omnino habere volentes, ut eosdem subditos nostros in juribus, praerogativis, et concessionibus nostris, et Praedecessorum nostrorum conservent, et manuteneant; Decimas manipulares, quas ipsi, juxta contractum Capituli Scepusiensis, persolvunt, ab ipsis per vim non exigant, liberam denique navigationem et piscationem in fluvio Poprad, atque venationem in silvis et nemoribus nostris, pro usu domestico in illis ligna excidendi facultatem, juxta privilegia ipsorum, illis sinant. A Ruthenis et aliis vicinis illorum, eisdem injurias et violentias inferentibus, eosdem tueantur, et defendant. Insuper in communi tantum Taberna, et non in privata singulorum Civium vina propinari, juxta privilegia et veterem usum, admittant. In villis autem et pagis, eidem Oppido nostro circumadjacentibus, mercantias exercere non sinant. Exactori denique Caesareae Majestatis illos ultra debitum et privilegia illorum depactari non permittant: Nec non in jurisdictionem illorum, se se ingerant, aut judicia illorum ordinaria praepediant. Nec aliquibus angariis et novis depactationibus, laboribusque et aliis injuriis, praeter jus et aequum, eosdem subditos nostros premant et afficiant, sed in universum juxta veterem consuetudinem et privilegia illorum, in quorum usu et possessione extiterunt, ipsos firmiter conservent, conservarique et manuteneri ab aliis curent; secus pro gratia nostra et debito suo non facturi. In cujus rei fidem Sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum Varsaviae, in Conventu Regni nostri generali, die sexta Mensis Februarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno secundo.

CCLXXX.

Idem Rex Joanni Macieiowski Capitaneo Scepus. mandat, ut Nobiles in Lublo habitantes, ad satisfaciendum Civilibus oneribus adigat. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. Generoso Joanni Macieiowski Succamerario Sandomiriensi, ac Scepusiensi nostro Capitaneo, in absentia ejus Vice-Capitaneo Lubowliensi, vel cuicunque alteri locum ejus tenenti, fideli Nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Generose, Fidelis, Nobis dilecte! Ex supplicatione per famatos Consules Civitatis nostrae Lubowlia Scepusiensis, Nobis porrecta cognovimus, certos Nobiles, qui quamvis se inscripserunt ratione domorum, aliorumque bonorum, quae in eadem Civitate nostra possident, omnia onera, tributa et exactiones Civiles sustinere, tamen ipsos ea nolle praestare, non sine damno et injuria eorundem Consulum, ac reliquorum Civium Lubowliensium. Proinde mandamus Fidelitati tuae, ut eos ipsos Nobiles ratione bonorum et domorum ipsorum sub jurisdictione Civitatis praefatae existentium, vigore jurium et statutorum Regni nostri, ac juxta inscriptiones eorum, ad satisfacienda onera, tributa et exactiones civiles, ex officio Fidelitatis tuae, adigas pro gratia nostra. Datum Varsaviae in Conventu Regni nostri generali die duodecimo Mensis Februarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo. Regni nostri tertio.

Stephanus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCLXXXI.

Idem Rex ordinat, ut Lublovienses in usu et perceptione Decimarum a Praeposito Scepusiensi arendatarum, permaneant, neque eosdem propterea Capitaneus Joannes Macieiowski molestet. Anno Dni 1578.

Ex Protocolo Decanali Civitatis Vet. Lublo. Fol. 5. pag. 9-a.

STEPHANUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiaeque etc. Princeps Transilvaniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et

singulis: Quod cum non ita pridem antehac questi essent coram Nobis subditi nostri Oppidi antiquae Lublyo *(Ó-Lubló)* de Generoso Dno Joanne Macieiowski, Succamerario Sandomiriensi, et Capitaneo nostro Scepusiensi, ipso pro tunc in Aula nostra praesente, propterea, quod illis adimeret, et prohiberet liberum usum Arendae Decimarum in Territorio ipsorum provenientis, juxta contractum per eos cum Rndo Dno Episcopo Varadiensi moderno, et Praeposito Scepusiensi jam pridem factum. Ad quam quidem ipsorum querimoniam, dum praenominatus Generosus Joannes Macieiowski praesens ipse pro tunc allegaret, se ab eodem Dno Episcopo Varadiensi, uti praeposito Scepusiensi posteriorem contractum, ratione earundem decimarum habere, et ejusdem Contractus vigore Decimas ipsas se percipere. Ad quem quidem contractum producendum et comprobandum, petierat sibi dari, et concedi per Nos dilationem, et tempus competens praefigi. Ad cujus quidem justam et juridicam petitionem dederamus illi et concesseramus dilationem, exhibendi ejusmodi contractus, certo termino ad id praefixo. In cujus quidem termino datae et concessae ipsi ejusmodi dilationis, hucusque continuato et prorogato, cum hic ad praesens coram Nobis praedicti Oppidani Lublyovienses per legitimos plenipotentes, et mandatarios suos, famatos et honestos Stephanum Klisz, Thomam Herko, Paulum Szolcz, praenominatus quoque Generosus Joannes Macieiowski Capitaneus Scepusiensis, per Nobilem Paulum Brzeski familiarem et mandatarium suum coram Nobis comparentes, jura et munimenta sua desuper habita reproducerent, praesertim vero ipse Mandatarius Capitanei nostri Scepusiensis vigore sibi antehac concessae dilationis exhiberet coram Nobis literas Rndi Dni Bornemisza Episcopi Varadiensis, et Praepositi Scepusiensis, in Anno praesenti die 2-a Mensis Junii sic datas, quibus literis eidem Capitaneo nostro Scepusiensi, ea quidem conditione Decimarum ipsarum perceptionem concedit, in quantum in usu et perceptione praedictarum Decimarum juste et legitime extitit. Produceret quoque ternas literas quietationum de eisdem Decimis, a Provisoribus Praepositurae Scepusiensis eidem, Capitaneo nostro datarum. In contrarium vero praedicti Plenipotentes Oppidanorum Lublyoviensium allegarunt literas, nomine praedicti Capitanei Scepusiensis reproductas ab eodem Dno Episcopo Varadiensi per ipsum obtentas, ipsum sublevare non posse, quominus ipsi a perceptione et usu antiquo earum Decimarum per praefatum Capitaneum nostrum arceantur, partim propterea, quod illas ipsas literas jam post obtentam a Nobis dilationem sit assecutus, prout ex data illarum literarum apparebat, partim

etiam, quod hae ipse literae conditionales fuerint, et conditionaliter ipsi datae in quantum scilicet in usu et perceptione praedictarum Decimarum juste et legitime extiterit. Cum vero ipsi Oppidani Lublyovienses ab antiquis temporibus in usu, et perceptione earundem Decimarum juxta contractum suum cum Praepositis Scepusiensibus semper habitum fuerint, quod quidem et nunc literis contractus prioris cum praenominato Episcopo Varadiensi, et Praeposito moderno Scepusiensi constituti, tum etiam aliis literis Serenissimi olim Sigismundi Augusti Antecessoris nostri confirmatoriis ejusdem contractus ipsorum, et usus antiquus multo antiquioribus coram Nobis productis et exhibitis comprobabant, et deducebant, ac propterea petierunt a Nobis se in perceptione earundem Decimarum, juxta priorem suum contractum et usum antiquum coram Nobis probatum conservari. Nos itaque cum Consiliariis nostris, pro tunc circa Nos praesentibus, allegationibus et deductionibus partium praefatarum Nobis relatis, diligenter exauditis, et literis, quibus utraque pars in hoc negotio nitebatur, coram Nobis exhibiti, diligenter revisis, et perlectis, et examinatis, viso et considerato eo, quod ipsi Oppidani Lnblyovienses se in usu et perceptione earundem Decimarum ex antiquo fuisse legitime comprobaverunt, eosdem Oppidanos Lublyovienses in usu et perceptione illarum Decimarum antiquiori conservandos et relinquendos duximus, et ita quidem conservamus, et relinquimus, praesentibus decernentes, non debere amplius praenominatum Capitaneum nostrum et futurum Oppidanos Lublyovienses in usu et perceptione illarum decimarum antiquiori conservandos et relinquendos duximus, et ita quidem conservamus, et relinquimus, praesentibus decernentes, non debere amplius praenominatum Capitaneum nostrum et futurum Oppidanos Lublyovienses in usu et perceptione earundem Decimarum molestare et impedire, nec se in illius exemptionem ingerere, verum eos juxta antiquiorem contractum ipsorum conservare teneri, hac nostra sententia mediante. In cujus rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Leopoli die ultima Mensis Augusti. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno tertio.[a] Joannes Bornkowski R. Polon. Vice-Cancellarius m. p. Stanislaus Osowski Referendarius. m. p.

---

a) Ordinationem istam Sigismundus III. Poloniae Rex Varsaviae die 20-a Martii 1590. confirmavit.

CCLXXXII.

Idem Rex Scultetiam, a Gneszdensibus emptam, confirmat. Anno Dni 1578.

Ex autographo apud eosdem habito.

STEPHANUS Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus nostris hisce literis universis et singulis, quorum interest; exhibitas et reproductas esse coram Nobis, nomine Civium Oppidi nostri in Scepusio Gniazda, sive Knizen nuncupati, literas Serenissimi Regis Sigismundi Augusti, Antecessoris nostri, manu Rndi Francisci Krasinski, Vice-Cancellarii Regni subscriptas, et sigillo minori Regni pensili communitas, continentes in se confirmationem certarum literarum Petri et Miszon militum filiorum olim Miroslai Hungarorum, in quibus item continetur emptio imprimis scultetiae in eadem Knizen, tunc quidem villa, nunc vero Oppido, per Johannem filium Rozeri de Kismark, a Nicolao Sculteto, ac Scultetiae ejusdem attinentiae, ac praeterea fines ac limites ejusdem Villae, nunc vero Oppidi, specifice descripti. Quas quidem literas, ac contenta earum omnia, ut Regia authoritate nostra approbaremus, et confirmaremus, diligenter Nobis Cives praedicti per quosdam ex Consiliariis nostris supplicarunt. Earum vero literarum tenor ad verbum est talis:

Sigismundus Augustus Rex Poloniae — CCLXIII. V. Dipl. 1569. p. 427.

Nos igitur supplicationi superius nominatae Civium praedictorum annuentes, literas easdem hic insertas, in omnium earum articulis, clausulis, atque terminis, et toto tenore approbandas, ratificandas et confirmandas, literis hisce nostris decernentes, easdem et contenta ipsarum, quoad juris publici ratio permittit, et quatenus usu sunt comprobatae, vim ac robur perpetuum obtinere debere. In quorum omnium fidem et evidentius testimonium hasce manu nostra subscripsimus, et sigillo obsignari jussimus. Datum Cracoviae die tertia Mensis Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno tertio.

Stephanus Rex m. p. (L. S. Regni.) Petrus Thiliczki mp.

CCLXXXIII.

Idem Rex novum Molendinum Gneszdensium confirmat. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus nostris hisce literis universis et singulis, quorum interest. exhibitas et productas esse coram Nobis, nomine Civium Oppidi nostri Gniazda in Scepusio, literas Generosi Dni Joannis Macieiovski, Succamerarii Sandomiriensis, Capitanei nostri Scepusiensis, sigillo ipsius obsignatas, et manu propria subscriptas; continentes in se commissionem aedificandi novi Molendini in fluvio Poprad, ob penuriam tempore hyemali aquarum, eisdem Civibus factam, cum ea conditione, ut nullum ex eodem Molendino censum ad Arcem Líblo dare teneantur, tantummodo eum, quem ex veteri molendino dare consueverunt, quemadmodum in literis iisdem latius et uberius ea omnia habentur descripta. Quas quidem literas, ipsamque adeo concessionem, ut assensu, et authoritate nostra comprobaremus, et confirmaremus, ac in perpetuum ratam esse juberemus, diligenter Nobis Cives Oppidi praedicti Gniaszda per quosdam ex Consiliariis nostris supplicarunt. Ac eorum quidem literarum tenor est talis:

Joannes Maciejowski etc. V. Literas 1577. pag. 448.

Nos igitur Rex Stephanus annuentes supplicationi superius nominatorum Oppidi Gniaszda Civium, literas easdem, hic insertas, ac contenta earum, hoc est, concessionem Molendini novi aedificandi, per Capitaneum nostrum, ex rationibus in eisdem expressis, factam, aliaque omnia et singula in literis expressa, adprobanda, et confirmanda esse duximus, approbamusque et confirmamus, ac in eandem concessionem praedictam, ac quaecunque in literis iisdem sunt descripta, quatenus juris publici ratio permittit, vim et robur temporibus perpetuis obtinere debere. In cujus rei fidem et evidentius testimonium hasce manu nostra subsripsimus, et sigillo nostro obsignari jussimus. Datum Cracoviae die tertia Mensis Novembris, anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno tertio.

Stephanus Rex, mp. Petrus Thiliczki mp. (L. S. Regni.)

CCLXXXIV.

Idem Rex, mandat suis Officialibus ne a Podolinensibus per et intra Regnum suum telonia exigant. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae, etc. universis et singulis tam Ordinis Ecclesiastici, quam secularibus hominibus, nec non Palatinis, Capitaneis, Dignitariis, Officialibus, Proconsulibus, atque Consulibus, Civitatumque Magistratibus, atque Teloniatorum tam terrestrium, quam aquaticorum, agraliumque, pontalium, et quorumvis in genere vectigalium Praefectis et exactoribus, eorumque Vicem-gerentibus, ceterisque omnibus, cujusvis status, conditionis, atque sexus hominibus, quibus hae nostrae literae visae fuerint, sincere et fidelibus Nobis dilectis. Habent Cives Oppidi nostri Podoliniec in Scepusio per Serenissimum Regem Casimirum Tertium libertatem, ad beneplacitum concessam, a solutione Teloniorum ac Vectigalium omnium per et infra Regnum, quam Serenissimus etiam Rex, Sigismundus Primus, speciali suo privilegio confirmavit, et eis, pro singulari in eos nostra gratia, libertatem eandem conservatam esse volumus. Quapropter sinceris et fidelitatibus vestris mandamus, ne ullum omnino Sinceritates et Fidelitates vestrae telonium tam terrestre, quam aquaticum, vel pontale, ac agrale, sive aliud quodpiam vectigal (finitimo tamen excepto) a Civibus iisdem, eorumque omnis generis mercibus exigant, vel molestiam illis aliquam hoc nomine exhibeant; quin imo immunitate eadem libere ubique uti permittant. Pro gratia nostra secus non facturae. Datum Cracoviae die tertia Mensis Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri tertio. Stephanus Rex m. p.

CCLXXXV.

Idem Rex Poloniae suis Officialibus mandat, ut Podolinenses in habitis antea juribus conservent. Anno Dni 1578.

Ex autographo ibidem habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. universis et singulis Territorii nostri Scepusiensis Praefectis et Administratoribus, praesertim vero Oppidi Podoliniec Rectoribus praesentibus et futuris notum facimus. Quod quemadmodum antea omnia Oppidi nostri Podolenice, in Scepusio jura, praerogativasque ac immunitates et libertates, ipsis a Serenissimis olim Hungariae et Poloniae Regibus, Antecessoribus nostris concessas, speciali nostro Privilegio ac Diplomate[a] confirmavimus; ita nunc etiam prospectum esse cupientes Civibus praenotatis, ut in eisdem praerogativis, ac juribus et libertatibus suis ab omnibus conserventur; Fidelitatibus vestris, in universum omnibus Officialibus et Praefectis Territorii nostri Scepusiensis tam praesentibus, quam qui postea futuri sunt, mandamus, ac serio injungimus, idque mandato simili Serenissimi Regis Sigismundi Augusti, ut eosdem subditos nostros, Cives Oppidi Podoliniec in eorum juribus, praerogativis et concessionibus, ipsis legitime a Praedecessoribus nostris ac Nobis ipsis concessis, conservent, et manuteneant. Nominatim vero, ne decimas manipulares, quas ipsi Capitulo Scepusiensi, juxta contractum exolvunt, ab illis per vim exigant. In reliquis etiam rebus omnibus gerant se se Fidelitates Vestrae erga illos ita, quemadmodum eorum jura postulant, et quemadmodum prioribus Antecessorum nostrorum mandatis est praescriptum. Secus pro debito Officiorum suorum et gratia nostra Fidelitates Vestrae ne fecerint. Datum Cracoviae die tertia Mensis Novembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regni vero nostri anno tertio.

Stephanus Rex mp. (L. S. Regni.)

---

a) V. Dipl. anni 1562. datum Pietrokoviae.

CCLXXXVI.

Querulatio Belensium contra Officiales Arcis Dunajecz ob sibi illatas injurias. Anno Dni 1578.

Ex autographo Belae habito.

PROPOSITIONES et Querelae Belensium contra Arcem Dunajecz contra Joannem Calvaschi, in Arce Dunajecz Capitaneum, et Officialem Generosae et Magnificae Dnae relictae quondam Magnifici Dni Gaspari Scheredy, nomine vero Magnifici Dni Balaszy *(sic)*, Andreae Consortis. Querulas has Nos Cives de Bela proponimus: quod ab anno 1559, usque ad annum 1564. annuatim campos nostros Komperschach, Schyroka, Tokornya, inductione pastorum et pecorum suorum, atque violenta oppressione occupare et invadere fecit, per arestationem equorum et violentam detentionem ovium nostrarum; non cedendo illis, metas nostras defendimus, neque nos ex usu et proprietate earum excuti passi sumus. In anno 1564. dictus Joannes Calvasch*y* coram Sede judiciaria Scepusiensi cum Vice-Capitano nostro concordaverat, quod ab utraque parte exire deberent ad revidendos tres illos campos Kompersch*echt*, Sch*i*roka et Tokornya vocatos. Itaque circa Ferias Sanctae Margarethae ad faciem illorum locorum profecti sunt Generosi atque Egregii Dni Georgius Schutta, tum temporis Vice-Comes et Egregius Dnus Valentinus Schvabowsky et Valentinus Brezeviczky Judices Comitatus Scepusiensis, et alii multi Nobiles. Item Generosi Dni Georgius Stralkovski, et Bartholomaeus Grimowski, Officiales Arcis Lubloviensis, aliique Nobiles et discreti viri. Sed Joannes Calvaschy ad constitutum terminum et locum, immemor sui promissi, non comparuit. Hoc dicti Officiales Lublovienses in facie illius loci coram Vice-Comite et praetactis Judicibus Sedis Judiciariae protestati sunt, citando ipsum Joannem Calvaschy ad sedem proxime venturam, ad quam idem personaliter non venit, sed loco sui misit Cancellarium Arcis Dunajecz, Martinum Horvath. Qui de novo compositionem cum nostra parte, in praesentia Vice-Comitis et Judicum Sedis judiciariae fecit, prout literae Comitatus Scepusiensis testantur. Post haec tempora Egregius Dnus Sigismundus Paczolti Praefectus Arcis Dunajecz factus est, qui anno 1568 nostros homines in campo nostro, Komperschecht appellato, violenta manu oppressit, et hostiliter invasit per clientes et subditos Arcis Dunajecz. Insuper ex nostratibus octo personas in Arcem Dunajecz abduci fecit, et in dura

captivitate per integras octo septimanas detinuit cum onere consueto. Et in anno 1569 dictus Sigismundus Paczolti duodecim equos e metis et montibus nostris violenter ad Arcem Dunajecz impelli fecit, eosque per viginti septimanas et tres dies in Arce retinuit cum onere consueto. In Anno 1578. quidam Franciscus in Arce Dunajecz Officialis Magnifici Domini Andreae Balasy quatuor equos nostros ex campo nostro Tokornya impelli fecit, ibidemque detinuit ultra unam septimanam, cum onere consueto non curata authoritate Vice-Comitis.

CCLXXXVII.

Albertus Laski certum Emericum et Joannem Drawetzky Viennam venire exoptat. Anno Dni 1579.

Ex autographo Késmarkini habito.

CHARE Emerice salutem ac cuncta felicia tibi a Deo ter Optimo Maximo precor. — Acceptis literis tuis per Dnum Przybislawski illico per postam Viennam tibi rescripsi, simul et Joanni Draweczki, ita quod uterque vestrum me Viennae exspectassent, ne mihi iterum Viennae morandum esset, vos expectando, cum propter negotia mea indigeo praesentia utriusque vestrum; majores enim ego sumptus facerem, vos exspectando, quam vos faceretis ibi morando. Itaque si primae literae meae antea per postam missae, vos jam Viennae non reperierunt, propter reditum vestrum domum, ut mihi scripsistis, denuo vobis labor et sumptus est suspiciendus; sed tamen non in vestrum, sed meum damnum hoc redundabit. Ego enim et praeteritos sumptus et modernos cedere atque solvere vobis promitto, quemadmodum etiam ad Joannem Draveczkium hac de re scripsi, ac Dno Przybislawski oretenus latius, nomine meo cum illo agere commisi. Nam si nunc in quacunque ratione vel modo negotium meum cum Rubero non transigetis, vix aliquando ad finem reduci posset. Nam ego, etsi nescio, quid mihi esset agendum, bona mea recuperare volo, nec deerit mihi modus, ea redimendi. Non displicet mihi tamen consilium tuum ac rationes in literis tuis scriptae. Itaque postpositis omnibus iterum cum Draweczkio Viennam ad me venire non negligatis, cum ego jam ex gratia Dei melius valeo, sed non expectans, ut ad integrum convalescerem, me committam itineri,

et quanto citius potero, recta Viennam contendam per Carinthiam: aliquot tamen dies apud Serenissimum Archiducem Carolum Graecii quiescere constituti, et hoc non sine causa. Volo itaque, quod si me casu Viennam praeveneritis, in veteri meo hospitio morari, me cum hospita constituatis, nosque ipsi me in eadem domo exspectabitis. Si autem ego vos praeveniam, ibi me reperietis, nollem enim diu ibidem morari, sed quanto citius, rebus meis confectis, in Scepusium me conferre, illinc deinde, quorsum Deus voluerit. Haec propterea scribo, ut tibi animum meum in singulis aperiam. Volo enim, ut uxor mea gravida, auxilio Dei, in Késmark pariat, ubi et ego natus sum. Haec propterea tibi significari volui, ut scriptis literis in hac membrana mea, quam tibi per Dnum Przybislaum mitto, ad Dnum Thurzonem , agas cum illo nomine meo, qua ratione aut cum quibus conditionibus contentus esse velit, a Sacratissima Majestate, super et in loco istius summae, qua Rubero mutuabit, et ut mihi Civitatem meam cedat,; ita enim citius possem in manibus meis habere et possidere Civitatem et Arcem meam, deinde cetera facilius acquirere. Communicato itaque consilio cum Draveczkio agite, quanto melius potestis, ut ego hac de re ac de aliis possem esse bene informatus a Vobis in reditu vestro, et non tardare Viennam accurrere. Nam ego vos exspectando in magnos sumptus inciderem, et sine Te nec cum mercatoribus nec in Aula quidpiam agere volo. Nam nemo est inter meos, qui sit melius informatus de singulis meis negotiis, sicut Tu. Quodsi Deus dederit, quod ex hoc labyrintho extricabor, et Tu magis felicem te esse existimare poteris. Scias enim Regem meum mihi XIII. Oppida promisisse, Capitaneusque modernus contentabitur alia ratione, ac ultro consentire non denegat, ita quod brevi Divino auxilio plura, quam alii sperant, habebimus. Vellem etiam, quod et Marcus vobiscum veniret, nam eundo per Hungariam indigerem ipsius opera. Praeterea in negotio Dni Przybslawski volo, ut illi sit auxilio et consilio, quemadmodum in negotio meo proprio, uti latius ex eodem cognosces, in quo rem gratam Te mihi facturum scias. De negotiis vero ex parte exemptionis bonorum, ab illis quoque voluntatem meam intelliges. Scias tamen nihil magis me desiderare, quam ut citissime bona mea Késmark recipere queam, quod, Deo juvante, efficiam multis etiam nolentibus. Cum his Te Deo Optim. Max. commendo. Datum Patavii 14-a Januarii, Millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Tuus ex animo Laski mp.

CCLXXXVIII.

Stephanus Rex Poloniae ordinat Commissarios, ad componendas certas lites, quae inter Joannem Maciejowski Capitaneum Scepus et Oppida Podolin, Gneszda ac Lublo exortae sunt. Anno Dni 1579.

Ex transumpto V. Capituli Sandecensis, penes Lublovien. Ecclesiam existente.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae etc. nec non Princeps Transsilvaniae. Generosis et Nobilibus Stanislao Mezyk de Putniewicze, Capitaneo nostro Sandecensi et Dapifero Cracoviensi, Praeslao Pieniazek, Tenutario nostro Greboviensi, Sebastiano Lubomierski, et Joanni Zemboczki, fidelibus Nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Generosi et Nobiles, fideles Nobis dilecti. Expositum est Nobis nomine Generosi Joannis Macieiowski, Capitanei nostri Scepusiensis primum de eo: quod etsi tria Oppida nostra, ex tredecim nostris Scepusiensibus, ob incendium et conflagrationem ad aliquot annorum decursum a Nobis obtinuerant; tamen idem Generosus Joannes Macieiowski, Capitaneus noster Scepusiensis, licet nullos census percipiens ex eis Oppidis, integram quartam partem in thesaurum Reipublicae singulis auferebat, non sine magno gravamine, sumptu et dificultate sua. Deinde, quod Montes Carpati sive Krompaka, lignorum et pascuorum ibidem existentium Oppidani Lublovienses usum fructum sibi usurpent, ut asseritur, cum detrimento bonorum Capitaneatus illius nostri, et periculo etiam finitimae Provinciae, quod silvae montis illius excindantur. Item: quod controversia intercedat inter Capitaneum eundem, et Incolas Oppidi nostri Liublovienses, ratione Decimarum quarundam, quae dicuntur in usum comeatus Castri illius nostri antiquitus solitae fuisse converti, quarum ratione certum censum Venerabili Capitulo Varalliensi *(sic)* hic idem Capitaneus noster annuatim solvere dicitur. Postremo inter Oppida nostra Liubowla et Gniezda, et Villas duas Nova Lublo et Hopf*k*ard*t* de finibus fundorum controversias quasdam existere. Nos itaque volentes imprimis dicti Generosi Joannis Macieiowski, Capitanei nostri Scepusiensis indemnitati consulere, et differentias tandem istas praedictas sopire, ad supplicationem certorum consiliariorum nostrorum, rationem praedictarum rerum habendam, rebusque his ex usu providendum esse duximus. Quam ob rem Nos ad ea supra dicta negotia revidenda, Fidelitates vestras de quarum fide, industria, prudentia et dexteritate sumus persuasi, desig-

nandas et deputandas esse putavimus, prout designamus et deputamus praesentibus, mandantes: ut certo et competenti tempore ad loca, tam igne conflagrata, quam alia controversa descendant, vocatisque ad sui praesentiam tam loci Capitaneo, quam Incolis et subditis nostris, Capitaneatus illius, omnia negotia supra dicta debite et rite ibidem revideant. Et primo quidem ab hominibus sub jure jurando exquirant, et considerent, quantum de quarta parte proventuum, Reipublicae solvi debito, et solita, et jam praeteritis annis solutum de reditibus Oppidorum, damna passorum defalcandum sit. Quod autem attinet controversias ratione, usus fructus Montis Carpati lignorum et pascuorum, tum et Decimarum praedictarum, postremo finium inter fundos Villarum praefatorum, eos vel ita componant, ut utrique parti satisfieri possit, vel in iis id, quod illis secundum Deum, justitiam et aequitatem, quae sola prae oculis habenda, visum fuerit, statuant, et decernant. Quidquid autem in praemissis statuerint, atque decreverint, id ad Nos primo quoque tempore literis suis perscribant, pro gratia nostra et officio suo Revisoriali Fidelitates vestrae facturae, unius vel duorum absentia, in praemissis non obstante. Datum Varsaviae tricesimo die Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Regni vero nostri anno tertio. Ex commissione Sacrae Regiae Majestatis propria.

CCLXXXIX.

Actus Commissarialis in praelibato negotio differentiali. Anno Dni 1579.

Ex antedicto transumpto.

ACTUS Commissarialis per Generosos Stanislaum Mezyk de Putniowicze Dapiferorum Terrae Cracoviensis, Capitaneum Sandecensem, Preczlaum Pienazek, Tenutarium Griboviensem, Sebastianum Lubomierski, et Joannem Zemboczki, Commissarios Sacrae Majestatis Regiae, ad causam infrascriptam Oppidi Sacrae Majestatis Regiae Gniazda, partem actoream ex una, et famatos Proconsulem, Consules, Advocatum et Scabinos Oppidi Sacrae Majestatis Regiae Liubowla, ex altera partibus datos et deputatos, in loco campestri circa fluvium Poprad, ubi originem limites infrascripti, inter bona praelatorum Oppidorum Gniazda et Liubowla sumpserunt, Feria

sexta, post Dominicam Laetare proxima, anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesima nono, in hunc, qui sequitur modum, est celebratus: coram quibus Dnis Commissariis Procurator legitimus eorundem Oppidanorum Sacrae Majestatis Regiae Gniazda, reproductis literis Commissionis Sacrae Majestatis Regiae titulo suae Majestatis, ac Sigillo majori Cancellariae ejusdem Majestatis communitis, petiit easdem legi, prout lectae sunt. Quarum tenor de verbo ad verbum est talis:

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae etc. V. Dipl. praecedens.

Tandem oblatae sunt ad Officium Castrensis Capitaneatus Sandecensis, et ad acta praesentes literae mandati Sacrae Majestatis Regiae infrascriptae ad famatos, et laboriosos Proconsulem et Consules, et Communitatem Oppidorum Sacrae Majestatis Regiae Liubowla et Gnizna, ac Incolas Villarum ejusdem Sacrae Majestatis Regiae Nova-Lubowla et Obkardt *(sic)* spectantes, et pertinentes sub titulo, et sigillo majori Sacrae Majestatis Regiae communitae, omni nota vitii et suspicionis carentes: quarum literarum series sequitur, estque sequens.

CCXC.

Idem Rex mandat Lublovien. Gneszden. Neo-Lublovien. et Obkardensibus, ut destinatis a se Revisoribus pareant. Anno Dni 1579.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. et Transsilvaniae Princeps. Famatis et laboriosis Pro-Consulibus, Consulibus et Communitati Oppidorum nostrorum Lubowla et Gnizna, ac Incolis Villarum nostrarum Nova-Lubowla et Obkardt, fidelibus Nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Famati et laboriosi fideles, Nobis dilecti. Designavimus certos Revisores nostros ad revidendas eas controversias, quae ratione finium inter Vos existunt. Quamobrem Nos volentes utrique parti in Bonis supra memoratis terminos et fines suos constare: mandamus vobis, ut, cum ab ipsis Revisoribus nostris ad eum actum literis innotescentiae vocati fueritis, coram illis compareatis, et huic ipsi revisioni intersitis; et quidquid hi Revisores nostri in praemissis decreverint, irrecuse suscipiatis, et ratum habeatis, pro gratia nostra et debito vestro secus ne feceritis. Datum Varsaviae die vi-

gesima Januarii, anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Regni vero nostri anno tertio. Ad mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium. Actum in Curia Regali Sandecensi, Feria secunda post Dominicam Invocavit proxima, anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Martinus Liutkoslawski, Notarius Castrensis Sandecensis subscripsit.

CCXCI.

Innotescentia contra contumaces in praedicta causa est talis. Anno Dni 1579.

STANISLAUS Mezyk de Puthniowicze, Dapifer Terrae Cracoviensis, et Capitaneus Sandecensis etc. Preczlaus Pieniazek, Tenutarius Greboviensis, Sebastianus Liubomierski, et Joannes Zemboczki Revisores, per Sacram Majestatem Regiam ad negotium infra scriptum dati et deputati. Vobis famatis et laboriosis Proconsulibus, Consulibus et Communitati Oppidorum Sacrae Majestatis Regiae Lubowla et Gnizda, ac Incolis Villarum similiter Sacrae Majestatis Regiae Nova-Lubowla et Obkardt, innotescimus vobis: oblatas Nobis esse literas Sacrae Majestatis Regiae Revisionis titulo, et sigillo Sacrae Majestatis Regiae munitas, et obsignatas, ex parte Generosi Joannis Macieiowski, Capitanei Scepusiensis, quas literas Revisionis Nos cum ea, qua decet reverentia suscepimus. Quibus quidem literis revisionis sua Sacra Majestas Regia nomine praedicti Generosi Joannis Macieiowski, Capitanei Scepusiensis, inter vos, utpote Oppida Lubowla et Gniazda, et Villas duas Nova-Lubowla et Obkardt de finibus fundorum controversias quasdam existere. Quod quidem negotium, ut per Nos commodius perspici, revideri, et in statum commodiorem constitui possit, Nobis id negotii committere dignata est literis praefatis Revisionis sua Sacra Majestas Regia; ut certo et competenti tempore ad loca praedicta controversa descendamus, vocatisque ad sui praesentiam tam loci Capitanei, quam vestri, tanquam Incolarum et subditorum Sacrae Majestatis Regiae, Capitaneatus illius, omnia negotia supra dicta debite et rite ibidem revideamus, finiamusque inter fundos villarum praefatarum eas, vel ita componamus, ut utrique parti satisfieri possit, vel in iis, quod Nobis secundum Deum, justitiam ac aequitatem, quae sola prae oculis habenda est, visum fuerit, statuamus et decernamus; alias

prout de praemissis literae ejusmodi Sacrae Majestatis Regiae, Revisionis praedictae, latius in se canunt. Quare vigore Regio et nostra Revisionali authoritate, qua in hac parte fungimur, vobis tanquam Incolis Oppidorum Sacrae Majestatis Regiae Liubowla et Gniazda, ac Villarum similiter Sacrae Majestatis Regiae Nova-Lubowla et Obkardt mandamus, quatenus coram Nobis in Oppido Liubowla in eo loco, ubi jurisdictionem nostram Revisionalem fundabimus, Feria secunda, post nunc instantem Dominicam Laetare, proxima, ad instantiam praedictorum Oppidanorum Gniazda, personaliter, legitime et peremptorie compareatis ad videndum et audiendum. Nos negotia supra scripta inter vos, et praedictos Oppidanos Gniazdczany *(sic)*, revideri, componi, vel id, quod Nobis secundum justitiam et aequitatem visum fuerit, statui et decerni, prout ea omnia vobis, in termino adveniente, latius declarabuntur; certificantes nihilominus vos, quod sive in dicto termino comparueritis, sive non, Nos ad ea, quae Nobis et Officio nostro Revisoriali incumbunt, contra vos in contumaciam vestram procedemus. Datum in domo Principali Revisoria, Feria secunda post Dominicam Invocavit proxima, Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Stanislaus Mezyk de Puthniowicze, Capitaneus Sandecensis, m. p. Sebastianus Lubomierski m. p. Joannes Zemboczki m. p.

CCXCII.

Stephanus Rex Poloniae, Processum Decimalem Gneszden. et Podolinensium cum Joanne Macieiowski Capitaneum Scepus habitum, revidet, ac pro Oppidanis sententiat. Anno Dni 1579.

Ex autographo apud Gneszdenses habito.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Citatum fuisse ad Nos et Judicium nostrum duabus citationum nostrarum literis, Generosum Joannem Macieiowski, Capitaneum nostrum Scepusiensem, ex officio suo, bonisque omnibus, ad instantiam omnium et singulorum Civium Oppidorum nostrorum Gniazda et Podolenice, ad satisfaciendum pro iis omnibus, pro quibus ipsum in toto causae suae lucro, et secundis citationibus nostris lucri condemnatoriis, contra ipsum editis, coram Nobis ac Judicio

*

nostro condemnaverunt, juxta easdem commemoratas citationes nostras secundas, lucri condemnatorias, in quibus ipsum citaverunt in haec verba: Quod ipso ejusmodi Officii sui praetextu, absolutaque sua potestate, contra antiquissima ipsorum actorum jura et privilegia, usu non interrupto, firmata, contractusque certos, quos ipsi cum Capitulo Scepusiensi, ipsiusque Praeposito habent ratione Decimae manipularis, dicto Capitulo ejusdemque Praeposito ex Oppidis illis provenientis, quam ipsi manipularem penes se retinent, ac eandem vigore antiquissimorum, uti dictum est, contractuum, redimere parata pecunia soliti sunt, tam eandem Decimam manipularem, ipsorum laboris propriam, magis vi et violenter, quam aliquo jure legitimo ad se recepisset, et ab eis exegisset; ipse vero pecuniam pro ea Capitulo Scepusiensi et illius Praeposito solvit, cum ex antiqua consuetudine, ac multorum seculorum praescriptione, eam manipularem Decimam ipsi quoque ex suo agro recipere, ac eandem et Capitulo et Praeposito solvere pecunia prompta consuevissent suo nomine, licet saepius mandatorum, Serenissimorum Antecessorum nostrorum, literis requisitus fuisset ut ab ejusmodi proposito abstineret, ipse ea in parte eisdem mandatis nostris non satisfecisset, et ipsos subditos nostros, dum de ejusmodi injuria conquestum irent, prohibuisset, faciendo id in vilipendium mandatorum Regiorum, ipsorumque Actorum ingens praejudicium, quod sibi contra ipsum ad Mille florenos Polonicales taxaverunt, totidem exinde damni habentes: citando ipsum ad videndum, et audiendum, ea omnia sibi in advenienti termino latius objici, atque probari, et se ob levi pensa mandatorum, nec non violata actorum jura et privilegia peccasse decerni, ac ipsos circa antiquum usum et contractus vetustos in toto relinqui, seque in damnis, superius taxatis, et officiose probandis condemnari. Citando itidem ipsum ad satisfaciendum pro omnibus praemissis, pro quibus in lucro, uti dictum est, condemnatus erat, nec non ad videndum et audiendum, ea omnia sibi in advenienti termino latius objici atque probari, satisfactionemque pro praemissis juxta obtentum lucrum decerni, imo in toto satisfacere, ac in defectu satisfactionis, ad quodcunque Officium Castrense Capitaneale, sub cujus et quorum jurisdictione bona ipsius, tamquam jure victi, consistunt, remitti, et contra se finaliter, tamquam super jure victo, procedi, ut sit satisfacturus, uti ea omnia in ipsis duabus citationum nostrarum literis latius habentur descripta. In termino itaque hodierno, ex ipsis citationibus nostris, ad satisfaciendum emanatis, legitime provenienti, et hucusque ex assumptione ejus causae per Judices, Assessores nostros, ad relationes coram Judicio earundem relationum nostrarum propriarum conti-

nuato, partibus ipsis, Actorea videlicet per Concives internuncios, et plenipotentes suos legitimos, famatos Joannem Rychtarz, Martinum Gal, Casparum Lanium, Georgium Hansgelgeri; conventa vero parte per se coram eodem Judicio nostro judicialiter comparentibus; et Actorea quidem parte satisfactionem, juxta contenta citationis suae, urgente, conventa vero limitationem generalem praetendente, qua obstante Servitorem suum, in termino secundae citationis Vilnae, in contraversiam cum parte actorea se se ingerere noluisse, Decreto vero Vilnensi, eo nomine emanato, deducente. Tamen vero ex interlocutoria nostra sententia, partibus in negotio principali procedentibus, Actorea contenta suae citationis deducendo, contractibus et quietationibus multis antiquis, et recentioribus, tum ex juribus privilegiisque suis, specialibus Serenissimi olim Sigismundi Augusti Regis, ac etiam nostris approbatis, nec non literis Reverendi Georgii Bornemissa, Episcopi Varadiensis donationem Decimarum ipsarum, manipulariter decimandarum, ab eodem Episcopo sibi esse datam, nec fuisse in continua possessione, Actores pecuniariae Decimae, imo earum Decimarum, manipularium decimationem, in potestate ipsius Episcopi Varadiensis, et Praepositi Scepusiensis consistere, deducente, petenteque liberum se a causa praesenti pronunciari. Nos cum consiliariis nostris, lateri nostro assedentibus, audita partium controversia, productisque et allegationibus eorundem revisis, ac debito modo expensis, attento eo: quod ex productis partis Actoriae manifeste appareat, eandem Actoream partem pecuniariam Decimam, Praepositis Scepusiensibus antiquitus et hucusque pendisse, nec potuisse Episcopum Varadiensem, Praepositumque Scepusiensem Decimam manipularem, sed pecuniariam, quae et suis praedecessoribus antiquitus, et sibi hucusque pendebatur, Capitaneo Scepusiensi convento conferre. Proinde Oppidanos ipsos Gniazda et Podolenice circa antiquum usum, et contractus vetustos tribuendarum Decimarum pecunaria solutione, juxta quietationes, coram productas, quem usum hucusque retinuerunt, conservavimus. Atque deinceps non manipularem, sed pecuniariam, more antiquo, Praeposito Scepusiensi, vel ab eo jus habenti, pendendam esse decernimus, uti quidem conservamus, et decernimus praesenti Decreto nostro mediante. In cujus rei fidem et testimonium Sigillum nostrum praesentibus est suppapensum. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus, Sabbatho in Vigilia Sancti Nicolai Episcopi. Anno Dni Millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Regni vero nostri anno quarto. (L. S.) Joannes Borukovski Regni Poloniae Vice Cancellarius m. p. Relatio

Reverendi Joannis Borukowski de Bielino, Regni Poloniae Vice-Cancellarii, Praepositi Lanciciensis, Decani Varsaviensis.

CCXCIII.

Mandatum praescriptorium pro parte Sebastiani Tököly. Anno Dni 1580.

Ex autographo Késmarkini habito.

AMICIS suis Reverendis Capitulo Ecclesiae Scepus; Comes Nicolaus de Bathor, Judex Curiae Serenissimi Principis et Domini Dni Rudolphi Secundi, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. nec non Comitatum Símegh, Szathmar et de Zabolch Comes, salutem et amicitiam paratam cum honore. Expositum est Nobis in persona Egregii Sebastiani Tököly, qualiter idem exponens in factis metarum et terminorum Civitatis ipsius exponentis Késmark, in Comitatu Scepus existentis, per ipsum exponentem aut hominem suum ostendendorum, ac coram clarius declarandorum fassionibus et attestationibus nonnullorum Egregiorum et Nobilium, sed et ignobilium ac alterius cujusvis status et honestae conditionis Comitatuum praescriptorum Scepusiensis ac Liptoviensis et Sarosiensis, utriusque sexus hominum, ad praesens pro jurium suorum tuitione plurimum indigeret, essetque necessarium, ac exinde quamdam attestationem, testiumque inquisitionem pro sui parte celebrari facere vellet; ad quam peragendam Regius et vester homines necessario transmitti debere videntur. Pro eo amicitiam vestram harum serie hortamur, et nihilominus authoritate nostra judiciaria, qua fungimur, requirimus diligenter, quatenus acceptis praesentibus vestrum mittatis hominem pro testimonio vestro fide dignum: quo praesente Egregii et Nobiles Paulus Mariassy vel Christoph. aut Ladislaus Görgeji sive *(sic)* Valentimus Svabowsky, sive Joannes seu Caspar Thluk de Drawetz, neve Stephanus, neve Nicolaus aut Henricus Berzeviczy,neu Andreas Chorba, nec alter Andreas Rolythany, aliis absentibus homo Regius, per Nos ad id specialiter transmissus, ad praefatos Egregios et Nobiles, sive ignobiles, et alterius cujusvis status et honestae conditionis praescriptorum Comitatuum Scepus, Liptov et Sarossiensis utriusque sexus

homines, quos scilicet dictus exponens, aut ejus nomine homo suus, per eum ad id deputandus dixerit nominatim, accedentes, eisdem sub onere solutionis sedecim marcarum gravis ponderis generali Decreto expresso super illos, si quem forsitan ex iisdem cum praesentibus requisiti, testimonium veritatis perhibere recusarent, per eos, quorum interest, immediate et irremissibiliter exigendas, simul vel divisim personaliter sui in praesentiam citatis et convocatis, ab eisdem ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque praefato Domino Imperatori et Regi nostro, ac Sacrae ejus praedicti Regni Hungariae Coronae observantes, qualiter ipsum in facto praescriptarum metarum ac terminorum, aliorumque negotiorum, de quibus scilicet nomine et in persona praefati Exponentis fuerint interrogati, certitudo veritatis, sciat, inquirat et experiatur meram, plenam ac omnimodam certitudinis veritatem. Et tandem super hujusmodi fassionibus et attestationibus dictorum testium, inquirentes literas praefato exponenti, jurium suorum ulteriorem ad cautelam necessarias ad fidelem relationem dictorum Regii et vestri hominum, sub sigillo vestro authentico et Capitulari per vos dari volumus et jubemus, communi suadente justitia, secus non facturi. Datum in Babayza die Dominico Misericordiarum.[a] Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo. (L. S.)

CCXCIV.

Albertus a Laszko Késmarkiensibus notum facit, haud ingratum sibi futurum, si Tökölio ad tempus jurarent. Anno Dni 1580.

Ex autographo ibidem habito.

PRUDENTES ac Circumspecti fideles, sincere Nobis dilecti, salutem ac cuncta felicia a Deo Opt. Max. ex animo Vobis precatur!

Non dubitamus vos memoria tenere, quae pridem vobis per Joannem Kuntzium per literas nostras significaverimus, eidemque ea nobis dici oretenus commiseramus. Sed cum Dnus Sebastianus Thekely nos assidue urget, ut literas nostras ad vos daremus, quemadmodum vos illi juramen-

a) Fuerit Octava, vel decima sexta Dominica post Festum SS-mae et individuae Trinitatis.

tum ad duos annos solummodo praestaretis. Nos, quamvis recordamur vestrae excusationis, videlicet, quod sub duobus juramentis esse non potestis; data enim mihi fide vestra perpetua, quemadmodum Domino vestro haereditario, sub alterius juramento esse nec vultis, nec potestis, praesertim quod et Magnifico Dno Rubero, quamvis generali suae Majestatis, id praestare nullo modo potuisse: attamen, si velletis Dno Thekely ad tempus praestare, non ingratum mihi fore, ne ille existimet, me cum illo astute agere: quam ob causam per M. D. Stephanum Nźary has literas meas ad vos obtinere sollicitavit, in me enim nihil dubitassetis, nam non injuria inferetur, usque quo vixero. Cum his defensioni Altissimi vos committo, meumque vobis benevolum animum ac singularem gratiam perpetuo polliceor. Datum Viennae 18-a Julii, anno salutis nostrae Millesimo quingentesimo octogesimo. Vester perpetuo Laszki mp.

CCXCV.

Stanislaus Saffraniecz cum adjunctis sibi Commissariis certae concordiae literas, ad petitionem Menhardi-Villensium approbat. Anno Dni 1580.

Ex autographo apud eosdem habito.

NOS Stanislaus Saffraniecz de Pieskova Skala, Sandomiriensis, Christophorus Comorowski de Ziwica, Oszwiciensis Castellani, Stanislaus Crasinsky, Archi-Diaconus Cracoviensis et Sacrae Regiae Poloniae Majestatis Secretarius, Commissarii, ab eadem Regia Majestate ad componendas et decidendas omnes et singulas differentias, inter praedictae Sacrae Regiae Poloniae Majestatis ab una, et Sacrae Imperatoriae, Regiaeque Hungariae Majestatis partibus ab altera subditos exortas, cum plena facultate Scepusium missi et deputati; Notum, testatumque facimus, quorum interest, omnibus et singulis, venisse in praesentiam nostri providos et honestos Oppidanos de Villa Menhardi, Sacrae Regiae Poloniae Majestatis subditos, jam tertio in decursu viginti annorum bonis et fortunis eorum omnibus penitus conflagratos, exhibuisseque coram Nobis certum contractum, per eos cum vicinis suis Oppidi Leibiczensis incolis, itidem Sacrae Regiae Poloniae Majestatis subditis, occasione usus fructus certarum silvarum initum,

germanico idiomate scriptum, et libro communi Tredecim Civitatum transumptum, sigilloque terrestri communitum, simulque Nos submisse petiisse, ut miserti eorum conditionis praedictas contractus literas, authoritate nostra commissoriali approbaremus et confirmaremus. Quarum literarum tenor de verbo ad verbum est talis:

Anno Millesimo quingentesimo nono, Julii quinta: ist eine Eigung und Mittel gemacht worden etc. (V. supra easdem Conventionis literas ad dictum-seu 1559. annum.)

Nos itaque Commissarii supra nominati, quorum, sicut ad negotia Subditorum Sacrae Regiae Majestatis cum externis dirimenda; ita multo magis ad controversias inter suos componendas, facultas se se extendit; hujusmodi conatu non solum in rescripto, sed in actis ipsis Judiciariis viso, eoque bene trutinato et intellecto, attentaque justa dictorum Menhardensium Oppidanorum petitione, easdem contractus literas, uti rite ac legitime, pro bono pacis et concordiae, inter utraque Oppida retinendae confectas, et confirmandas censuimus; uti quidem authoritate nostra Commissoriali, qua in hac parte plenarie fungimur, in omnibus articulis et conditionibus approbamus, ratificamus et confirmamus, eisdemque vim ac robur debitae ac perpetuae firmitatis imponimus, praesentibus literis nostris decernentes, Oppidanos de praedicta Menhardi Villa juxta vim et praescriptum ipsarum contractus literarum, modo praemisso per Nos confirmatorum, in libero et pacifico specificatarum silvarum usu fructu permanere debere, sine ulla unquam Civium Leibitzensium contradictione et impedimento. Quod vero silvam Kuttenhan, utrique Oppido ex mutuo ipsorum consensu prohibitam attinet, haec quoniam propter casum infortuitum, praesertim vero incendii servatur, memorata vero Oppida utraque non ita pridem per ignis inclementiam conflagrata, et hucusque nondum reaedificata sunt, injungimus V. Capitaneo et Notario Castri Lubloviensis una cum Comite XIII. Oppidorum, Leibiczensique et Menhardivillensi Judicibus, ut illi quamprimum certo aliquo die et tempore, ad loca dicta silvae Kuttenhan descendant, certisque ipsius silvae partibus divisis, unam videlicet Leibiczensibus, alteram Menhardinis in usum et aedificiorum structuram conferant, et demonstrent, incisionibusque notabilibus, signisque, quod aliquod Oppidum uti debeat, consignent: in eo tamen aequitatem et justam proportionem, juxta quam alicui Oppido magis vel minus tribuendum sit, observare volumus. Residuum vero ejusdem silvae, quod post exdivisionem supererit in communi prohibitione propter simile aliquod in futurum contingens (quod Deus avertat) intacte maneat et

asservetur. Harum testimonio literarum, quibus in majorem certitudinem manibus nostris subscripsimus, et sigilla nostra apprimi fecimus. Datum Leibiczii Feria quarta post Festa Pentecosten proxima. Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo. Stanislaus Saffraniecz mp. Christophorus de Comorow mp. Stanislaus Krasinski Archi-Diaconus mp.

CCXCVI.

Albertus a Laszko Késmarkienses monet, ne fidelitatis jurementum alteri praestent. Anno Dni 1580.

Ex autographo ibidem habito.

PRUDENTES ac Circumspecti Fideles, Nobis dilecti, salutem et gratiam nostram. Intelleximus ex literis vestris in quo statu nunc versamini: Itaque vos hortatos esse volo, ut nemini juramentum praestetis, neque fidem vestram cuipiam alii deferatis propterea, cum mihi jure haereditario debitam fidelitatem debeatis, eamque vos nunc, ut optimos quosque fideles decet, quam diligentissime coli atque observari admonitos esse duximus. In me enim, haec sciatis, semper cura circa vos extitit, atque nunquam vobis in omnibus, quae intercesserint, deerimus, si non bona mea omnia tantum, sed et vitam, quae mihi cura est, amittere mihi necesse esset. Quamobrem hoc indubium habeatis, quod neque injurias, neque detrimenta ulla, a quopiam vobis fieri, unquam patiar. Hoc de Nobis persuasum esse vobis volumus, quod non gravabor in omnibus vobis adesse. Negotium Joannis Kuntzii, quem apud nos detinemus, vobis commendatum esse volo, et hortamur Vos, ut illi favori nostro hoc in mandato parere non intermittatis, atque in omnibus difffcultatibus, quaecunque occurerent, causa mei, ejus respectum habere velitis et auxilio sitis; nam illico in negotiis nostris illinc est discessurus. Haec omnia Fidelitates vestras facere hortamur, ac benigne mandamus. Datum Tarnoviae die 20. Maji Millesimo quingentesimo octagesimo. Albertus a Laszki. mp.

CCXCVII.

Controversiae inter certos Nobiles Scepusienses atque XIII. Oppidanos exortae, sopiuntur. Anno Dni 1580.

Ex laudato transumpto apud Podolinenses habito.

ACTUS Commissorialis ac Decretorum circa differentias, et, dissensiones inter Capitaneatus Scepusiensis Incolas ab una, et Dnos Terrestres ejusdem Comitatus parte ab altera locatorum. Anno 1580.

Nos Joannes Ruber[a] de Pixendorff et Granewerdt, Comes Comitatus Sárossiensis, Partium Regni Hungariae Superiorum Generalis Capitaneus, Balthasar Melegh, Episcopus Ecclesiae Chanadiensis, ac Joannes Paczoth de Bewki Praefectus Camerae Scepusiensis, Consiliarius, et Sacratissimi Principis, et Domini Dni Rudolphi Secundi, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis etc. delegati Commissarii ab una: item Stanislaus Saffraniecz de Pieskova Skala Sandomiriensis, Chrystophorus Comarowski Oszwieczienſis Castelanus, et Stanislaus Krasinski, Archi-Diaconus Cracoviensis, Custos Plocensis, ac Secretarius Serenissimi Principis, et Domini Dni Stephani Regis Poloniae, ad infrascriptos deputati commissarii partibus ab alia, damus pro memoria, quod Nos per praefatos Principes, et Dominos nostros clementissimos, huc in Scepusium specialiter pro complanandis differentiis et injuriis universis, fidelium subditorum utriusque Majestatis praefatae, ad terminum beati Adalberti Episcopi et Confessoris expediti Commissarii, unanimi nostro consilio, voluntate pariter et consensu in Oppido Varallia convenientes, ac mandata Dominorum, ac Principum nostrorum, super obeunda Commissione praesenti, Nobiscum adducta, utrinque communicantes, singillatim produximus tali sub tenore: A parte quidem Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis tenoris subscripti.

---

a) Cl. Carol. Wagner. P. II. pag. 62. de ipsius morte berviter attigit.

CCXCVIII.

Literae Commissionis Rudolphi II. Imp. ac Regis Hung. Anno Dni 1580.

RUDOLPHUS, Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis etc. Fidelibus nostris Reverendissimis, Magnifico et Egregio Bornemisza Varadiensis, et Balthasari Melegh Chanadiensis Ecclesiarum Eppis, nec non Joanni Rueber de Pixendorff, Partium Regni nostri Hungariae Superiorum Supremo Capitaneo, Consiliariis nostris, ac Joanni Pacott de Bewski, Camerae nostrae Scepusiensis, salutem et gratiam. Intercessisse nonnihil controversiarum de injuriis ultro citroque illatis, et nonnullis aliis controversiis et differentiis inter nostros et Serenissimi Principis, Domini Stephani Regis Poloniae etc. Scepusiensis subditos, quas, cum per idoneos nostros et ejus Serenitatis Commissarios, primo quoque tempore, debito modo cognoscendas et definiendas statuerimus, ad idque munus recte obeundum ex nostra parte vos clementer delegimus: pro eo fidelitatibus vestris firmiter committimus, et mandamus, ut ad diem, vobis constitutum, eo, quo necessum fore videbitur, vos statuatis, ac cum praefatis dicti Serenissimi Regis Poloniae Commissariis, videlicet Magnifico, Generoso et Venerabili Stanislao Saffraniecz de Pieskowa Skala, Sandomiriensi, Christophoro Komotowski Oswiecimensi Castellanis, et Stanislao Krassinski, Secretario suae Serenitatis, quos ob id delegatos esse intelligimus, de omnibus et singulis controversiis subditorum tam nostrorum, quam suae Serenitatis cognoscatis, easque legitimo modo deffiniatis, et discernatis; differentias etiam omnes, quacunque ex causa exortas, componatis et sopiatis; et quidquid decreveritis, et statueritis, id ab aliis, quorum intererit, irrefragabiliter observandum curare debeatis, et teneamini. Secus non facturi. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, sexta die Mensis Maji, Anno Dni Millesimo quingentesimo octuagesimo, Regnorum nostrorum Romani quinto, Hungariae et aliorum octavo, Bohemiae vero similiter quinto anno. Rudolphus mp. (L. S. Joo Secretar mp.

CCCXIX.

Literae Commissionis Ernesti Archiducis Austriae in eadem materia. Anno Dni 1580.

NOS Ernestus, Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, ac Virthembergae etc. Comes Tyrolis etc. Magnificis ac Egregiis Stanislao Thurzo, Comiti Comitatus Scepusiensis, et Alexio Thurzo de Bethlehemfalva *(sic)* Fratribus, universis denique Praelatis, Baronibus, Nobilibus in dicto Comitatu Scepusiensi Commorantibus, vel bona habentibus, fidelibus Nobis dilectis, salutem et gratiam. Cum vos singulis fere Inclyti hujus Regni Comitiis, inter alia etiam pro gravamine attulissetis, varias vobis cum Serenissimis Regis Poloniae subditis, eo quoque in Comitatu morantibus, esse controversias, super inde autem efficacem aliquam decisionem, et emendationem hactenus habere non potuisse: Nunc autem Sacrae Caesareae Majestatis, Domini ac Fratris nostri colendissimi ex una, et Serenissimi Regis Poloniae ex altera, assensu et mandato, eo res producta sit, ut utrinque certi Commissarii, viri prudentes, concordiae, pacisque amantissimi constituerentur, qui de dictis controversiis cognoscerent, easque pro aequitate dijudicarent, et componerent; qui, cum nunc ibi praesentes comparuerint, tractantesque bonum initium fecerint, praelibatae Caesareae Majestatis nomine, et authoritate, qua in ejus absentia nunc fungimur, vobis et vestrum singulis harum tenore firmiter injungimus, ut dictorum Commissariorum actioni vos benevolenter, et obedienter accomodetis, disceptationes vestras dilucide et clare coram iisdem aperiatis, et contestemini, et dijudicationi eorundem pro ea potestate, quam a suo quisque Principe hac in parte habent, obedienter demum etiam acquiescatis: sic pro Caesareae Majestatis, et nostra benigna voluntate, pro quiete etiam status publici facturi. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in urbe Vienna, die secunda Mensis Maji, Anno Dni Millesimo quingentesimo octuagesimo. Ernestus mp.

A parte vero Sacrae Regiae Majestatis Poloniae literarum Commissionis tenor est iste:

CCC.

Literae Commissionis Stephani Regis Poloniae in eadem materia. Anno Dni 1580.

STEPHANUS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae et Princeps Transilvaniae etc. Magnifico, Generoso et Venerabili Stanislao Saffraniecz de Pieskova Skala Sandomiriensi, Christophoro Komorowski Oszviecimensi, Castellanis, Stanislao Kraszinski Secretario nostro, Custodi Plocensi, Cracoviensique Canonico, sincere, fideliter et devote Nobis dilectis. Intercedit nonnihil controversiarum de injuriis ultro citroque illatis, et nonnullis aliis differentiis inter subditos Sacrae Romanorum Caesareae Majestatis, et nostros itidem in Terra Scepusiensi subditos, quarum cognoscendarum et definiendarum, ejusmodi est a Nobis constituta ratio, ut ad Spectabilem et Magnificum Dominum Joannem Ruberum, ejusdemque Majestatis Caesareae in Hungaria Generalem Capitaneum, etiam ex parte ditionum Regni nostri Commissarios designaremus, illisque facultatem discernendi de illis controversiis absolutam concederemus. Ad quod quidem munus obeundum peridoneas esse judicavimus sinceritates, Fidelitates et Devotiones Vestras: atque propterea datum hoc negotium illis comittendum et demandandum esse duximus, committimusque et demandamus hisce literis nostris, hortantes easdem et mandantes, ut pro die Festo Sancti Adalberti Episcopi, proxime venturo, qui dies, peragendo huic negotio, est Nobis designatus, in Scepusium se se conferant, cumque eodem Magnifico Dno Generali Caesareae Majestatis, . . . quam nostrorum cognoscant, easque legitimo definiant, et discernant judicio, differentias etiam omnes, quacunque ex causa exortas componant, et sopiant, et quidquid decreverint, et statuerint, id ab iis quorum intersit, irrefragabiliter observari curent. Secus pro gratia nostra non facturae. Datum Varsaviae vigesima die Mensis Januarii, Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo, Regni vero nostri anno quarto. Stephanus Rex mp. Petrus Thiliczki. mp.

Nos itaque praefatorum Dnorum nostrorum Clementissimorum comissionibus et mandatis, debitam obedientiam, qua tenemur, deferre volentes, cum primo nostro consensu, de modo et ordine continuandae praenarratae comissionis, mutuo inter nos consultantes, Divino adjuti auxilio, eam inchoavimus; ubi inter alios querulantes primus omnium Magnificus Dnus

Stanislaus Thurzo de Bethlehemfalva, Comes Comitatus Scepusiensis, per Nobilem Andream Andahazy Procuratorem suum legitimum, cum literis procuratoriis Venerabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis, adstante etiam, et personaliter sibi adhaerente Magnifico Dno Alexio Thurzo, de dicta Bethlehemfalva, Fratre scilicet carnali praefati Dni Stanislai Thurzo, tamquam Actore, contra et adversus prudentes et circumspectos Judicem, et Juratos Cives, totamque Communitatem, dicti Oppidi Varallya, saepedicti Serenissimi Regis Poloniae subditos, veluti in causam attractos: pro quibus Nobilis Joannes Grundel Varallyensis, cum dicti Capituli Scepusiensis literis procuratoriis, tamquam legitimus Procurator astabat, nostram accedentes in praesentiam, infra scripta serie causas suas coram nobis per libellum suum articulatum proposuisset.

CCCI.

Causa Varallyensium.

PRIMA causa fuit, ratione et praetextu violentae occupationis totalium Terrarum, sive laterum Montis, in quo praedictum Castrum Scepus est fundatum, unde damnificatus fuisset circiter ad 15. millia florenorum.[a)]

2-a: ratione cujusdam violentae invasionis hostilis, et interceptionis attentatae dictae Arcis.

3-a: ratione interceptionis cujusdam agilis Valentini Pursvicz, familiaris sui, in dicto Oppido Varallya per Judicem et Oppidanos patratae.

4-a: ratione violentae invasionis domus Telonialis, et ereptionis duorum Incolarum Varallyensium, pro tunc ibidem constitutorum.

Varallienses vicissim gravamina sua et injurias per praescriptum Procuratorem suum contra Magnificum Dnum Stanislaum Thurzo, et ipsius familiares proposuerunt.

1-o. De Teloniali domo, quae ad proprietatem fundi una cum suis antiquis censibus, atque servitiis, quae ex potestate Varalliensium ad dictam Arcem Scepusiensem occupata fuerat, pertineret, sibi iterum restituenda. —

---

a) Puncta accusatoria dantur dumtaxat per extractum.

2-o. De abroganda educillatione vini in eodem Telonio, velut Oppido praejudiciosa. — 3-o. De abroganda et delenda illa via curruli, quae per medias arabiles Varallyensium terras per obliquum, sub dicta Arce versus domum braxatoriam est erecta. — 4-o. De erectione cujusdam sepis circa piscinam. — 5-o. De hordeo in terris propriis Varalliensium, sub Arce Scepusiensi, immature defalcato, et violenter abducto. — 6-o. De interemptione cujusdam Antonii Beler Varalliensis per Joannem Muranszki, Servitorem Dni Thurzo, qui homicida fuisset. — 7-o. De combustione violenta fimi, in terris arabilibus Varalliensium facta. — 8-o. De violenta captivatione quorundam Colonorum in Oppido Varallia, tempore nundinarum contra libertates eorundem. — 9-o. De fluvio, quondam ex alveo suo naturali derivato, et iterum reducto. 10-o. De persecutione cujusdam aucupis Varalliensis, perdices sub Arce Scepes persequentis, et invasione domus ejusdem. — 11-o. De aliquot terris arabilibus Oppidanorum versus Orientem, juxta viam ex Hotkocz, sub horto Arcis Scepusiensis violenter occupati. — 12-o. De ejaculatione globorum ex Barbatis ab Arce Scepes in Oppidanos. — 13-o. De violenta verberatione duorum Oppidanorum in agris et vituperatione. — 14-o. De non observato per Dnum Thurzo mandato Regis. — 15-o. De violenta abactione 6 Civium Varalliensium ex propriis agris eorum in monte, quem acutum collem vocant arantium. etc.

Quibus omnibus, modo praemisso, coram nobis actis, cum nos ad ulteriora procedere, et super his Judicium aequitate congruum impendere instituissemus, quemadmodum optimos quosque Judices etiam de Jure Regni scripto facere maxime deceret, Magnificum Dnum Alexium Thurzo personaliter, praesente dicto Dno Andrea Andahazy Procuratore Dni Stanislai Thurzo, fratris natu majoris, ad ineundam concordiam praemonuissemus, maturo inter se habito consilio, idem Dnus Alexius Thurzo spontanea et libera voluntate sua, una cum praetacto Procuratore Fratris sui, nostro in conspectu, manu stipulata promisisset, se paratum esse, tam ad bonam concordiam ineundam, et ad pacem cum Oppidanis vicinis suis colendam, accedere, quam etiam juri stare, istis conditionibus: Primum ut universae causae praedictae, ultro citroque suscitatae, penitus et ex toto condescendant, et sopientur de facto. Ipse quoqe Dnus Alexius Thurzo promptus esset terras arabiles cultas et novales, prae manibus Oppidanorum de Varallia ad eam oblationem benevolo consensu relinquere. Accedente tandem ipsorum quoque Oppidonorum de Varallya ad eam oblationem benevolo consensu, de universis controversiis, inter Magnificos Dnos Stanislaum et

Alexium Thurzo de Bethlehemfalva etc. ab una, ab altera vero parte saepefatos Cives Varallienses, Serenissimi Regis Poloniae pro nunc subditos, diversarum injuriarum, et differentiarum ultro citroque motarum, atque nobis Comissariis a sacra Imperatoria et Regia Majestate, et Serenissimo Rege Poloniae, ad praesentem Commissionem exequendam, destinatis, scripto exhibitis, partibus praemissis consentientibus talis per nos, ex praedicta submissione partium, et authoritate nostra commissoriali est facta determinatio.

Primum: ut agri universi, pro nunc culti, conseminati, et sub calcatura existentes, qui sub monte, in quo Arx Scepusiensis sita est, ab omni parte ejus Arcis, item sub monte patibulari jacentes, et diffusi, usque ad metas possessionis Hotkocz, pro Incolis Oppidi Varallia maneant, juxta continuatam possessionem eorum, perpetuo colendi atque possidendi, cum libera perceptione usus fructus eorundem. Residua vero loca petrosa, graminosa et cespitosa super eosdem agros arabiles, ex omni parte Arcis sita, et existentia, item mons patibularis cum circumjacentibus suis locis petrosis, et graminosis ad arcem Scepusiensem perennaliter manere et pertinere debeant, prout relicta sunt de facto, ita quod ad loca illa petrosa, circa arcem diffusa, Varallienses nec graminatum mittere, nec pecora sua pastum pellere praesumant; hoc excepto: Quodsi casu eorum pecora aberrare contingeret, demonstrato prius per Castrenses Judici Varalliensi irrogato damno, pro eo juxta condignam aestimationem per Judicem satisfactio ad arcem semper impendatur, de bonis illius, cujus pecora fuisse comperientur. Mons autem patibularis pro usu et pastu pecorum Arcis et Oppidi Varallia tempore novaliorum vel calcaturae communis esse debet. Viae quoque inusitatae, praesertim qua ex dicta Arce per medios agros Varalliensium ad domum Braxatoriam cum magno praejudicio et damno Civium curru et pedes ire consueverunt Castrenses, penitus aboleatur, remanentibus antiquis viis, utpote via magna, quae ab Arce descendit in Oppidum Varallya, et aliis duabus semitis, quarum una ex arce ad Braxatoriam domum, altera ad Bethaniam (*hodie Mindszent*) itur juxta Decretum priorum Dnorum Commissariorum, defunctarum Majestatum Imperatoriae et Regiae in Anno Millesimo quingentesimo quadragesimo nono sancitum. Quo autem nullae in posterum, ratione earundem agrorum ad Varallyam, et locorum petrosorum, modo praemisso, ad arcem relictorum, controversiae et lites oriri possent, inter easdem distinctiones et signa metalia erigi et fieri, nobis praesentibus curavimus, hunc, qui sequitur modum:

Prima meta erecta est sub vertice montis in loco praecipiti saxo magno signata, a dextra manu itineris de Oppido Varallia ad Arcem Scepusiensem tendentis, a meridionali plaga, juxta agrum inferius situm, providi Thomae Teller, Varalliensis. Secunda meta erecta est, inclinando se se paululum ad latus sinistrum versus Septentrionem ad mediam contiguitatem agri Melchioris Brosko; item tertiam metam in dicta contiguitate agri praefati a dextera parte itineris, ex Oppido Varalliensi in Arcem tendentis, posuimus. Hinc transiliendo viam, quae ducit ex Oppido in Arcem, circa agrum Antal Pustra; quartam metam ereximus. Porro a nominato agro, inclinando se ad septentrionem, ventum est ad quintam metam, versus plagam septentrionalem, quam in memorato agro collocavimus. Ab hac meta vertendo se ad montem versus orientem, in agro Philippi Molitoris est lapidea sexta meta, a qua non longe procedendo, similiter versus orientem, septimam metam lapideam, terra obvolutam constituimus. Item recte transeundo ad plagam septentrionalem in continuitate agri praedicti Molitoris, pervenitur ad octavam metam, dein ipso tractu itur usque ad nonam terream metam in agro Joannis Baptistae erectam. Hinc procedendo recte ad plagam septentrionalem dicti agri decimam lapideam metam, terra obvolutam, sive circumdatam, ereximus. Ab eo vero loco eundo eadem plaga, undecimam metam lapideam, terra obvolutam, in dicto agro fecimus. Idem procedendo, duodecimam metam penes semitam a dextra parte, quae dirigitur ex Arce Scepusiensi ad domum Braxatoriam posuimus. Porro circumeundo montem versus orientem, perventum est ad decimam tertiam metam in extremitate agri Joannis Fidler, in principio unius Mesgie *(= Mezsgye)* vel Reen, positam, hinc eundo ad eandem plagam per memoratum Mesgie, Reen ventum est ad decimam quartam terream metam, in dicto Mesgie erectam. Postea ascendendo recta per praefatum Mesgie sive Reen (Germanice Rand) ad contiguitatem agri cujusdam Petri Fabri Civis Varalliensis, decimam quintam metam collocavimus. Dein progressive versus meridiem usque ad superiorem partem agri praenominati Petri Fabri, decimam sextam metam constituimus; ab eo loco recta eundo penes commemoratum agrum, metam decimam septimam lapideam ereximus. Ceterum procedendo a sinistra parte semitae, ex Arce versus Bethaniam tendentis, decima octava terrea meta posita est. Ab hac paululum se deflectendo, et procedendo, non procul ab arbore decima nona terrea meta erecta est, a qua circiter tredecim passus deflectendo versus orientem, in fine agri Petri Fabri vigesima meta constituta est.

Petri Dresser vigesima prima meta est collocata. Hinc in continuatione agri Petri Dresser vigesima secunda meta consignata est; inde penes dictum agrum procedendo, perventum est ad lapidem terra obvolutum, qui pro vigesima tertia meta positus est. In fine vero agri Petri Dresser vigesima quarta meta terrea est constituta. Ex hoc loco ascendendo versus occasum solis, in principio agri Leonardi Schvalkos vigesima quinta meta collocata, a qua procedendo usque ad viam, quae de Petrocz ducit in Arcem a dextra parte ipsam Arcem ascendendo, vigesima sexta meta terrea est erecta. Hinc transeundo praedictam viam usque ad montem, dictum acutum collem, Arci oppositum, ubi etiam sunt pauca rubeta, in agro arabili Georgii Doleatoris, et super hortum Arcis vigesima septima meta posita est. Ab eadem meta progrediendo versus meridiem vigesima octava terrea meta, in dicto agro penes saepimentum horti illius est posita, juxta quam metam erectam, dictus Andreas Andahazy Procurator, nomine Principalis sui, solemniter protestando, erectionibus metarum totaliter contradixit, et ulteriori erectione metarum nos prohibuit. Cui quidem protestationi, contradictioni et prohibitioni ipsorum, nullus per nos datus est locus, eo quod iidem Actores istam commissionem, prius in multis conventibus Regni Hungariae publice, novissime vero utramque apud Majestatem solicitaverint, et consenserint, ac se submiserint in nostram decisionem. Atque his, ob praemissas rationes, simpliciter rejectis, authoritate nostra commissoriali, inspecta rei aequitate, et pro nostra conscientia, ad ulteriora progressi sumus inde recta tendendo penes idem sepimen, tum praedicti horti, ad praedictam plagam vigesima nona terrea meta, in fine horti praefati est erecta. Porro ad partem sinistram se flectendo, circiter duodecim passus, pervenitur ad trigesimam metam terream, quam penes viam ex Arce ad Hotkocz et Sygra ducentem posuimus. Ab eadem transeundo per viam praedictam, et deflectendo in vallem, in agris relictae Bobrik, non procul a via, quae sub pomario Arcis ducit ad Varalliam trigesima prima, trigesima secunda, trigesima tertia metae terrae distinctim sunt erectae. Demum in extremitate agrorum praefati Thomae Seler, versus meridiem in quodam Mesgie, alias Reen, est erecta trigesima quarta et ultima meta, primae metae proxima. Redeuntes dein ad alium montem, Arci oppositum, in quo crux patibularis per praefatos Mficos Dnos Thurzones ante aliquot annos est constituta, et ad eam partem montis ad plagam meridionalem, ubi via de Civitate ducit ad pagum Hotkocz, seipsos convertentes et ibidem consistentes, in cujus montis circuitu nos progredientes una-

*

mini et concordi voluntate viginti duas metas partim terreas, partim etiam lapideas ad instar crucis signatas, densas et debitis intervallis, distantiisque locorum collocatas, fecimus, incipiendo, et ponendo metam primam in agro honestae Marthae, relictae cujusdam figuli, et deinde penes agros Gregorii Barbitonsoris, postea ulterius cujusdam Concivis Bebenicza, item Stanislai Krakovszki, deinde Bresel Sutoris, postea penes viam ducentem ad Segra, nec non juxta agrum Christofori Krava, et Stephani Kolbas Civium Varalliensium continuando, et usque in bivio, cujus bivii una via inferior tendit ad praefatum pagum Hotkocz, alia superior ad Segra, inter quod bivium inventa est antiqua meta, determinando, quam tandem antiquam metam, et deinceps aliam non multo inferiori loco, in altera parte agrorum arabilium, ad latus sinistrum posita, ubi tres metae vetustae parietales, una videlicet Varalliensis, altera Capituli Scepusiensis et tertia praedicti pagi Hothkocz, ex utraque parte viae, ad dictum pagum tendentis, sunt factae, et concurrunt, innovavimus et notabiliores, fecimus, et eidem posteriori metae antiquae sculptum lapidem ad perpetuam memoriam hujus insignis effectus infodimus. De domo autem teloniali est conclusum, ut eadem domus una cum suo fundo maneat ad dictam Arcem Scepes in pristino statu, cum solita exactione vectigalis, et cum libera educillatione vini ac cerevisiae, pabulique venditione, eo adjuncto: quod caveatur ab Arcis Dominis, ne ea domus in posterum Asylum, et refugium sit sceleratorum. In quam domum, si deinceps contigerit aliquem facinorosum confugere, et talis praescripti Oppidi Incola servus aut serva esset, ex tunc Teloniator ejus loci talem facinorosum, ad requisitionem Judicis Varalliensis captivare, captumque manibus Judicis dare teneatur, per Judicem, pro demerito suo, puniendum. Quodsi vero Arcis vel servus, vel subditus esset, eum quoque ad requisitionem Judicis captivare, et manibus Dni Arcis, aut in ejus absentia, Provisori tradere teneatur; de quo Dominus Arcis, aut in ejus absentia Provisor parti querulanti justum Judicium facere, justitiamque laesae parti administrari facere debeat de facto. Quodsi neutrum facere vellet, in homagio, quadraginta Florenorum faciente, dicti facinorosi convincantur, Actori praecise solvendorum. Quam mulctam convictionis, si Dnus Arcis solvere laesae parti non curaret, ex tunc Vice-Comes hujus Comitatus, pro tempore constitutus, aut eodem Vice-Comite negligente, Dnus Generalis Capitaneus de Bonis dominiorum Arcis exigendi habeat, vi praesentis Decreti, plenariam potestatis facultatem. Vice versa si de scelerato aliquo Varalliensi, modo praemisso, in domo Teloniali captivato, a Domino Castri,

vel subditis ejus Judicium postularetur, illudque non administraretur, et tunc eodem modo Judex quoque Varalliensis, pro tempore constitutus in praemissa poena convictus habeatur, et impensio justitiae per Magnificum Dnum Capitaneum Lubloviensem, vel Vice Capitaneum, pro tempore constitutos, de bonis Judicis indilate administraretur; et niholominus talem suum facinorosum quaelibet partium pro se persequatur jure puniendum. Ubi vero in captivatione talium facinorosorum Teloniator insufficiens esset, et ex Arce Auxilium cito haberi non posset, liceat ipsi in eo casu Judicis Varalliensis auxilio uti, salva tamen libertate domus Thelonialis remanente. Atque sic aliae omnes causae, ultro citroque motae penitus et in toto perpetuis semper temporibus sopitae, mortuae et condescensae habeantur eo facto.

CCCII.

Causae Olasziensium et Varalliensium.

NOBILIS Joannes Grundell Varalliensis, pro prudentibus et circumspectis Judice et Juratis, ceterisque Civibus et Inhabitatoribus dicti Oppidi Olasz*y* legitimus Procurator cum literis procuratoriis Venerabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis, veluti Actoribus contra et adversus Magnificum Dnum Stanislaum Thurzo de Bethlenfalva *(sic)* Comitem Cottus Scepusiensis, et Egregium Alexandrum Rypser Provisorem suum — allegavit in hunc modum:

1-o. Quod idem Provisor Rypser 1577-o quemdam juvenem Leonardum Olasziensem in turrim albam conjecerit, frigoreque contabuerit, item fame ac siti, — postea vero adhuc parentis sui Pauli Eulenbecher bona in Oppido Olasz sequestrari curaverit illo sub praetextu, quasi filius suus rationes nedum reddidisset. — 2-o. aliquot Cives propterea arestasset — etc.

Nos igitur habito inter nos mutuo tractatu, quantum ad primam actionem dictorum Oppidanorum de Olaszi attinet conclusum est: quod dictus Alexander Rypser, Provisor practactae Arcis, Sepesvara *(sic)* vocatae, tertiusmet cum Nobilibus sibi similibus, verae nobilitatis titulo fungentibus, de et super eo, quod praedictus olim Leonardus Eulenbächer, non ex ver-

beribus, neque ex foetore carceris, frigore, fame, sitique, sed causa pestis mortuus sit, Sacramento juramenti suam inocentiam expurgare debeat, et teneatur coram nobis, et erit absolutus; quod quidem juramentum sequenti die, prout debuit, etiam praestitit. Deinde quando quidem Actor Thurzoianus juxta suam obligationem non probaverit regestris debitum mortui juvenis, ideo mater ipsius, defunctis patre et filio, ab onere solutionis absolvitur, et Actor cadit a causa, per hocque mater defuncti liberatur. Praeterea de octo vasis vini Communitatis dicti Oppidi Olaszi, per provisorem dictae Arcis Scepes arestatis, et per aliquot dies detentis, postea vero redditis, decretum est: Ex eo, quod idem Alexander Rypser Provisor Arcis Scepes, neglecto ordine judicii, intempestive et illegitime contra leges et jura Regni dicta octo vasa vini Communitatis praedicti Oppidi Olaszi arestavit, et definivit; propterea idem Provisor, tam ob arestationem, quam etiam ob dimissionem violentam, singillatim per tres marcas, in toto sex marcas faciente convictus esse habeatur. De duobus autem Civibus ex Oppido Olaszi denuo arestatis, conclusum est: quod siquidem dictus Alexander Rypser duos illos subditos Serenissimi Regis Poloniae, tamquam inocentes, praeter omne demeritum ipsorum, in Telonio violenter arestavit: ideo idem Provisor Arcis propter violentiam in vivo homagio eorum, per singulos viginti florenos, in una summa vero quadraginta florenos constituentes, convictus est de facto. Quod ad duo vasa vini arestata, et accepta cum curru et instrumentis curribilibus attinet, conclusum est: quod cum iidem Olaszienses testificatione hominis illius ex Civitate Cassoviensi, a quo illa duo vasa vini emerant, cum literis sub sigillo ejusdem Civitatis, clausa ad nos datis, ipsos pro septuaginta florenis constitisse et empta fuisse, sufficienter comprobaverint, propterea eundem Alexandrum Rypser ob violentam, et indebitam arestationem dictorum Oppidanorum de Olaszi, in homagio vivo praedicti Judicis de Oppido Olaszi, tunc existentis, viginti florenos Hungaricos faciente, et insuper in restitutione pretii dictorum duorum vasorum vini, quod septuaginta florenos constituit, et ob ademptionem unius currus cum pertinentiis, lodicibus tribus, quatuor catenis ferreis, aliis denique instrumentis, et trahilibus equorum ad valorem quindecim florenorum hungaricalium convictum, et aggravatum esse decrevimus. Quae omnia vel de Bonis ipsius Provisoris vel autem Domini sui persolvi debebunt. Porro de arrestatione viginti trium florenorum, qui fuerunt pretium domus Pauli ex Velbach apud subditum Dni Thurszonis facta, deliberatum est: ut dictus Paulus Velbachi, non obstante dicto aresto, annotatam suam

pecuniam florenorum viginti trium, a subdito Dni praetacti Stanislai Thurzo libere ad se recipere, et praetactus Provisor causam debiti sui jure prosequi debeant, Ad extremum de damnis per pecora Arcensia, in terris et pratis Oppidanorum de dicto Olaszi illatis, per nos decretum est, ut in posterum secundum consuetudinem Regni caveatur, tempore prohibito, ne in segetibus et pratis damna fiant. Quod si forte contigerit, pecora impellantur, et damnorum aestimatione praecedente satisfactio impendatur damnificato. Quando autem Terrae arabiles, sive prata sub calcatura sunt, tunc liceat, causa bonae vicinitatis in alterutrius Territorio pecora libere pellere simul atque pascere.

Nobilis Joannes Grundel Varalliensis pro prudentibus et circumspectis Judicibus et Juratis, ceterisque Civibus et Inhabitatoribus Oppidorum Varallia et Olaszi, praefati Sacratissimi Regis Poloniae subditis, cum procuratoriis literis Ven. Capituli Scepusiensis tanquam Actoribus, contra et adversus Generosum et Magnificum Dnum Comitem Julium a Salmis, Tutorem scilicet naturalem filiae suae, per libellum suum accusatorium proposuit, et allegavit hoc modo. Et primum contra annotatos colonos de Olcznava *(h. Olcznó)* nomine universitatis Civium de Varallia:

quod nempe praedicti Coloni concivem ipsorum Martinum Kwesichen circa Festum Trinitalis in Anno 1577 in eorum propriis silvis, Stredna dolina vocatis, percutere voluerint, et currum ejusdem dissecuerint, insuper oves cujusdam subditi Pauli Máriássyi ex praefatis eorum silvis impulerint, taliterque sibi silvas vindicare, et appropriare vellent. — In persona vero Olasziensium praedictus Grundel proposuit, qualiter ab hinc trigesimo primo Olaszienses coram utriusque Majestatis Commissariis propterea conquesti fuissent, quod terras quasdam arabiles dictorum Oppidanorum de Olaszi a praedecessoribus ipsorum pro annua solutione octo florenorum locatas, sibi tanquam haereditario jure perennali appropriare vellent. Tunc vero constitutum fuisset, liberam Olasziensibus, locationem praememoratam Colonis de Altzno *(= Olcznó)* observare, vel non nisi Altznovienses docuerint locationem praedecessorum suorum non temporaliam, sed perpetuam fuisse. Ad quae Thomas literatus de Jaszov in persona Egregii Hieronymi Gundelfinger Provisoris praefati Dni Comitis Julii a Salmis, in Bonis diruti Castri Rychno constituti, respondit: quod Dnus Comes Julius sensa sua super eo literaliter deprompserit Dno Generali, allegando, quod nulla ad hanc diem controversia inter subditos Serenissimi Regis Poloniae, et subditos ipsius intercesserit, nulla etiam adhucdum citatio, vel litis contestatio facta fuerit,

neque ullus Judiciarius antecesserit, ideo protestaretur solenniter, peteretque juxta Regni leges eosdem ad viam juris relegari.

DECISIO.

Nos super isto negotio, inhaerentes Decreto priorum Dnorum Commissariorum (videlicet anno 1549) ex certis rationabilibus causis animos nostros moventibus, decrevimus, ut referatur praesens negotium in praesentiam, et ad cognitionem utriusque Principis Dnorum nostrorum clementissimorum.

CCCIII.

Causa Iglovensium.

EGREGIUS Paulus Mariássy de Markusfalva praesens et per procuratorem suum Thomam literatum de Jaszow, cum literis Venerabilis Capituli Scepusien. tanquam Actor ab una, contra et adversus prudentes et circumspectos Judicem et Juratos Cives et Inhabitatores Oppidi Iglo, velut in causam attractus partibus ab alia, propusuit hoc modo: qualiter superioribus disturbiorum praeteritorum temporibus.

a) Iglovienses certas quasdam particulas terrarum arabilium, pratorum silvarum, vallium, montium intra veras metas possessionis ejusdem Pauli Mariássy, Markusfalva vocatae, pro se ipsis occupare et sibi appropriare adnisi fuerint; propter quod eosdem in Curiam Regiam evocasset. — Ex adverso respondit pro Igloviensibus Nobilis Joannes Grundel in hunc modum: qualiter idem Paulus Mariássy in Anno 1561. quasdam terras dictorum Oppidanorum arabiles et feneta ultra 100 jugera ab ipsis per simplices literas reambulatorias metarum, in quarum quieto et pacifico dominio perpetuis temporibus perstitissent, occupare, sibique appropriare voluerit; cui reambulationi, cum Iglovienses contradixissent, eos ad Tabulam Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Posonium ad 15-am diem evocavit. Et postquam non comparuissent, siquidem ipse Actor nobilis existens, cum

a) Extractive.

Jobagionibus et subditis lites prosequi de jure Regni Hungariae non possit, iterum aliis literis adjudicatoriis, per non venientiam eorundem in causam attractorum, praedictas terras ipsorum Civium secundario, atque postea vicissim anno sequenti tertia vice, sub praetextu literarum adjudicatoriarum, ad praedictas occupationes expedivit semper Capitularem hominem et Regium. Et cum Iglovienses nomine Regiae suae Majestatis iteratim contradixissent, iidem Capitularis et Regius homines Poloniae Regem, tanquam proprietarium 13 Oppidorum, ad Tabulam judiciariam evocarunt, volentes insuper eos brachio Regali per Capitaneum et milites Caes. Regios damnificare, nisi Mficus olim Dnus Nicolaus Macieiowszki Capitaneus, eorum securitati contulisset, et totum negotium cum supremis Capitaneis, videlicet Magnificis Dnis Lazaro a Schvendi et Joanne Ruber complanasset et Actorem Mariássy a violentiis inhibuisset.

DECISIO.

Exhibitis igitur et perlectis uniformibus utriusque partis literis metalibus dicti Capituli Scepusiensis, in Anno Dni 1412, octavo die Festi beati Michaelis Archangeli sub pendenti ejusdem Capituli sigillo in pargameno privilegialiter confectis et emanatis,[a] nec non et testium fassionibus, pro parte Oppidanorum de Iglo, diligenter examinatis, per nos unanimiter decretum est: quod cum dictus Paulus Máriássy nullos habet testes, qui probarent terras arabiles et prata, in planitie ipsius esse propria; Oppidani vero de Iglo viginti quatuor vivorum hominum testimoniis dictas terras arabiles et prata, in planitie existentia, vigore literarum metalium, ad eum usque locum, ubi dictae metae in fluvium Hornath inciderent, semper ad se pertinuisse, et intra veras metas praetacti Oppidi Iglo ab initio extitisse, easdemque jure haereditario, semper quiete et pacifice possedisse, uno ore comprobassent, et in supplementum Judici, praefati Oppidi Iglo*met* tredecimo, si decretum fuisset juramentum, quod idem Judex cum suis juratis modo praemisso praestare paratus fuisset, in praesentia Pauli Máriássy ad exaudiendum juramentum ibidem adstantis, hoc idem dictos Paulus Máriássy ipsis ultro remisit; ob hoc jam dictos Oppidanos de Iglo jure perpetuo in Dominio libero et pacifico earundem metarum, infra clarius annotatarum, relinqui debere, judicialiter decrevimus. Quantum autem reliquas

a) V. Diplom ejusdem Anni 1412.

metas continuando a dicto fluvio Hornath usque ad fluvium Nagy-Gilnicz spectare videretur, ex quo per ambas in testificatione cursus metarum, penes literas metales testes fuerunt producti: inter quos ad partem dicti Pauli Máriássy dumtaxat quatuor, ad partem autem Oppidanorum de Iglo quinque et rectius penes continentiam praelibatarum literarum metalium deponentes testes, quantum ex oculata revisione, reambulatione, et demonstratione literarum metalium simul atque testium animo metiri, et visu considerare potuimus, deposuisse reperiebantur: ideo per nos judicialiter compertum superinde fuisset, ut Judex cum Juratis Civibus ante dicti Oppidi Iglo tredecimo se, de et super eo quod caput fluvii Brusnik nuncupatum, per dictos Oppidanos de Iglo demonstratum (de quo capite fluvii Brusnik magna fuit inter partes controversia) reliquae quoque metae universae per eosdem penes continentiam literarum metalium remonstratae, et secundum praetacta etiam testimonia eorum incipientia a praedicto fluvio Hornath usque ad fluvium, Nagy-Gilnicz vocatum, sunt vero metae ipsorum, in supplementum attestationis suae coram nobis Sacramentum juramenti praestare debeant; Quo facto metas universas, a prima meta incipiendo cum supra dictis terris arabilibus et pratis, in planitie sitis; et sicuti praemissum est, usque ad fiuvium Hornath se extendentibus, inde usque ad ultimam metam usque ad Nagy-Gilnicz procedendo, a parte possessionum Leskovan et Markusfalva, et aliorum jurium possessionarium Pauli Máriássy, dictorum scilicet Oppidanorum metas separantium, et distinquentium, jure perpetuo et irrevocabiliter tenendum, possidendum, pariter et habendum, pro annotatis Oppidanis de Iglo, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis manere et relinqui debere adjudicavimus et decrevimus: metas ipsas secundum contenta praelibatarum literarum metalium partes utriusque primum reambulatas, et ex oculata demonstratione pariter ac testificatione dictorum testium ostensas, a parte bonorum et jurium possessionariorum dicti Pauli Máriássy inter eundem et Oppidanos de Iglo noviter hoc ordine distinximus.

Prima meta incipit a plaga septentrionali in prato, per quod defluit Leutscherbach dictus, ubi convenirent tres metae, una subditorum Mariassy de Liskovan, alia de Odorino, tertia de Iglo in iisdem pratis, unico duntaxat lapide terrae infosso, distincta et signata. A qua directe non procul procedendo, et vertendo se versus meridiem in fine ejusdem tractus cespitosi Mesgie, alias Reen, et inter terras arabiles, a dextro latere Oppidanorum Igloviensium, a sinistro autem de Liskovan, secundam metam terream

novam ereximus. Inde ascendendo per eundem Mesge *(sic)*, alias Viasd ad eandem plagam meridionalem, inter terras praedictas arabiles, tertia meta terrea; et paulo ulterius ascendendo, similiter terrea meta quarta nova est facta. Isthinc directe ulterius per idem Mesge ascendendo, in ipsius et horum agrorum praedictorum fine, atque etiam penes viam, quae ducit ex Iglo versus Markusfalvam, erecta est quinta meta terrea: per quam viam transeundo, super clivo alterius mesgie *(sic)* ex altera, seu dextra parte viae ejusdem, sexta meta terrea nova et notabilis est erecta, agris propriis praefatorum Igloviensium contigue; a quibus inter orientalem et meridionalem plagas, per viam ducentem a Markusfalva ascendendo, ad jactum unius sagittae ex utraque parte viae praedictae, inter terras arabiles eorundem duas metas, nempe septimam et octavam ereximus. Postea aliquantis perdescendendo per easdem plagas, penes viam praedictam, et deinde vertendo se versus meridiem ad latus dextrum, et ibi in initio alterius Mesgie, nona meta terrea, inter arabiles terras dictorum Civium Oppidi Iglo et Nobilium de Markusfalva, est posita et erecta. Inde aliquantis per descendendo in eadem plaga et Mesgie penes aliam viam tritam, per vallem similiter versus dictum pagum Markusfalva ducentem, ab utraque parte ipsius viae, duas metas, decimam videlicet et undecimam in finibus Mesgie posuimus. Ab inde versus plagam eandem meridionalem, non procul a patibulo, in terris Mariássy habito, ex utraque parte viae, et proxima sibi via ortum seu initium sumendo, qua Iglovienses frumenta vehere consuevissent, inter praedictas terras similiter duas metas, duodecimam scilicet, et tredecimam fecimus. Postea vero ad jactum unius sagittae ab utraque parte ejusdem viae duo lapides, terris jam pridem infossi, pro duabus metis, nempe quatuordecima et decima quinta sunt relicti, et erecti. Dein per viam eandem descendendo non procul, simili modo duos lapides ex utraque parte viae inter agros praedictorum pro metis decima sexta et decima septima reliquimus. Hinc ulterius recta descendendo in eadem plaga, per cespitosam viam inter terreas, decimam octavam et decimam nonam, quarum prior est in declivitate eorundem agrorum, ereximus. Adhuc inferius declinando ad eandem plagam in planitie, inter terras Oppidanorum a dextro et prata Nobilium Máriássy a sinistro, vigesimam metam terream posuimus. Inde recta paululum procedendo in fine terrarum arabilium, et pratorum Civium de Iglo et Máriássy, prope fluvium Hornath, inter duos lapides terrae infossos, metam vigesimam primam terream ereximus. Deinde pertranseundo dictum fluvium Hornath versus eandem meridionalem plagam,

*

ubi etiam in latere sinistro incidit rivulus Brusnik, in prato meta nova terrea vigesima secunda est facta; a qua ascendendo directe ad colliculum, in ejusdem latere inventa est antiqua meta, circa quam vigesimam tertiam novam metam terream in fine agrorum arabilium, et prati Antonii Omec, Civis Igloviensis, ereximus, et exinde transeundo directe ex opposito ad latus sinistrum, transeundo per fiuvium Eschseiffen, alio nomine Brusnik, sub pede montis sinistri vigesima quarta meta terrea est posita, circa quam positus est lapis cum cruce et insigni Oppidi Iglo. A qua continuo eundo versus meridiem, in parte sinistra, in pede ejusdem montis, juxta pratum Iglovien. vigesima quinta meta terrea nova est erecta. Ex isthinc ulterius procedendo, in sinistra parte montis infra viam Regiam, atque publicam, qua ex Iglo ad silvas subcriptas itur, et quae libera in perpetuo manere debet, juxta pratum Igloviensium, per quod Brusnik decurrit, vigesimam sextam terream metam, ubi etiam sunt duo montes sibi oppositi, ereximus. Tandem longo tractu progrediendo donec perveniretur retro aciem et finem montis ejusdem, in parte sinistra jacentis, et directius flectendo se versus meridiem inter corilos, et Alnos, inter rivulum Eschseiffen alio nomine Brusnik, et alium rivulum, qui venit de villa Botisi, meta antiqua ibidem inventa; eandem metam renovavimus, et pro vigesima septima ereximus. A qua quidem meta procedendo et directe in magna aclivitate ad montem magnum et excelsum dictum Schwarzenberg, alio nomine Fekete-Erde, ascendendo, in latere ejusdem montis, inventa ibidem veteri terrea meta, aliam novam metam vigesimam octavam, juxta eandem veterem posuimus; Et abinde adhuc superius ad eundem montem ascendendo similiter illic, veteri meta reperta, eandem innovassemus, et pro meta vigesima nona posuimus, pervenientesque usque ad cacumen montis praedicti nigri, in cujus vertice penes cacumen ad latus dextrum, meridiem versus, trigesimam metam lapideam novam ereximus. De quo monte descendendo, et perveniendo ad arabiles terras, per quas itur ad montem adhuc altiorem, Luxland antiquitus vocatum, ibidem trigesimam primam metam novam terream fecimus, penes quam metam praedictus Procurator, praefati Máriássy, astante sibi eodem, totali hujusmodi erectioni metarum coram nobis Comissariis Caesareae Majestatis inhibitionis, et contradictionis velamine obviavit, qua sicuti Thurzonis in partem rejecta, erectiones metarum continuavimus. Inde ab hac meta versus dictum montem eundo, inventaque ibidem una antiqua prius existente meta, alteram novam, nempe tricesimam secundam, sub pede ejusdem montis Luxland terream posuimus.

Quae praescriptae duae metae distinguunt terras Dni Mariássy a sinistra, et terras Igloviensium a dextra parte habitas. Qua facta, postea directe versus meridiem praefatum montem Luxland altiorem ascendendo, in ejus montis latere dextro, penes cacumen ipsius ibidem ex terra et lapidibus simul trigesimam tertiam, novam metam ereximus. De cujus montis vertice ad praedictam plagam meridionalem paululum descendendo, prope rupes trigesimam quartam metam ex congestis lapidibus simul et terra fecimus. Abinde per easdem metas pertranseundo, et descendendo, seque modicum ad dextram flectendo, sub ipsis rupibus in principio agrorum arabilium, unam terream metam, nempe trigesimam quintam fecimus, sequestrantem terras arabiles, partem sinistram pro Máriássy, et arbores cum pratis ad dextram pro Civibus de Iglo. Postea ab eadem continuo progrediendo, in fine agrorum arabilium de Botisi, ad latus sinistrum jacentium, trigesimam septimam metam terream novam, prope viam tritam ducentem ad Altenberg ereximus. Isthinc aliquantulum eundo in terra graminosa, juxta viam eandem et rubeta, aliam metam novam terream, id est trigesimam octavam constituimus. A qua ulterius progrediendo versus dictam meridionalem plagam usque ad pedem montis, dicti Altenberg, ad dextrum latus, non magno spatio se inclinando, caput seu origo fluvii dicti Brusnik incipit, et decurrit; quo dimisso in partem dextram, in ejusdem montis pede, ad manum sinistram, ex utraque parte viae antedictae, duas metas novas, videlicet trigesimam nonam et quadragesimam ereximus. Deinde ascendendo per praefatam tritam viam ejusdem montis Altenberg, alias super Eisenbach, ad eandem plagam meridionalem, et perveniendo usque ad verticem montis praedicti, inventisque ibidem tribus antiquis metis terreis, easdem tres antiquas metas innovavimus. Postea de eodem monte Altenberg in magna declivitate descendendo usque ad vallem, et per rivulum Eisenbach pertranseundo, in qua fuit olim minera Urburarum prope dictum fluvium, pro cupro cudendo, et ibidem hactenus sunt, et jacent scoriae ejusdem cupri, quas pro meta una signavimus, et reliquimus. ut scilicet a sinistris pro meta de Markusfalva, signavimus, et a dextris pro meta Igloviensium reputetur. Dein ascendendo ad montem excelsum, sibi oppositum per petrosa loca; in hujus montis latere dextro et tanquam fissara, sive materies petrosa, et in ejus vertice, seu superficie pervenitur in antiquam viam currulem graminosam, qua postea itur per densam silvam, Glencz vocatam; quam percurrendo, et ad locum Krieg, antiquitus nuncupatum, descendendo, ubi olim fuerunt montana, ibi unam metam novam terream ad latus si-

nistrum viae protritae juxta veterem ibidem innovatam ereximus. Ab hac descendendo perveniter ad rivulum, qui vocatur Kriegseiffen, inter duos montes magnos et altos, quorum unus a sinistris, Heinenberg vocatus, pro meta illorum de Markusfalva, et alius a dextris, Stangenberg dictus, pro meta Civium de Iglo designatur. Postea transeundo inter dictos montes versus meridiem, et sequendo continuo vallem a sinistris, a qua currit aqua pradicta Kriegseiffen in magna silva, et veniendo ad altitudinem, et finem silvae ejusdem et montis, in monte seu planicie graminosa, vulgariter Brandstadt vocata, versus fluvium Nagy-Gilnicz, ubi meta una antiqua terrea est inventa, aliam novam terream metam juxta eandem fecimus. Deinde flectendo se modicum ad occidentem, pervenitur ad viam antiquam cespitosam, et lapidosam, tendentem in lapide dextro montis, supra quam a dextris ejusdem antiquae viae, unam novam metam arenosam, juxta tres veteres metas terreas et lapidosas inventas, ereximus. Demum descendendo recta infra dictam viam a sinistris, et transeundo per longum spatium, et veniendo ad dictum fluvium Nagy-Gielnicz ad . . . . . maximum, et reflexum ipsius fluvii, qui vocatur vulgo die grosse Kier, quasi per modum clipei triangulati seu brachii curvati, ubi in fine planiciei non procul ab eodem fluvio distantis, reperta est una antiqua terrea meta, circa quam aliam novam metam terream ereximus, ex opposito dicti curvati brachii, ubi metae partium praedictorum Nobilium scilicet de Markusfalva a sinistris, et Civium de nova Civitate a dextris terminantur et finiunt. Quo facto tandem dictus Thomas literatus de Jaszov pro praefato Paulo Máriássy, tanquam Procurator, coram nobis comparens, allegasset in hunc modum: Quod ex quo Reverendissimus Dnus Balthazar Melech, Episcopus Chanadiensis, unus Dominorum Commissariorum, ad quem directe mandatum Sacrae Caeae Majestatis Dni nostri clementissimi sonat, in Judicio causae, et erectione novarum illarum metarum sub monte Schwarzenberg, et ultra eundem montem usque ad Altenberg praesens non fuisset, sine quo erectio ista metarum fieri non potuisset, et quod magis est, sicut intelligunt, jam discessisset et per hoc non esset jam plenus numerus Dnorum Commissariorum: Quare cum secundum scripta jura Regni Hungariae Judicibus, non pleno numero existentibus, nullum judicium rite administrari possit; et illud, etiamsi fieret, tamen pro invigoroso reputatur: propterea nos a faciendo Judicio, sententiarum pronuntiatione, novarum metarum erectione, et superinde literarum confectione et extradatione; praefatos vero judicem, juratos amplius se judicio sistere et comparere noluisset, ex eo: quod idem in

que cives dicti Oppidi Iglo a quavis, et omni depositione juramenti, solenni cum protestatione prohibuisset, et contradixisset publice et manifeste coram Nobis. Quam ipsius protestationem, contradictionem et inhibitionem nos tanquam frivolam, et post latam definitivam sententiam, per Nos decretam, de promissis metis productas, rejecimus: nihilominus secundum Commissionem nostram judiciariam, prudentis et circumspecti Judex cum duodecim suis juratis Civibus dicti Oppidi Iglo, nostram personaliter accedentes in praesentiam, juxta formam et continentiam praetactae latae sententiae nostrae, Sacramentum juramenti legitime et singillatim coram nobis deposuerunt.

a) Nobilis Joannes Grundel de Varallia pro Igloviensibus adversus Egregium Paulum Máriássy allegavit 1-o. Qualiter Anno Dni 1573 die 22. Julii subditi Máriássy de Teplika *(sic)*, Civi suo Egidio Schveler latum campum avena consitum, sub monte Luxland positum conculcaverunt, et annihilaverunt. — 2-o. Die item 5-a 8-bris duos cives videlicet Georgium Schvarcz Lanium et Mathiam Hebenstreith in silva ipsorum Altenberg nominata, per subditos Tepliczka captivari fecerit, tres marcas a quovis extorserit, eosque ultra 20 dies detinuerit, exmissi autem paucis diebus post ex squalore et foetore Captivitatis extincti fuissent. — 3-o. Quod subditi ejusdem Anno Dni 1579. Feria sexta, circa festum Divisionis Apostolorum e prato civis Antonii Omes, juxta fluvium Heschseiffen situm, furtim foenum asportaverint. — 4-o. item Tepliczkenses et Zavadkenses in silvis Oppidanorum Iglo Schvarczenberg, Brandstadt, Tilisberg et Elenbogen vocatis infinata damna intulerint. — 5-o Anno 1579. circa Festum beati Martini Episcopi inopinatus evenerit casus, quo certus Joannes Igloviensis Juvenem Teplic zensem, in Terreno Igloviensi pascua servantem trajecisset, demum captus, non obstante interpositione Igloviensium, per Máriássianos, decolatus fuisset.

DECISIO.

Et quia dictus Paulus Máriássy neque per se, neque per procuratorem suum coram nobis tempore discussionis et examinationis praesentis causae, quam ad ulteriora procedere habuissemus, nescitur qua ductus intentione,

a) Extractive.

causam atractus, se in litem per extractum parin — actionis dictorum Actorum, et subsequentiam ad eundem Actorem proposita Nobis, ut praemissum est simplici responsione regredi, forum ipsum declinare ob hanc exceptionem, quod non essent pleno numero Comissarii, pro parte Majestatis Caesareae, Dni nostri clementissimi praesentes omnino non posset se juri et justitiae praesentem exhibere, et ea, quae in prosequutionem et defensionem causae suae proficua viderentur allegare, proponere, testes producere deberet et teneretur, absentia alicujus Commissarii non obstante; ob hoc per Nos fuisset decretum tali modo: Ante omnia binas illas causas praemissas, unam de duobus Concivibus Igloviensibus captivis, et post eliberationem suam, prout ipsi allegant ex squalore et foetore captivitatis paucis diebus mortuis, et aliam ut ipse asserit de, judicialiter decollato quamvis nos Comissarii Serenissimi Regis Poloniae, magnopere instabamus, et omnino nitebamur, ut potissimum tales causae criminales, vigore praesentis Comissionis adjudicarentur, tamen cum Dnis Comissariis Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis visum est, causam hanc contra libertates nobilitares per eos ad instantiam duntaxat Oppidanorum judicari non posse, propterea eandem causam in praesentiam praefatae Majestatis Caesareae pro cognitione sui, finali determinatione, nos unanimi consensu rejecimus. De quibus Dnus Gralis Mattem Caesaream informare, simul ac judicium cum debita exequutione dictis Oppidanis superinde administrari, sua intercessione diligenter instaturum, se obtulit. Quod autem ad conculcationem avenae attinet, potentia mediante factam, nos ut Actores actionem oculata demonstratione loci et juramenti solius personae comprobare, et praetactum Paulum Máriássy, in causam attractum, pro dicta violentia in vivo homagio, viginti florenorum Hungaricalium faciente, et eidem dumtaxat actori Egidio Schveler cedente, convinci de facto et agravari debere judicialiter adjudicavimus, et decrevimus, prout idem Egidius Schveller causam suam oculata demonstratione, et juramenti depositione coram nobis modo praemisso, satis effectualiter comprobavit. Reliquis actionibus dictorum actorum penitus et in toto ex arbitrio nostro benevolo sopitis, et condescensis.

a) Porro: Magnificus Dnus Stanislaus Thurzo contra Iglovienses sequentia proposuit 1-o. Quod illi a retroactis annis certam partem terrarum,

a) Extractive.

montium et silvarum, retro fluvium Hornad, a parte meridionali circa magnam seu publicam viam, quae ducit ex Comitatu Gömer; terrarum quidem ad sex fere jugera se se extendentes, — silvas autem ex utraque parte occidentali intra metas possessionis Smisan *(=Szepes-Sümegh)* existentes, diversis temporibus aggressi violenter succiderint, taliterque niterentur illa a Dno Stanislao Thurzo et possessione Smisan avellere, nulla curata prohibitione, birsagiatione, impulsatione pecorum etc. — 2-o. Quod idem Iglovienses, sex centenarios ferri ex malleo in fluvio Gelnicz per Igloviam devectos, potentia mediante abstulissent, et dictum malleum cum silvis occupassent, tenerentque quae tamen malleatura in metis possessionis Edeschtornya *(h. Hadusfalva)*, teste Ludovici Regis Diplomate foret. Item objectum illis est: quod Sperendorffense *(h. Illésfalu)* Molendinum in fluvio Hornat*h* occupassent, disjecissentque, locum tamen ejusdem cum terris et pratis tenerent. — Quodve subditos Thurzoianos duos miserabili nece interfecerint.

DECISIO.

Et licet praefatus Dnus Stanislaus Thurzo tanquam Actor, per Andream Andahazy, praenominatum Procuratorem suum legitimum, praeinsertas querelas, ac propositiones suas in libello contra praenominatos Oppidanos de dicta Iglo coram nobis exhibuerit, et praemissas suas querelas literali et humano testimonio se probaturum receperit, paria denique responsionis dictorum in causam attractorum pro se exceperit nihilominus, per dictum procuratorem in causam attractorum legitimis et congruis horis, praesentis termini, expectatus non venit, neque misit, sed se a facie juris et justitiae absentavit. Propter quod unanimi deliberatione nostra, dictum Dnum Stanislaum Thurzo, propter non persequutionem causae suae, in ammissione praescriptarum suarum causarum condemnari et praeattactos in causam attractos ab impetitione ejusdem actoris simpliciter absolutos, et exoneratos fore decrevimus, et adjudicaverimus authoritate nostra commissoriali. Insuper autem quandoquidem dictus Dnus Stanislaus Thurzo paeallegata loca montium et silvarum, retro fluvium Hornad*/* existentia, intra metas dictae possessionis suae, Smisan vocatae, per productionem literarum metalium existere, ad quae scilicet loca se se dicti Oppidani immitterent, docere velle, obtulerat, facere id ipsum simpliciter neglexerit, decrevimus, pro bona pace constituenda, ad instantiam dictorum Oppidanorum de Iglo praetacta loca revidere; quo cum egressi fuimus, Thomas literatus de Jaszov, Procu-

rator dicti Dni Stanislai Thurzo, veniens coram nobis Comissariis Caesareae Majestatis, nomine et in persona dicti Domini et Principis sui, per quendam libellum suum protestatus est solenniter tali modo: Magnificus Dnus Stanislaus Thurzo de Bethlehemfalva, Comes Cottus Scepusiensis proponit omni meliori forma, et dicit: qualiter in anno 1580, die vero 13 Maji Mficus Dnus Joannes Ruberus Generalis partium Regni Hungariae superiorum Capitaneus, per Egregium Jonam Zegney, eidem Mfico Dno Stanislao quondam mandatum apertum, S. Caeae Mattis. Dni sui clementissimi, praesentare curaverit; ex hujus tenore manifeste constat, S. Caeam Mattem hanc praesentem comissionem non instituisse, et quod hactenus de auctoritate, vel commissione Dnorum Comissariorum, tam Sacrae Caesareae Majestatis, quam Serenissimi Regis Poloniae partibus nil publicatum est: Item, quod Sacra Caesarea Majestas in suis literis, neque Serenissimus Archidux Ernestus ullum Comissariorum nomine, neque Serenissimus Rex Poloniae Commitatam per suas literas, qui sui Comissarii sint deputati, certificet, et alias idem Dominus Stanislaus Thurzo contra libertates nobilitares hujus Regni, contra Ignobiles judicio adstare, a nemine cogi potest: praecipue quod ipse Sacram Caeam Majestatem pro nullis Comissariis, ad sua negotia tractanda, expediri interpellaverit; constaret denique manifeste ex literis Majestatis Caesareae, eandem praesentibus Comissariis antea nullam authoritatem dedisse, cum eandem Commissionem non instituerit: Inde sequeretur, Dnos Commissarios tam Caesareos, quam Polonicos, de quorum scilicet authoritate fideles Caesareae Majestatis ante allatam Comissionem (si quae est allata) damnificasse, et Bona ab eisdem septima die Maji occupasse, contradictione, inhibitione Dni Stanislai Thurzo non obstante, contra jura legesque Regni. Procuratoribus vero suis mors praesentanea minata sit, unde servitium dimiserint, et in propria sua se contulerint, testesque adductos, et longo tempore gravissimis sumptibus invertendos, cum Dnus Joannes Ruberus certum terminum partibus dedisset, videlicet decimam diem a vigesima nona Aprilis numerando, pro habenda Comissione, nihilque allatum esset, diutius detineri non potuerunt. Et praecipue, cum a festo Sancti Adalberti identidem variatus fuerit dies Comissionis ita, ut jam plane et procuratoribus et testibus destitutus sit, quos ad diem hodiernum tam brevem et peremptorium denuo aquirere et adducere, impossibile fuit. Intellexit, quoque Dnus Stanislaus Thurzo Rssmum Dnum Episcopum Varadiensem pro supremo Commissario electum esse, cujus praesentia cum desideraretur, certum est, sine eo nihil agi, neque decerni posse, et quod Serenissima

Regia Majestas Poloniae de ista Commissione tantum ad Dnum Ruberum scripsisset, et alios Commissarios Majestatis Caesareae ne nominasset quidem; et quod praecipuum est, etiam Rssmum Dnum Episcopum Chanadiensem hodie discessisse, neque jam plenum numerum Dnorum Commissariorum esse. His et aliis legitimis ex rationibus idem Dnus Stanislaus Thurzo se huic commissioni amplius immittere non vult, neque potest; praecipue, cum non habeat fundamentum a Rege Hungariae, Dno suo Clementissimo, sed vult uti et gaudere juribus et libertatibus Regni. Quare Dnis Commissariis, solenniter super omnia protestando publice et manifeste, hic et ubique locorum contradixit, atque iterum iterumque prohibet ab executione, vel discussione aliquali contra ipsum vigore publicarum Constitutionum Regni. Item a nova erectione metarum, sententiarumque pronunciatione, juramentorum depositione, testiumque exactione, et literarum, super erectione metarum extradatione referens haec omnia, et se ipsum ob causas praemissas ad futura generalia Regnicolarum Comitia, primitus celebranda, —

Quibus nos simpliciter non curatis, ad ulteriora procedendo, dicti Oppidani de Iglo metas suas a parte possessionis, Smisan vocatae, Nobis hoc ordine demonstrassent. Primum ex Oppido Iglo per publicam viam ex Iglo versus pagum praedictum Somogy *(h. Szepes-Sümegh)*. Dnorum Thurzonum possessionem, vel e contra ducentem, eundo, juxta eandem viam vertendo se ad meridionalem plagam, constitimus in dextera parte agrorum arabilium; segetibus hyemalibus pro tunc per Iglovienses conseminatorum, in initio loci cespitosi, vulgo Mesgie vocati; hic locus pro meta antiqua habetur, dividitque et distinguit agros a dextro Colonorum de eadem Somogy, a sinistro vero civium Igloviensium, quo loco cespitoso directe continuo et longo spatio pervenitur usque ad viam tritam, circa quam praefatus locus cespitosus terminatur; et hanc viam pertranseundo devenitur recta ad vallem ad dictam plagam penes apiarium Benedicti Salamon, civis Igloviensis, et per graminosum locum juxta pratum a sinistris donec devenitur ad fluvium dictum Hornath, atque illum transeundo et continuo directe versus meridiem eundo, incidit in quandam valliculam seu fossam, quae vallicula, cum se directe aliquantisper extendat, et sit cum agris arabilibus, ex utraque parte adjacentibus continua, dividit et separat agros eosdem, a sinistra Igloviensium, a dextra vero Somogyiensium, et pro meta reputatur. Dein illa finita transit in alium cespitosum seu graminosum tractum, latitudinis fere quatuor ulnarum, qui similiter atque vallicula

*

praedicta pro meta antiquitus ex utraque parte horum agrorum arabilium, designatur, eo autem tractu, ad praefatam plagam recta procedendo, devenitur, deinceps praetereundo apiarium a sinistro, relictae cujusdam Georgii Schvarcze Igloviensis, in unam vallem profundam, qua etiam derivatur rivulus, Cingierton Seiffen dictus. Hinc sursum ascendendo in montem directe, et itur continuo eodem graminoso tractu satis lato, et notabili pro meta designato, inter arabiles terras eorundem, continuo se protendentes, Igloviensium a sinistro, Somogyiensium autem a latere dextro usque ad viam tritam, quae ducit ex silva Colonorum de Somogy versus Iglo; tandem paululum se flectendo ad dexteram versus occidentem, ubi incidit alia trita via, dividens agros praetactarum partium, ea descenditur usque ad vallem, qua decurrit alius rivulus, dictus antiquitus Veidenthauseiffen, ex silva Diebsthal ab occidente versus orientem pro meta semper ab antiquo designatur, et in quo rivulo, quantum ad agros et prata, jam terminatur, et finitur meta Somogyiensis; et se vertendo ad occidentem erit terminus hujus metae a dextro, et dein ex parte ejus altera incipit alia meta montium seu silvarum liberarum, cum quibus continuantur Igloviensium metae. Hunc rivulum pertranseundo, et declinando de via ad graminosa loca modicum, ad plagam occidentalem pervenitur, in principio silvae in monte dicti Eschberg excrescentis ad unam veterem metam terream, in cujusdam montis pede factam, in cujus metae dextra parte inchoantur silvae liberae et Regales, omnibus Igloviensibus et aliis pagis proximioribus, a Regibus Regni Hungariae in usum et excissionem liberam lignorum, antiquitus donatae, a sinistra vero Igloviensium propriae. Ab hac directe ascendendo, et continuo eundo inter rubeta, pervenitur ad fontem quemdam, vulgariter Faulbrun vocatum, sub eo monte Eschberg derivantem, qui pro vera meta semper habetur. Isthinc directe sursum ascendendo ad eundem modum, est inventa in eodem una antiqua meta, facta de terra et lapidibus, quae, ut priores, distinguit a dextris silvas praedictas liberas, a sinistris vero Igloviensium proprias. Dein superius adhuc ascendendo in eodem monte, est alia meta terrea antiqua reperta, non procul a prima posita, faciens praedictam rectificationem metarum. Abinde ascendendo ad dictum montem usque ad verticem fere ejusdem, et transeundo per quandam silvestrem viam, de praefatis silvis liberis venientem et in Iglo ducentem, ipsaque via continuo eundo flectendoque se ad sinistram versus meridiem ad jactum unius lapidis, pervenitur postea in aliam lapidosam protritam viam, juxta quam a dextro demonstrata et reperta est

una antiqua terrea meta, dividens similiter, ut priores, a dextro liberas silvas, et sinistro Igloviensium proprias. Hac continuo procedendo, itur eadem antiqua via graminosa juxta praedictam silvam liberam, vocatam Diebsthal, a dextris: dehinc eadem via itur usque ad montem Beregrund vulgariter vocatum, et pro meta semper habitam versus occidentem, ubi a dextro etiam continuo sunt silvae liberae, a sinistro autem Igloviensium. Postea proceditur in dicti montis vertice, nunc descendendo, nunc ascendendo ad aliam quandam viam tritam, lapidosam, tendentem ad sumitatem montis, Bernkopffen nominati, quae ex utraque sui parte silvas praedictarum partium dimetitur. Inde procedendo pervenitur eadem via in silvam, Ludich dictam et paululum ibidem flectendo se ad dextrum latus, inventa est una terrea meta antiqua et notabilis, posita juxta truncum pini; ab hoc contiguo directe ad plagam occidentalem procedendo, in ejusdem silvae vel montis latere dextro pervenitur ad aliam unam veterem metam, ex terra factam, ubi olim fuit magna fagus, a qua fago etiam hactenus ista meta cognominatur bey der Buch. Ab inde descendendo, et modicum flectendo se ad sinistram, devenitur in illam antiquissimam et publicam viam, vor die Hell nominatam, ducentem versus Dobschinam, et Rosnaviam, quae via semper designatur pro meta, in qua liberae silvae finiuntur; et ibidem in ejusdem viae loco in metis Igloviensium et Somogyiensium conveniunt. Hac tandem via publica continuo, et longissimo tractu usque ad fluvium Nagy-Gi*e*lnicz eundo, separat eadem via dictorum Igloviensium a Somogyiensibus et possessione Ede*sch*tornya *(h. Hadusfalu)* metas, ita tamen, ut quod est a sinistro ejusdem viae publicae Igloviensium, a dextro autem Somogyiensium, et possessionis *E*destornya, antiquitus vocatae, et in dicto fluvio praedictarum partium metae finiuntur, et terminantur. In quorum omnium, ut iidem Oppidani de Iglo praetenderent, metarum suarum usu quieto et pacifico Dominio cum se se perstitisse, et etiamnum ipsos persistere assererent, ob id metae praedictae pro eisdem Oppidanis de Iglo, quemadmodum sunt per eos, et per testes ipsorum demonstratae, et supra insertae, eo quod a multo tempore sic stetisse, et pro metis fuisse dicantur, in eodem statu deinceps manere debebunt, ut in earum usu Dnus Generalis Caesareae Majestatis Capitaneus Oppidanos de Iglo defendere et manutenere se obtulit. De praedio autem, Edeschtornya vocato, conclusum est, quod ex quo non obscure apparet ex literis impignoratitiis Incolarum de Sperendorff *(h. Illésfalu)* coram nobis productis, suam dimidietatem praedialem in parte aliqua duntaxat Oppidanis de Iglo fuisse oppignoratam, et

evictionis cautionem Incolas de Sperendorff in se tunc recepisse; propterea ibidem incolae possessionis Sperndorff etiam deinceps et oppignorata illa portione Oppidanos de Iglo contra impetitores defendere tenebantur; eisdemque evictoribus dictus Dnus Generalis quoque secundum jura auxilio defensionis adesse velit.[a]

CCCIV.

Causa Villae Michaelis, Poprad, Villae Matthaei, Varallia, Olasz.

QUIDAM Inhabitatores Oppidorum Villae Michaelis, *(= Sztrázsa)* Poprad, Villae Matthaei, Varalliae et Olasz, subditi Serenissimi Regis Poloniae coram nobis querulose exposuerunt: Qualiter Anno Dni 1563. Egregius Petrus Feigel, Provisor Arcis Scepusiensis, et alter Officialis Mfici Dni Stanislai Thurzo, Dobrogosd vocatus ex Commissione praedicti Dni Thurzo fundis, per eosdem Oppidanos certo pretio a subditis ejusdem conductis, seminaverunt, postquam eas demessi fuissent, et in acervos colocassent, illas sub gravissimis minis prohibuissent, primum ne abducerent, deinde postquam multis precibus, ac muneribus, quasi placassent animum praefati Petri Feigel, jurejurando promisisset eisdem, ut omnes fruges saltem ad Villam Eisdorff *(=Zsákócz)* quae ad arcem Scepusiensem pertinet, ducerent, ibique deponerent, ipse cum Mfico Dno Thurzo ita de hoc negotio tractare vellet, quod ne unum quidem manipulum de frugibus suis essent amissuri, et hisce juramentis ac promissis Feigeli persuasi, fruges praememoratas totaliter ad possessionem Eiszdorff abduxissent, ibidemque deposuissent apud Dni Thurzo subditos. Verum nil unquam vicissim rehabere potuerunt. Imo quando de praemissis Feigelium admonuissent, turpissimis vituperiis a se repulit. Quantum vero cuilibet ex iisdem Oppidanis et adhuc superstitibus sit acceptum breviter annotassent hoc ordine: de Villa Michaelis, Stanislaus Stieber duxit ad Eiszdorff hordei gelinas viginti quinque, et avenae gelinas 25. Emericus Hilary avenae 13. De Villa Matthaei

a) Plures alias Procurator Igloviensium recensuit violentias, quas subditi Dni Thurzo commisissent. Quia vero particulares duntaxat sunt, resecantur.

Martinus Clementis duxit ad Eiszdorff hordei gelinas 31. Nicasius Jost hordei gelinas 12. Johannes Josd hordei gelinas 12. Michael Wolf hordei gelinas 18 et avenae gelinas 18. Jacobus Raab hordei gelinas 4. De Poprad alias Villa Germanorum Ambrosius Thern duxit gelinas hordei 40. avenae gelinas 18. Blasius Scherfel gelinas avenae 80. Antonius Firtsch gelinas hordei 19 et avenae gelinas 19. Calixtus Roth avenae gelinas 75. Thomas Fasko hordei gelinas 16. avenae gelinas 25. Theis avenae gelinas 10. Mathias Marci gelinas hordei 33. avenae gelinas 46. Simon de Platon hordei gelinas 6. avenae gelinas 60. Gallus Simonis gelinas hordei 10. avenae gelinas 40. Felix hordei gelinas 12. avenae gelinas 13. Simon Thern avenae gelinas 60.[b] De Varallia in terris Velbachiensibus acceptae a Nicolao Utrata siliginis Capetiae 20. a Petro Moldner siliginis capetiae 75. ab Egidio Laneo siliginis capetiae 65. a Janko Polak Tritici et Siliginis Capetiae 320. De Olaszi a Balthasaro Lanio gelinas avenae 25. et panicum totale, quod erat seminatum in septem jugeribus terrarum. A Joanne Sperg mixti tritici capetias 34. et siliginis capetias 7. panicum in 7 jugeribus, hordei 4 jugera, lentes duo jugera, avenam in duobus jugeribus terrarum satam; a Christophoro Zobel capetias tritici 33. a Martino Lanio in terris Velbachiensibus Capetias tritici 36. Iste Concivis quondam cognatum suum Joannem Kurcz, Civem Leutschoviensem misisset ad Petrum Faigel supplicatum pro restitutione frumenti ipsum tanquam intercessorem cum tali responso dimisit, quod sub amissione fidei et honoris sui non auderet quidpiam de frugibus reddere, ostenditque intercessori litteras Dni Stanislai Thurzo, quibus redditionem prohibuisset. De Varallia autem et Olaszi omnes fruges ductae sunt in Allodium Dni Thurzo in Nadasd, *(= Trsztyán)* et nonnullae ad allodium in Zigra; petentes dicti Oppidani, ut illis justa impenderetur satisfactio. De quibus per nos decretum est, quod cum Dnus Stanislaus Thurzo ad praemissam querimoniam respondere, et juri stare noluisset, ideo praenominati Cives dictorum Oppidorum damnificati 12-a die futuri mensis Junii in Capitulo Scepusiensi coram Dni Gralis ad id deputatis hominibus, quilibet scilicet eorum sola sua in persona juramentum de ademptis suis frumentis praestare, quod si qui eorum ab hac luce decessisset, aut forte decederent, juramentum haeres bonorum defuncti major natu praestabit. Quo facto Dnus Stanislaus Thurzo teneatur ipsis Oppidanis de praescriptis eorum damnis satisfacere, ipso pariter facto.[c]

b) Correspondent nostris ita vocatis mandelionibus.

c) An eisdem eatenus sit satisfactum, me latet.

CCCV.

Causa Felkensium cum Paulo Máriássy.

INTER Egregium Paulum Máriássy ab una, et Oppidanos Serenissimi Regis Poloniae de Filka, partibus ab alia, orta fuit quaedam differentia, ratione et praetextu cujusdam particulae terrae, quae est in terminis sive, metis possessionis Batisfalva, et praedii Chetenie vocatorum, (de quo praedio Chetenie, dicti Oppidani de Filka, annuatim ipsi Mariassio, tanquam proprietario, tres aureos dare consueverunt), in hoc Comitatu Scepusiensi existentium. Ex quibus ultro citroque violentiae, injuriae damnificationes, et alia malorum genera fuissent inter partes suscitata, atque coram Nobis in libello ad cognoscendum, pariter complanandum propositae. Quas cum revidere, et decidere voluissemus, partes ambae locum illum litigiosum Nobis primum demonstrassent. Tandem eos nobis ad pacem amplectendam monentibus, et eam obviis ulnis excipiendam, universas causas et lites contra alterutrum, qualitercunque hactenus motas, totaliter sopivimus. Illa vero particula terrae in dicto praedio, Chetenie vocato, quae olim quidem fuerat graminosa, et consita arbusculis, et per subditum Máriássy Petrum Schauser, exstirpata, et conseminata, eidem Paulo Máriássy consentientibus dictis Oppidanis, propter bonum pacis, per nos est attributa, ea ex voluntate libera partium, distinctione cum erectionibus metarum inter Oppidanos de Filka ab una et dictas possessiones Batisfalva, et Gerlachfalva et praedium Chetenie, paribus ab alio fecimus in hunc, qui sequitur modum. Primum igitur, cum exivissemus ex Oppido Filka usque ad fluvium, vulgariter Rothwasser nominatum, in plaga septentrionali, non longe a pago Gerlachfalva, qui fluvius habetur ab antiquo pro meta, et distinguit possessionem pagi Gerlechfalva ab Oppidanorum praedictorum possessione, pervenimus. Inde vertendo se, et procedendo ab ipso fluvio, ad Meridiem transeundo, per viam tritam pervenimus in cespitosum locum notabilem, vulgariter Mesgie, sive Reen, alio nomine Kolstadt nominatum, supra eandem viam in initio agrorum arabilium jacentem, qui locus semper ab antiquis temporibus designatus pro meta et nunc etiam prima meta terrea in ipso est noviter erecta, ubi a dextris agri sunt de Gerlachfalva, a sinistris autem illorum de Filka. Hinc itur eodem loco cespitoso ad praedictam plagam, in quo erecta est secunda

terrea meta; abinde eodem tractu procedendo, et in vallem descendendo, in eadem valle tertia meta facta; ab hac transeundo per quendam rivulum, Kolseiffen dictum, et ascendendo, perveniter ad metam terream quartam, per eosdem Comissarios erectam. A qua eundo, et longius procedendo usque ad locum, Schair appellatum, in quo facta est quinta meta. Inde progrediendo directe ad eandem meridionalem plagam, inter rubeta sexta terrea meta est erecta. Ab hinc in eisdem rubetis eundo continuo ad meridiem, septima meta est facta. Ab hac ulterius progrediendo inter rubeta praedicta, et transeundo alium fluvium Goltseiffen nominatum, in quo metae illorum de Batisfalva incipiunt, posita est ibidem octava nova meta. Isthinc remotius eundo ad locum, Durstseiffen nominatum, pervenitur ad metam novam erectam, dividentem possessionem a dextris de Batisfalva, a sinistris vero eorum de Filka. A qua, eodem praedicto tractu ulterius inter fata rubeta progrediendo, pervenitur ad viam brevem Kurzenweeg dictam, ubi facta est decima meta. Hinc eundo usque ad fluvium, Filkvasser dictum, juxta eundem est posita undecima meta. Inde procedendo ad alium locum, Gichtberg nominatum, et transeundo rursum alium rivulum, decurrentem de Batisfalva, ibidem facta est duodecima meta. Ab hac meta continuo eundo et veniendo ad aquosum quoddam pratum, Nasseviesz nominatum, ibidem meta tredecima nova est erecta. Inde directe eundo usque ad viam silvosam, juxta quam meta quatuor decima est posita, a qua veniendo ad mediam quandam aliam silvosam viam, in eodem aquoso prato est erecta decima quinta meta. Dein pervenitur ad longam viam, versus Batisfalvam tendentem ubi a dextris ejusdem longae viae est posita decima sexta meta; quam viam longam transeundo directe versus meridiem, incipiendo a cespitoso loco, protendunt se antiquae metae Filkensium propriae cum particula terrae Chetenie dicta usque ad fluvium Poprad. Inde revertendo se ad praedictam decimam sextam metam, a dextro viae praefatae factam, et eundo eadem via in continuo ad Batisfalvam, spatio longo versus occidentem, in cujus parte dextra est possessio de Batisfalva, in sinistra vero Filkensium particula terrae praedictae, Chetene dictae, continuatur. De qua via ad latus sinistrum eundo, et flectendo se paululum ad meridiem, pervenitur ad particulam terrae litigiosae, noviter per quendam Petrum Sauser de Batisfalva extirpatam, juxta quam est erecta nova terrea decima septima meta. Dein vertendo se ad occidentem in medietate, quantum ad longitudinem ejusdem particulae terrae litigiosae, posita est decima octava meta. Hinc ulterius progrediendo, in fine dicti agri alia meta nova,

videlicet decima nona et ultima facta est; et ab eadem meta directe eundo inter rubeta a dextris illorum de Batisfalva et a sinistris illorum de Filka, possessiones et metas distinquentium per antiquam viam, in litteris metalibus seu privilegialibus de Filka expressam, pervenitur usque ad fluvium Poprad*t*, ubi etiam olim fuit pons, in eodem fluvio factus, et ibidem metae civium de Filka, respectu praefatae portionis, Chetenæ emptae, terminantur.

CCCVI.

Causa Popradiensium contra Schavnikienses.

QUERULABANTUR Cives de Poprad contra subditos Praepositurae Schavnik, in possessione Kubach, qui nunc pignoris titulo tenentur ab Egregio Sebastiano Tökeli, quod ii privata potentia, et per longam temporis protractionem, ab iisdem Civibus de Poprad*t* metas eorum proprias, sub monte Weissenberg abalienare, sibique appropriare nituntur, in manifestum jurium eorum detrimentum. Et quamvis annis superioribus cum vicinis suis Leutschoviensibus, advocatis, Vice-Comite, et multis Nobilibus Comitatus Scepusiensis, metas illas rectificare vellent, Egregius quondam Mathias Lubatowski, tunc Capitaneus Arcis, Civitatisque Késmark, et Provisor pertinentiarum dictae Praepositurae Schavnik, Vice Comitem et alios nobiles, in loco contentioso sub monte Weissenberg praesentes, ab omni rectificatione, reambulatione et erectione metarum prohibuisset propterea, quod Magnificus Dnus a Laszk*o*, Dnus praetactae possessionis haereditarius, esset absens, et sic re infecta discessum fuisset. Interea vero Oppidani de Poprad*t* silvis ac foenilibus cum magno eorum damno carere coacti fuissent; instantes propterea apud Nos, ut eos in justis eorum juribus conservaremus. Ad quae quidem loca revidenda, juxta literas metales, ibidem per Popradienses et Leutschovienses productas et perlectas, quamvis accesseramus; verum quia Melchior Alcznovszki, Officialis pertinentiarum Schavnik, in personis dictorum Sebastiani Tökeli et Alberti Laszki proposuit: Quod Dnus Albertus a Laszk*o* annotatam possessionem Kubach eo, quo praetactum est, modo, etiam nunc apud manus alienas in pignore habet, qui de legibus et consuetudinibus Regni hujusmodi rectificationem extra consensum

dicti Dni haereditarii nisi prius eum penes se, pro evictoria cautione in se recipienda, admonuissent et citassent facere nullo modo queat, et alias neuter dictorum Dnorum in Comissionem praesentem assenserit, ideoque ad respondendum non teneretur. Quapropter per nos conclusum est, ut quaelibet partium praedictarum antiquum ipsorum usum in dictis locis pacifice continuare debeant, et inter se in bona vicinitate vivant, donec per modum concordiae aut judicii praescripta inter eos determinata fuerit differentia.

CCCVII.

Differentia inter Leutschovienses et Rusquinocenses.

AGEBATUR de quadam differentia trium metarum inter Cives et Incolas Civitatis L*eiczo*viensis, ac Oppidanos de Rusquin, quas Officiales Castri Liblo praetendebantur, disjicere fecisse potentia mediante, et petebant Cives L*eiczo*vienses, ut dictae metae eorum tanquam verae et propriae, ipsis restituerentur, et renovarentur eo, quod ipsi ex Territorio, et metis dicti Oppidi Rusquin nihil ademissent, neque quidquam sibi ipsis appropriassent; id quod praefati, in causam attracti, Juramento Judicis et Juratorum Civium ante dictae Civitatis Leiczoviensis modo praetacto in facie dictarum metarum praestando submisissent, et nos quoque ad justa postulata Oppidanorum de Rusquin eosdem Judicem et Juratos Cives antelatae Civitatis Leiczoviensis decimo tertio se modo, quo praemissum est, juramentum praestare debere, pro aequitate decrevissemus, et ad exaudiendum hujusmodi juramentum nostros homines expedivissemus, coram quibus dicti Judex et Jurati Cives praelibatae Civitatis Leiczoviensis juramentum quidem praestare voluissent, verum dicti Oppidani de Rusquin penitius rem considerantes, praenarratam depositionem juramenti, saepe dicto Judici et juratis Civibus dictae Civitatis Leiczoviensis sponte et libere relaxassent, et condonassent, et easdem tres metas ipsis reliquissent. Ut autem de cetero bona vicinitas conservetur, et firma limitatio metarum inter dictas partes constituatur, ex pari utriusque partis consensu et voluntate, talis secundum demonstrationem testium inter ipsos facta est metarum

*

distinctio, perpetuo duratura. Prima itaque meta incipit juxta fodinam argillae in Hermansgrund penes aquam, quae terras Civium de Leicza *(= Löcse)*, et Colonos de Rusquin distinguit. Inde ascendendo trans viam ad sinistram in Lorinczgrundt *(sic)* secunda meta terrea paululum ascendendo in praedicta valle Lorinczgrundt ad sinistram viae partem, sub tuberculo collis tertia meta terrea. Et inde in praedicta valle Lorinczgrundt juxta pinos arboris quarta, vicissimque ad latum pratum in loco ubi cespitosus tractus finitur, quinta meta terrea et paululum supra in loco Geol *(sic)* sexta meta terrea, a qua descendendo usque ad Handuo *(sic)* aquam, supra tractum cespitosum, vulgo Reen vocatum, septima meta terrea. Ab hinc eundo secundum magnum tractum cespitosum usque ad circumseptum fontem, alias Schrawbron, de quo secundum tractum usque ad parvum tractum cespitosum, vulgo Re*h*en, supra quem intra dumeta, sive rubeta octava terrea meta. Directe abhinc infra viam nona terrea meta, Gotlak vocata. Ab eadem iterum recta versus montem in colle Notthiebel, decima terrea meta; post quam undecima terrea meta, Olkrypel *(sic)* vocata, existit. Ab eodem Olkrypel transitur per montem usque ad metam duodecimam, Monbles *(sic)* vocatam, quae ad jactum lapidis a via inveniri potest. Ab inde recte itur ad novam viam sub Platano, alias *O*horn, ad sinistram viae partem, quae videlicet tendit ad Schvellenseiffen, ubi decima tertia meta terrea. Ab eadem ascendendo eandem novam viam usque ad rivulum Schvellenseiffen, penes quem tres metae terreae sunt erectae. Prima quidem, ubi ex Leucha ascenditur, est Civitatis Leucha, media Colonorum de Rusquin, ultima Civium de Leubicza, et ibidem fines, sive metae Civium de Leucha *(= Löcse)* atque Rusquiniensium terminantur.

CCCVIII.

Differentia Leibitzensium cum Jacubjanensibus et Hundertmark.

LEIBITZENSES[a] medio Procuratoris Joannis Grundel questi sunt adversus Egregium Stephanum de Berzevicze, quod anno 1577. per subditos suos de Hundermark *(h. Hodermark)*, in montibus ipsorum

---

a) Extractive.

Timnicz vocatis gramen falcari, et avehi curasset. — E contra Stephanus Berzeviczi conquestus est, quod Leibiczenses suas metas possideant, potentia mediante.

DECISIO.

Auditis itaque partium allegatis et responsis, cognitis quoque earundem tam literalibus documentis, quam vivorum hominum testimoniis, unanimiter decrevimus cum consensu praedictarum partium, controversias istas, per novam erectionem aliquot metarum, esse dirimendas et componendas: quemadmodum etiam factum est in praesentia partium modo infra scripto: Primum veniendo ad montem Semene, alias Polana, sive Timnicz vocatum, venitur in angulum montis, quem Leibiczenses Mikrenkel (*sic*) vocant, pervenitur ad unam magnam metam, quae est in valle penes parietem metalem Jacabvagassa, et transeundo ab eadem, per vallem ascendendo montem, ibidem antiqua meta renovata, et pro prima est posita. Ab hac procedendo versus meridiem per dorsum montis secunda, de qua paululum progrediendo in ejusdem montis latere quarta meta terrea supra vallem est erecta. Et istae quatuor metae factae sunt, sine derogamine et laesione juris ullius partis. Hanc vallem profundam transeundo ad alium montem, ubi incipiunt metae Leibiczensium, et Hundertmark, prima meta inter eosdem est erecta; de qua directe descendendo per silvam densam tertia, et tandem ulterius in valle quarta; et in profunditate vallis procedendo quinta. Ab hac procedendo ad rivulum sub monte Saitblichberg (*sic*) super ejusdem ripa, sexta et ultima meta terrea est erecta. Eundem rivulum transeundo per parvum collem venitur ad alterum rivulum, Helle vocatum; is per defluxum, donec cadit in alterum fluvium Lumnicza cum eodem perennaliter et ab antiquo distingvit metas villanorum de Hundertmark a dextris et Civium de Leibicza a sinistris.

CCCIX

Lis inter Podolinenses et inter Nobiles Christophorum, Vice-Comitem, nec non Ladislaum et Benedictum Görgey, ratione silvarum composita, ut sequitur.

HIS itaque auditis et perceptis (pro et contra allegationibus) literisque privilegialibus, et testibus per partes productis, ac diligenter examinatis, nos quidem super praemissis judicium facere voluissemus: ex partium tamen consensu, ad bonam pacem inclinantium, imprimis universas causas et lites, inter ipsos utrinque antea motas, simpliciter et in toto cassavimus, et annihilavimus. Dein autem, quia dicti Nobiles de Görgey suam actionem praeinsertam, sufficienti numero testium, praecipue autem supra dictos montes, silvas, ac valles, incipiendo a dicto monte Javor una cum valle foenili, usque ud fluvium lapideum, usumque continuum eorundem locorum penes literas ipsorum metales, libere et pacifice continuasse, comprobarunt ab eoque monte usque ad fiuvium dictum Poprad vicissim praescriptos Oppidanos de Podoliniecz per plures annos in usu terrarum arabilium, ac pratorum repertos esse, comperiebamus manifeste; ob hoc dictos montes, silvas et valles, ab monte Javor incipiendo, et inde descendendo ad rivulum Lomnicz, alias *v*erlorenwasser, usque ad montem lapideum, qui mons situs est inter villam Toporcz et praedium Leibicz nuncupata, praefatis Nobilibus de Görge jure perpetuo, et irrevocabiliter tenendum, et possidendum, alias vero terras arabiles et prata, a praedicto monte lapideo immediate subsequente, usque ad saepedictum fluvium Poprad, apud manus dictorum Civium de Podoliniecz sicuti iidem hactenus possederunt, relinquimus, et inter dictas possessiones Nagy Toporcz et Civitatem Podoliniecz nostra annuentia et partium utrarumque consensu unanimi pleno modo admissa, talem fecimus distinctionem metarum. Et primum conferendo nos in montes, et silvas Javor et Kolong dictas, perveniendo ad montem Javor*i* dictum, directe ubi conveniunt metae trium possessionum et Commetaneorum, una Oppidi Podoliniecz, altera Nobilium de Toporcz, et tertia de Lipnicza. In cujus montis latere seu aclivitate versus meridiem, duas terreas metas novas, quarum una denotat possessionem praefati Oppidi Podoliniecz, alia vero pagi Toporcz ereximus. A quibus ulterius procedendo, et recta in vallem profundam ad eandem plagam meridionalem descendendo, in qua decurrit rivulus Lechnicz *(sic)* alio nomine *f*erlorenwasser dictus, quem tran-

seundo et recta in alium montem ascendendo, in ipsius latere novam metam tertiam de terra posuimus, in cujus metae sinistra parte sunt silvae, montes possessionis Podolin, a dextra vero praefati Pagi Toporcz. Abinde ulterius eundo similiter in eadem plaga et per eandem silvam, et transeundo quandam semitam antiquam in latere ejusdem montis quartam terream metam fecimus. De hinc continuo procedendo, et descendendo in unam magnam vallem, ubi quidam rivulus defluit, et de eadem ad alium montem ascendendo supra quandam vallem in latere, seu aclivitate hujus montis ereximus quintam terream metam, in longo spatio ascendendo supra vallem continuo, quae est a sinistris, per quandam silvam ad praedictam meridionalem plagam in latere montis posuimus sextam metam de terra factam. Hinc ulterius recta ascendendo supra dictam vallem, et in eadem silva septimam (*metam*) ibidem fecimus, ubi continuo sunt possessiones Podoliniecz a sinistris, Nobilium vero de Toporcz a dextris. Isthinc non longe ascendendo supra eandem vallem et plagam, ubi in monte posuimus octavam terream metam. Dein paululum procedendo, et descendendo de eodem monte, in cujus declivitate ereximus nonam metam. A qua ulterius procedendo in eodem monte continuo supra vallem, quae est a sinistris, et descendendo de monte in dictam vallem in latere seu declivitate ejusdem montis, antequam pertransiretur vallis fecimus decimam de terra metam. Abin directe descendendo in eandem profundam vallem de eodem monte, in cujus montis declivitate aliam metam nimirum undecimam posuimus. Inde dictam vallem et in ea rivulum defluentem transeundo, et in altum alium montem per densam silvam directa ad eandem meridionalem plagam ascendendo, ubi in aclivitate seu ad latus hujus montis erecta est duodecima meta, ex cujus parte dextra continuatur possessio de Toporcz, a sinistra vero Oppidi Podoliniecz. Ab hinc eundo continuo supra dictam vallem, a sinistris existentem, in latere ejusdem montis, et ascendendo directe ad eundem montem altum, in cujus vertice seu cacumine decima tertia meta terrea per nos est facta. Inde in vertice ipsius paululum procedendo, et iterum descendendo de eodem ad latus sinistrum, in cujus latere vel declivitate posuimus quatuor decimam terream metam. Hinc continuo descendendo in aliam profundam vallem, qui locus etiam vulgariter Kohlung dicitur, et in qua valle rivulus quidam derivat, in eadem valle ad rivulum ereximus decimam quintam metam. Tandem eandem vallem et rivulum transeundo, ascendendoque directe in quendam monticulum, in quo posuimus decimam sextam metam. De quo iterum in praedicta plaga per silvam eundo, et a

dextris super aliam vallem in latere montis descendendo, decimam septimam metam fecimus. Ab hac in profunditatem dictae vallis perveniendo, ipsamque et rivulum, dictum Kohlung, transeundo, ascendendo dein in alium montem directe ad eandem plagam, in cujus latere seu aclivitate est posita decima octava meta. Inde altius eundo, montem ascendendo, et flectendo se modicum ad dextram, pervenitur usque ad verticem ipsius, in cujus vertice ad sinistram fecimus decimam nonam metam. Demum infra verticem continuo eundo ad latus sinistrum dicti montis, et pervenitur ad alium lapideum montem, qui est situs inter villam Toporcz et praedium Lechnicz, prout in literis metalibus Dnorum de Görgei, quem locum Podolinenses nominant unter dem Stein, in cujus montis cacumine vigesima meta terrea est erecta. Ab hac descendendo in lapideo monte, et ejusdem aclivitate vigesima prima meta, in petra cruce signata haberetur, cui etiam additus est alter lapis cruce signatus. Ab ista meta lapidea descenditur recta ad montem, quem Podolinenses hinter dem Emrich vocant, et in ejusdem tractu vigesima secunda, vigesima tertia, vigesima quarta, vigesima quinta, vigesima sexta et septima metae erectae sunt terreae. Ab his pervenitur ad montem Steinroth, ibidemque per exigua intervalla et distantias vigesimam octavam, vigesimam nonam, trigesimam, trigesimam primam, trigesimam secundam in tractu et latere montis, Steinroth dicti, metae terreae sunt erectae. Abhinc progrediendo ad locum unter die Guhr, ubi trigesima quarta meta, a qua pervenitur ad contiguitatem terrarum arabilium Toporczensium et Podolinensium, quem locum partes Stumff vocant, ubi trigesima quinta meta terrea est erecta. Deinde progrediendo per montem inter arabiles utriusque partis, per exiguam distantiam, trigesima sexta, trigesima septima, trigesima octava metae terreae sunt erectae. Post has progrediendo in continuitate agrorum arabilium utriusque partis in descensu montis trigesima nona meta terrea, in quodam prato est posita: a qua pervenitur ad loca graminosa sive prata, quae in planicie terras arabiles Civium de Podolin et Toporcz distinguunt, ibidemque quadragesima meta terrea: de qua per quandam valliculam, ad Podolin tendentem, ubi quadragesima prima, et dein non longe a fodina, ubi Toporczenses limum sive argillam fodiunt, ubi quadragesima secunda meta terrea. Et inde paululum progrediendo usque ad fodinam praedictam Toporczensem, juxta eandem quadragesima tertia meta terrea est erecta. Ab hac penes quoddam fossatum commune in pede montis Humelsberg, (*sic*) quadragesima quarta meta terrea. Ab hinc ascendendo verticem montis in

eodem monte, Humelsberg vocato per breves distantias, quadragesima quinta, quadragesima sexta et quadragesima septima metae terreae sunt erectae. A quibus progrediendo inter duas vias in pratis quadragesima octava in medio montis meta terrea. A qua discedendo per valliculam, Schlichtichen vulgo dictam, penes eandem quadragesima nona meta terrea. Ab hac progrediendo sub pede ipsius montis Kis Toporcz quinquagesima meta terrea in transeundo juxta bivium, ubi altera via ad Misca-Lomnicza, altera ad Kismark vadit quinquagesima secunda meta terrea; et non longe progrediendo juxta eandem viam, ducentem ad praedictam Lomnicza quinquagesima tertia et ultima meta terrea est erecta, et constituta. Et sic metae Podolinenses, ac utriusque Toporcz terminantur. Ut igitur omnia supradicta et quaevis praemissorum singula robur sortiantur firmitatis, unanimiter per nos decretum est: Quod Mficus Dnus Generalis Capitaneus Sacrae Caeae et Regiae Majestatis, quatenus ad fideles ejus Majestatis subjectos, et e converso, quod ad subditos Serenissimi Regis Poloniae attinet, Dnus Capitaneus Libloviensis, pro tempore constitutus, de Judicatu solvendo, per omnia oportuna remedia debitam exequutionem facere possint et valeant, authoritate nostra Commissoriali, per nos vigore praesentium ipsis concessa, ipso pariter facto. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas nostras, sigillis nostris usualibus atque manuum nostrarum subscriptionibus communiri voluimus. Datum in possessione Toporcz Comitatus Scepusiensis, prima die mensis Junii. Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo. Locus sigilli usualis parvi, Chartae subimpressi. Joannes Ruber m: p:

Nota: secundus locus ab eodem sigillo pro imprimendo sigillo cum supposita cera paratus quidem, uti etiam pro subscriptione vacuus relictus reperitur, sed sine impressione sigilli et subscriptione fors absentis unius Comissarii Caesarei. Tertio sigillum apparet impressum prouti primum, cum subscriptione Joannes Pazutt m : p : Quarto loco Comissarii Serenissimi Regis Poloniae sigillum impressum, cum subscriptione Stanislai Saffraniecz m : p : Quinto loco sigillum pariter impressum cum subscriptione : Christophorus Komorovszki mp : Sexto demum et ultimo loco sigillum aeque impressum cum subscriptione : Stanislaus Krassinski : mp.

CCCX.

Rudolphus II. Roman. Imp. ac Rex Hung. Leutschoviensium confirmat privilegia. Anno Dni 1580.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Rudolphus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sc*h*lavoniae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque etc. Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Luxemberguae, ac superioris et inferioris Silesiae, Virtembergae, et Theke, Princeps Sveviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, Goriciae, Landgraffius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Burgoviae et superioris et inferioris Lusitaniae, Dominus Marchiae, Sclavoniae, Portus Naonis, et Salinarum etc. Memoriae comendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fideles nostri prudentes et circumspecti Sebastianus Kromer juratus Cives et Philippus Queschin Notarius Civitatis nostrae Leuchoviensis, Majestatis nostrae venientes in conspectum, suis ac Judicis et juratorum, ceterorumque universorum Civium et Incolarum dictae Civitatis nostrae Leuchoviensis nominibus et in personis, exhibuerunt nobis, et praesentaverunt quasdam literas Transumptionales Serenissimi quondam Principis, Dni Ferdinandi, Romanorum Imperatoris, ac Hungariae, Bohemiae etc. Regis avi nostri carissimi bonae memoriae, in pargameno privilegialiter confectas, sigilloque suae Majestatis judiciali inpendenti comunitas, continentes in se transumptive tenorem quarundam aliarum literarum Transumptionalium Honorabilis Capituli Ecclesiae Scepusiensis, continentium literas Venerabilis quondam Fratris Ladislai Abbatis, et Conventus Monasterii beatae Mariae Virginis de Scepus juxta Schevnik, metales super metis possessionis Teplika *(h. Teplicz)* emanatas, tenoris infrascripti, supplicantes nobis humilliter, ut easdem literas, ac omnia et singula in eisdem contenta, ratas gratas, et accepta habendo, literisque nostris privilegialibus de verbo ad verbum inseri, et inscribi facientes, approbare et ratificare, ac pro praefatis Judice et Juratis, ceterisque universis Civibus et Incolis nostrae dictae Civitatis Leuchoviensis, ipsorumque posteris ac successoribus universis innovantes, perpetuo

valituras, gratiose confirmare dignaremur: quarum quidem literarum tenor talis est:

Nos Ferdinandus — Roman. electus Imp. etc.

Nos itaque humillima supplicatione praenotatorum Sebastiani Kromer jurati Civis et Philippi Queschin, Notarii praefatae Civitatis nostrae Leuchoviensis, suis ceterorumque, quorum supra nominibus et in personis, nostrae modo, quo supra porrecta Majestati, Regia benignitate admissa, clementer et exaudita, praescriptas literas annotati quondam Principis, Dni Ferdinandi Romanorum Imperatoris, ac Hungariae, Bohemiae etc Regis, avi nostri carissimi felicis recordationis, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quo ad omnes earum continentias, clausulas, et articulos eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, ratas, gratas et accepta habentes approbavimus, ratificavimusque, ac omnia et singula in eisdem contenta, pro praenominatis Judice, Juratisque et ceteris Civibus ac Inhabitatoribus praescriptae Civitatis nostrae Leuchoviensis, ipsorumque posteritatibus et successoribus universis innovantes, perpetuo valituras, gratiose confirmavimus, imo acceptamus, approbamus, ratificamus confirmamusque, salvis juribus alienis. Harum nostrarum, quibus secretum nostrum sigillum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri, Nobis dilecti Rdmi Georgii Draskovich, electi Archiepiscopi Colocensis, ac Episcopi Ecclesiae Jauriensis.[a] Locique ejusdem perpetui Comitis, Consiliarii, et aulae nostrae Summi Concellarii. In Arce nostra Regia Pragensi, vigesima sexta die Mensis Februarii, Anno Dni Millesimo quingentesimo octuagesimo. Regnorum nostrorum: Romani quinto, Hungariae et aliorum octavo. Bohemiae vero similiter anno quinto. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis praefato Georgio Draskovich Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice unitarum electo Archiepiscopo, Stephano Radecio Agriensi, Joanne Monosloy Zagrabien. Georgio Bornemisza Varadien. Nicolao Thelegelino Quinque-Ecclesien. Stephano Fejerkevi Vesprimien. Eodem Georgio Draskovich Jaurien. Balthazare

a) Qui hic electus Archieppus Colocensis scribitur, in Epilogo Diplomatis 1583. (V. Auctor: Compend A. Epporum. Sirigon. pag. 112) jam realis fuit. Quod vero ibidem Administrator Jaurinensis Sedis etiam fuisse dicatur, signum est illam post sui promotionem vacavisse.

*

Melegh Chanadien. Zacharia Mossoczy Vacien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Strigoniensi Metropolitana, Transilvaniensi, Nitriensi, Sirmiensi, Bosnensi, et Tinniniensi Cathedralibus Sedibus vacantibus. Item Spectabilibus et Mficis: Comite Nicolao de Bathor Judice Curiae nostrae, Christophoro Ungnad de Sonneg Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Bano, Comite Georgio de Zrynio Tavernicorum, Ladislao Banffy Agazonum, Balthazaro de Batthyan Dapiferorum, Emerico Czobor de Zobor Szent-Mihály, Cubiculariorum, Michaele Réva Janitorum, Joanne Krusich de Lupoglan Curiae nostrae, Michaele Varday de Kis Varda Pincernarum nostrorum Regalium Magistris. Comite Nicolao a Salmis et Neuburg, Comite Posoniensi, ceterisque plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus et honores. Rudolphus m. p. Electus Colocen. ac Eppus Jaurien. m. p. Joan. Joo m. p.

CCCXI.

Literae Metales Oppidi Felka de Anno 1581.

Ex autographo ibidem habito.

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis memoriae commendamus, per praesentes significantes, quibus expedit universis: Quod nos literas spectabilis ac magnifici Dni Comitis Nicolai de Bathor, Judicis Curiae Serenissimi Principis et Domini Domini Rudolphi secundi, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. ac Comitatuum Simegien. Zathmarien. et Zabolczensis Comitis etc. Domini, et Patroni nostri observantissimi requisitorias pro parte prudentum et circumspectorum Judicum et juratorum Civium de Oppido Warallia, Iglo, Filka, et L*ey*bicia, subditorum Serenissimi Regis Poloniae, in Comitatu Terrae Scepusiensis existentium, clause confectas, et emanatas, nobisque praeceptorie et amicabiliter sonantes, ac directas, honore et reverentia, quibus decuit, recepimus in haec verba: Amicis suis Reverendis, Capitulo Ecclesiae Scepusiensis, Comes Nicolaus de Bathor, Judex Curiae Serenissimi Principis, et Domini Dni Rudolphi secundi, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis

Austriae, Ducis Burgundiae etc. ac Comitatuum Simegien. Zathmarien. et de Zabolcz Comes: salutem et amicitiam paratam cum honore. Expositum est nobis in personis prudentum ac circumspectorum Judicum, et Juratorum Civium de Oppidis Varallia, Iglo, Filka et Leybicio subditorum Serenissimi Regis Poloniae in Comitatu Terrae Scepusiensis existentium: Qualiter aestate, proxime praeterita, per praefatum Dominum Imperatorem et Regem nostrum, certi Regni Poloniae Proceres, in Comitatum Terrae Scepusiensis ad cognoscendas, legitimoque modo definiendas, et discernendas omnis generis controversias, differentiasque inter utriusque Majestatis subditos, qualitercunque motas agitatasque cum plenaria et absoluta potestatis facultate, delegati Commissarii inter alia suae Commissionis facta, etiam certas quasdam reambulationes, et metarum distinctiones in memoratorum Oppidorum Varallia, Iglo, Filka et Leybicia antiquis limitibus et territoriis inter ipsos, et certos eorum vicinos fecissent, peregissent, ac tandem iidem Comissarii praedictas reambulationes metarum distinctiones et erectiones, in Acta suae Comissionis inscripta, atque inserta retulissent, quae postea etiam dicto Domino nestro Imperatori et Regi exhibita et a sua Majestate confirmata, atque tutioris conservationis causa ad Conservatorium sive Sacristiam istius Ecclesiae vestrae essent transmissa, et isthic pro futura jurium, quibus opus erit, cautela, apud vos deposita haberentur: quarum descriptionum et literarum metalium paribus praenominati exponentes, supra scriptorum nempe Oppidorum Judices ad praesens summopere indigerent, essentque necessaria. Proinde amicitiam vestram harum serie hortamur et authoritate nostra judiciaria, qua fungimur, requirimus diligenter, quatenus acceptis praesentibus paria praedictorum Decretorum, reambulationum, distinctionum, erectionum, et descriptionum metalium in actis praememoratorum Dominorum Commissariorum contentorum, in Conservatorio sive Sacristia istius Ecclesiae vestrae inquiri et inveniri facere, requisitaque et inventa praetactorum Oppidorum Judicibus, cuilibet nimirum singillatim et seorsim illa, quae ad Oppidum, quod quisque ipsorum inhabitat, pertinent, in Transumpto literarum vestrarum sub sigillo vestro Capitulari extradare debeatis, atque teneamini: caventes tamen, ne fraus aut dolus interveniat aliqualis. Secus non facturi. Datum in Arce nostra Eched, Feria quarta proxima ante Festum beatorum Fabiani et Sebastiani Martyrum. Anno Dni Millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

Nos itaque amicabilibus hortationibus et requisitionibus praefati Dni Judicis Curiae suae Majestatis, in omnibus, uti tenemur, semper obtemperare

volentes, paria praedictarum, reambulationum, distinctionum, erectionum et descriptionum metalium dicti Oppidi Filka, in actis praememoratorum Dominorum Commissariorum contentorum, in Conservatorio sive Sacristia nostra inquiri et inveniri fecimus, hunc tenorem in se continentes: Primum igitur, cum exivimus ex Oppido Filka etc. (vide supra in causa Felkensium.)

Requisitarum igitur et reinventarum tenorem memoratis Judici et juratis Civibus de Oppido Filka in praesenti Transumpto literarum nostrarum sub pendenti Sigillo nostro Capitulari et authentico privilegialiter in pargameno confectarum, dolo et fraude omnibus semotis, extradandas duximus et concedendas. Datum in Festo beati Valentini Martyris. Anno Dni Millesimo quingentesimo octuagesimo primo. (L. S. pend. Cerei.) Georgius Thirnaviensis, Notarius Scepusien. Capituli. m. p.

CCCXII.

Rudolphus, Roman. Imp. ac Rex Hung Paulo Máriássy intimat, esse jam Commissarios denominatos ad causam ipsius complanandam. Anno Dni 1583.

Ex autographo penes J. Familiam existente.

RUDOLPHUS secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex. — Egregie, Fidelis, Nobis dilecte! Oppidani Capitaneatus Scepusiensis contra te ac fidelem nostrum Mficum Stanislaum Thurzo de Bethlemfalva, Comitem Comitatus Scepusiensis, graviter conqueruntur, de variis sibi a vobis illatis injuriis. Quum autem ea sit mens ac voluntas nostra, ut nullae in posterum rixae et discordiae inter vos serantur, sed pax et bona vicinitas conservetur, decrevimus imminenti vere Commissarios, jam a Statibus et Ordinibus Regni deputatos illuc mittere, qui una cum Commissariis Serenissimi Regis Poloniae limites illos controversos aliasque vestras differentias revideant et determinent. Quamobrem Fidelitati tuae harum serie denuo a)

---

a) Hinc liquet, Máriassiános priori Commissariatus operatione, una cum Thurzone haud contentos fuisse, porroque Oppidanos infestasse.

firmiter comittimus et mandamus, quatenus dictos Oppidanos nullis injuriis lacessere, sed quiete et pacifice cum eis interim vivere debeas et tenearis. Secus non facturus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, decimo die Mensis Januarii. Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo tertio.

Rudolphus mp. (L. S.) F. Verantius mp.

Egregio Paulo Mariassy et fideli Nobis dilecto, Markusfalvae.

CCCXIII.

Gregorius Bornemisza, Varadien. Episc. ac Praepositus Scepus. suos Canonicos reprehendit, quod semel susceptum Gregorianum Calendarium rejecerint. Anno Dni 1584.

Ex matrica 24. Regalium Plebanorum. pag. 605.

VENERABILIBUS Dominis, Capitulo Ecclesiae nostrae Scepus et Fratribus in Christo honorandis. Venerabiles Dni et Fratres in Christo Nobis honorandi, salutem et apostolicam benedictionem! Miramur, qui fiat, quod vos novum Calendarium semel receperitis, et modo iterum ad vetus Calendarium sitis prolapsi; quam quidem reiterationem reiterare non possum. Non caret enim scandalo ejusmodi repentina transmutatio. Et quoniam ante aliquot dies allatum est mandatum Caesareae Majestatis, Domini nostri clementissimi, in quo sua Majestas Caesarea mandat omnibus, ut novum Calendarium recipiatur et observetur; propterea vobis injungimus, ut a proximo die Cineris inchoandó, novum Calendarium observetis, et ceremonias secundum cursum novi Calendarii, incipiendo 15-a die Martis in Ecclesia continuabitis, cui Dnus Notarius in extradandis literis se conformet, si ab ipsa Nobilitate non fuerit contradictum.[a] Hoc autem vobis erat

---

a) Adhuc anno 1583. commissum erat Episcopis ut recentis Gregoriani Calendarii usum in suis Dioecesibus inducerent. Huic tamen Acatholici plurimum adversabantur. Sic Schemniczienses renitentiae suae reddiderunt sub 8-a Decembris sequentem rationem: „Quia nusquam, nisi ubi Papatus dominatur illud receptum esse intelleximus.“ Emericus Forgach ex Castro Byche die 12-a Decembris ad Trenchiniensis ministros ita scripsit: „Proinde mandamus, — ne ulla ratione audeatis recipere recens Calendarium — quod non solum Regni status repudiant, sed neque Imperatores, Principes, neque vicinae Provinciae approbarunt. Unde mirum non est, Universitatem Scepusiensem eidem non tantum obstisisse, verum etiam ministris ac Capitularibus ad illud rejiciendum, authorem fuisse. In Comitiis Posoniensibus 1588. Decr. IV. art. 28. Status et Ordines declararunt: se novum Calendarium nullius alterius, quam sola et unica Regiae Majestatis, Authoritate, in productum admittere. Porro ex Mathiae Archiducis ad Leutschovien. datis literis in anno 1595. (V. Wagner Anal. Scep. P. I. pag. 30—99.) patet, eosdem serius illud primo recepere.

significandum. Ex Jaszo 11-a die Martii juxta novum Calendarium. Anno Millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Mittimus etiam vobis in praesenti novum Calendarium, vester uti semper Episcopus Varadiensis Gregorius Bornemisza m. p.

CCCXIV.

Ernesti Archiducis Austriae responsum ad desideria Kesmarkiensium. Anno Dni 1584.

Ex autographo ibidem habito.

ERNESTUS, Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis etc. Prudentes ac Circumspecti, Nobis dilecti! Ea, quae Nobis tum literis vestris tum etiam per nuncium vestrum, de reddendo vobis pristino statu vestro proposuistis, intelleximus. Quia vero res ulteriore inquisitione et deliberatione indigeat, scitote, quod ubi primum omnia recte inquisita fuerint, suaque Majestas Caesarea atque Regia se de iis clementer resolverit, responsum ad ea, quae proposuistis, accipietis. Interim nuncium vestrum cum honore mittendum existimavimus. Datum in Civitate Vienna Austriae secunda die Septembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo octogesimo quarto.

Ernestus. mp. Johannes Jvo. mp.

CCCXV.

Casparus Macieiovszki 13 Oppidorum Capitaneus Podolinensibus concedit restaurare Xenodochium. Anno Dni 1587.

Ex autographo ibidem habito.

GASPAR Macieiovszki, Capitaneus Tredecim Oppidorum Scepusiensium, nec non Arcis Liblio, ac Sacrae Majestatis Praefectus Stabuli etc. Per subditos nostros Cives Podolinenses certiores facti, interposita precum instantia, quomodo ante annos aliquot Xenodochion ante moenia Civitatis portae superioris, quod antecessores ipsorum in levamen egenorum et pau-

perum propriis sumptibus extruxerant, a praedecessoribus nostris in arcis utilitatem translatum sit, ipsique subditi nostri, cum hujus statum vitae considerent, omniumque hominum res secundas et adversas ad se pertinere arbitrentur; attendentes, illorum hac in parte pro animo volentes subvenire, dignae, licitaeque petitioni, ac justitiae faventes, nec non bonae conscientiae, illud Xenodochion ipsis subditis nostris reddimus, imo reddidimus, ac eisdem, ad quos antea pertinuerat, tam praesente quam successu temporis, futuris et extituris adscribimus in perpetuum. Ad firmius testimonium sigillo nostro confirmavimus, propriaque manu subscripsimus. Actum in Arce Podoliniensi. Anno Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, secunda die Mensis Septembris. Gaspar Macieiowszki m. p. (L S) I. Zmlikoniawszki. m. p.

CCCXVI.

Sigismundus III. Rex Poloniae privilegium de Kromlov confirmat. Anno Dni 1590.

Ex autographo apud Podolinenses habito.

SIGISMUNDUS Tertius[a] Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. nec non Regni Sveciae proximus Haeres et futurus Rex, significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis ac singulis, exhibitas nobis fuisse, nomine Incolarum Oppidi nostri Podolenice literas infrascriptas pargameneas, Titulo et Sigillo Serenissimi olim Stephani Regis, antecessoris

a) Fuit Regis Sveciae filius, qui post mortem Stephani Báthori anno 1586 die 13-a Decembris interventam, demum in Varsaviensibus Comitiis anno 1587. a magna Polonorum parte, etiam in Regem Poloniae electus fuit. Competitorem suum, Maximilianum Archi-Ducem Austriae, ab altera parte aeque nominatum, celeritate exercitus sui, quem in Poloniae Regnum immisit, non tantum praevenit, verum etiam ad Rakoviciam, prope Cracoviam, fudit. Anno dein 1588-o 22. Januarii ipsum ad Bicium, in Poloniae et Silesiae finibus, quia a suis proditus est, etiam intercepit, atque Cranistavam captivum deduxit. Ex hinc factum est, ut Poloni victores, graves dictaverint Maximiliauo conditiones, inter quas et illa fuit: Ut amicitia in solidum stabiliatur, vetera pacta, quae inter haec Regna et provincias utriusque partis olim, sive sub Sigismundo Hungariae Rege, sancita erant, novo foedere roborentur. Quatenus autem firmiora maneant, cupiebant Poloni, ut hanc conditionem ipsi Hungariae Proceres juramento firmarent. Quia vero praetensum juramentum juribus Coronae Regni, ad 13 Oppida, et Dominia Lublo ac Podolin reale jus foventi, plurimum derogaverat, hinc nullum ab eisdem praestitum est. Innumerae hinc querelae Polonorum sunt ortae, quae ad annum 1593 perdurarunt. Primo tantisper sopitae sunt, per sponsionem matrimonii inter Sigismundum, et Annam Caesaris sororem interventam. P. Pray ibid. pag. 142.

nostri et manus propriae subscriptionis munitas innovationem et confirmationem binarum literarum super fundum Kromlow eidem Oppido per praefatum Serenissimum Antecessorem nostrum factam, in se continentes sanas, salvas et omni suspicionis nota carentes: suplicatumque nobis esse, ut easdem authoritate nostra Regia approbare, et confirmare dignaremur: quarum tenor sequitur talis:

Stephanus Rex Poloniae etc. V. Diplom. CCLXXVIII. 1578. pag. 458.

Nos itaque Sigismundus, Rex praenotatus, supplicacioni hujusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis et conditionibus, authoritate nostra Regia approbandas, et confirmandas duximus, uti approbamus et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum ac justum, in quantum juris publici rationes admittunt, ususque earum habetur, obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus, die vigesimo Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio. Sigismundus Rex. m. p. L. S. M. Paradowski.

CCCXVII.

Idem Rex Lubloviensium privilegia confirmat. Anno Dni 1590.
Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis: exhibitas nobis esse, nomine Incolarum Oppidi nostra Lubowla, literas pargameneas infrascriptas, titulo et sigillo Serenissimi olim Stephani Regis, Antecessoris nostri et manus subscriptione munitas, confirmationem trium privilegiorum, Oppidanis iisdem Lubloviensibus ab Antecessoribus nostris concessorum, in se continentes, sanas, salvas, et omni prorsus suspicionis nota carentes, supplicatumque nobis fuisse, ut easdem literas authoritate nostra Regia approbare et confirmare dignaremur, quarum tenor sequitur is:

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae etc. V. Diplom, CCLXXII. Anno 1577. pag. 449.

Henricus Rex Poloniae etc. V. Dipl. CCLXIX. Anno 1574. pag. 443.
Ludovicus — Rex Hungariae etc. V. Dipl. LX. A. 1343. pag. 91.

Nos itaque Sigismundus Rex praenominatus supplicationi benigne annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum punctis, clausulis et conditionibus authoritate nostra Regia approbandas. et confirmandas duximus, uti approbamus, et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum et justum, in quantum juris publici rationes admittunt, ususque earum habetur semper obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus die vigesima mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio. Sigismundus Rex mp. (L. S. Regni.)

CCCXVIII.

Idem Rex Podolinensium privilegia confirmat. Anno Dni 1590.
Ex autographo apud eosdem habito.

SIGISMUNDUS tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: exhibitas Nobis fuisse nomine Oppidanorum nostrorum Podolenicensium literas infrascriptas pargameneas, titulo et sigillo Serenissimi olim Sigismundi Augusti Regis antecessoris nostri munitas, et manu propria Reverendi Philippi Padniewski, Regni Poloniae Vice Cancellarii, Lanciciensis Praepositi, et Decani Varsaviensis subscriptas, approbationem libertatum, et praerogativarum certarum, eidem Oppido concessarum, per praefatum Antecessorem nostrum factam, in se continentium, sanas, salvas, nullique suspicioni obnoxias: Supplicatumque Nobis esse, ut easdem authoritate nostra Regia approbare et confirmare dignaremur; Quarum tenor sequitur talis:

In nomine Domini Amen. V. Diplom. CCXLII. Anno 1559. pag. 398.
Nos Sigismundus Roman. V. Dipl. CXXX. Anno 1423. pag. 219.

Nos itaque Sigismundus, Rex praenominatus, supplicationi ejusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, et conditionibus, authoritate nostra Regia approbandas, et confir-

mandas duximus, uti approbamus, et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum ac justum, in quantum juris publici rationes admittunt, ususque earum habetur, semper obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, et sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae die vigesima mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio. Sigismundus Rex mp. Mrol. *(sic)* Paradovszki mp.

CCCXIX.

Idem Rex suos officiales reprehendit, quod a Gnesdensibus Telonium exigant. Anno Dni 1590.

Ex autographo apud eosdem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. universis et singulis tam Ordinis Ecclesiastici, quam secularibus hominibus, nec non Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Dignitariis, Officialibus, Proconsulibus atque Consulibus, Civitatumque Magistratibus, atque Teloniorum tam terrestrium, quam aquaticorum, aggregalium, pontalium, et quorumvis in genere vectigalium Praefectis sex Exactoribus, eorumque vices gerentibus, ceterisque omnibus, cujusvis status, conditionis, atque sexus hominibus, quibus hae nostrae literae visae fuerint, sinceris et fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram Regiam. Sinceri et fideles nobis dilecti! Saepius conqueruntur apud nos Cives Oppidi nostri Gnaszda in Scepusio, se a sinceritatibus et fidelitatibus vestris ad solutionem Teloniorum ac vectigalium tam terrestrium, quam aquaticorum, secus quam antea sit servatum, et contra Regum superiorum antecessorum nostrorum mandata, quae authentice et originaliter apud nos exhibuerunt, cogi et compelli. Nos igitur eorum querimoniis permoti ac in sua quemque imunitate, et praerogativa conservatum esse volentes, Sinceritatibus et fidelitatibus vestris exemplo antecessorum nostrorum, ac eorum mandatis inhaerentes, injungimus, ut Cives praedictos in eorum libertatibus, ac immunitate solutionis Teloniorum ita sinceritates et fidelitates vestrae conservent, quemadmodum antea conservari solebant, neque aliquid hac in parte contra eos innovent, atque secus pro gratia nostra ne fecerint. Datum Varsaviae, in Comitiis Regni

generalibus die vigesima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio. Sigismundus Rex mp. Mrol Paradovszki mp. (L. S. Regni.)

CCCXX.

Idem Rex antiquas Gneszdensium praerogativas confirmat. Anno Dni 1590.

Ex autographo apud ipsos habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: productas nobis fuisse nomine Incolarum Oppidi nostri Gniazda, in Terra Scepusiensi siti, literas infrascriptas pergameneas, titulo et Sigillo Serenissimi olim Sigismundi Augusti Regis Antecessoris nostri munitas, et manu Mfici olim Valentini Dembienski de Dembiani, Regni Poloniae Cancellarii subscriptas, fundationem ejusdem Oppidi et adjunctas eidem certas praerogativas, et libertates, per praedictum Serenissimum Antecessorem nostrum concessas, in se continentes, sanas, illaesas, nulli suspicioni obnoxias: supplicatumque nobis esse, ut easdem authoritate nostra Regia approbare et confirmare dignaremur. Quarum tenor est talis:

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam etc. V. Diplom. CCLVII. Anno 1566. pag. 415.

Nos itaque Sigismundus, Rex praenominatus supplicacioni ejusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, et conditionibus, authoritate nostra Regia approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, uti approbamus, ratificamus et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum ac justum in quantum juri communi non repugnant, et in usu earundem praedicti Oppidani extiterunt obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus die vigesima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri Tertio. Sigismundus Rex m. p. Mrol Paradovszki m. p. (L. S. Regni.)

CCCXXI.

Idem Rex Gneszdense novum Molendinum confirmat. An. D. 1590

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest et singulis: Exhibitas nobis fuisse nomine Civium Oppidi nostri Gnizna in Scepusio, literas, infrascriptas pargameneas, titulo et sigillo, ac manus subscriptione Serenissimi olim Stephani Regis Antecessoris nostri munitas, continentes, in se ejusdem Antecessoris nostri approbationem concessionis aedificati Molendini novi, in fluvio Poprad praedictis Civibus, per Generosum olim Dnum Joannem Macieiovszki Succameriarium Sandomiriensem et Capitaneum Scepusiensem factae sanas, illaesas, et nulli suspicioni obnoxias; supplicatumque nobis fuisset ut nos quoque authoritate nostra Regia eas ipsas literas confirmare et approbare dignaremur. Quarum tenor sequitur talis:

Stephanus — Rex Poloniae etc. V. Dipl. CCLXXVII. A. 1578. p. 1457.

Nos itaque Sigismundus, Rex praenominatus, supplicationi ejusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, et conditionibus authoritate nostra Regia approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, uti approbamus, ratificamus et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum ac justum in quantum juri communi non repugnant, et si in usu earundem praedicti Oppidani extiterunt, obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus, die vigesima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio. Sigismundus Rex m. p. Mrol Paradovszki m. p. (L. S.)

CCCXXII.

Idem Rex Casparo Macieiowski, Capitaneo Scepusien. mandat, ne campos Leibitziensium per Ruthenos admittat depasci. Anno D. 1590.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. Generoso Gasparo Macieiowski, Stabuli Curiae Regni Praefecto, Capitaneo nostro Scepusiensi, fideli Nobis dilecto, et in absentia ipsius in eodem Capitaneatu Locumtenenti gratiam nostram Regiam. Generose, Fidelis, Nobis dilecte! Questi sunt apud Nos Civitatis nostrae Libicza, unius ex Oppidis Scepusiensibus, per internuncios suos: quod, cum paucos quondam Russici a) greges ovium ac pecorum habentes, eosdem suos greges intra fines Civitatis impellere, silvisque ac pascuis ejusdem Civitatis uti, obtenta a civibus facultate, coepissent; nunc demum multo plures, sine ulla facultate, imo invitis et non permittentibus Civibus: concedente autem fidelitate tua, seu illius Officialibus id facere, et attentare solere, in praejudicium et damnum ejusdem Civitatis maximum. Depastis enim per greges illos Russorum graminibus, Cives, ubi pecora atque equos alant, prorsus non habent. Cum vero haec ipsa Civitas fines suos privilegiis circumscriptos habeat, nomineque ejus fundi, quem possidet, censum nobis pendat; videretur iniquum omnino esse, si in eisdem finibus, ac limitibus et fundo, quem possidet, impediretur. Quare cupientes injurationibus illius hac in parte prospectum esse, Fidelitati tuae serio mandamus, ne Fidelitas tua, invitis eisdem Civibus, in fundo ac intra fines Civitatis illorum, Russis praedictis ullam pascendi greges suos praebeat facultatem; neve alii hoc nomine Civibus molestiam exhibeant; quinimo libere eosdem fundo ac limitibus suis, quos privilegiis habent confirmatos, et ex quibus censum Nobis pendere sunt soliti, uti *permittat. Aliterque* pro gratia nostra, et debito Officii sui, ne fecerit. Datum Varsaviae in Conventione Regni generali die vigesima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri anno Tertio.

Sigismundus Rex. mp. (L. S. Regni.)

---

a) Sub Russorum nomine hic Rutheni uniti veniunt intelligendi, qui Scepusii plagas haud a longo tempore sunt ingressi, alias etiam Valachi dicti.

CCCXXIII.

Idem Rex, dictum Capitaneum monet, ne Lublovienses in eorum privilegiis turbet. Anno Dni 1590.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. Universis et sigulis, quorum interest, in Territorio nostro Scepusiensi praefectis, praesertim autem Generoso Casparo Macieiowski, Stabuli nostri praefecto, Scepusiensi Capitaneo et in absentia ejus Vice-Capitaneo Lubowliensi, fideli Nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Generosi, fideles, Nobis dilecti! Querebantur apud Nos Cives Lubowlienses, quod a Fidelitate tua, seu ipsius Locumtenetibus in libertatibus et immunitatibus, in privilegiis ipsorum expressis actae Civitati et Incolis ipsius concessis, non conserventur, imo saepius peturbentur. Quoniam muneris nostri esse arbitramur, omnes cujusvis conditionis et status subditos nostros, in suis libertatibus et praerogativis conservare: volumus ac Fidelitatibus Vestris mandamus, nequid omnino Fidelitates Vestrae contra praedictorum Civium libertates, quas Nos sartas atque tectas esse volumus, contraque usum hactenus conservatum faciant: Imo vero circa jura, privilegiaque ipsorum eosdem conservent, nec illis occasionem amplius de se apud Nos conquerendi praebeant. Secus autem pro gratia nostra et Officio suo ne fecerint. Datum Varsaviae in Comitiis Regni nostri generalibus die vigesima Mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri anno tertio.

Sigismundus Rex mp. (L. S. Regni) Mrol Paradowski mp.

CCCXXIV.

Idem Rex, sui Antecessoris Stephani Ordinationem ratione Gnezdensium et Podolinensium Decimarum confirmat. Anno Dni 1590.

Ex autographo apud Gnezdenses habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis, exhibitas Nobis fuisse nomine Civium nostrorum Gniazda in Scepusio literas infrascriptas pargameneas Decreti, per Serenissimum olim Stephanum Regem, Antecessorem nostrum, inter omnes et singulos Cives Oppidanorum nostrorum Gniazda, et Podolenice, uti Actores, et generosum olim Joannem Macieiowski, Capitaneum nostrum Scepusiensem citatum, ratione Decimae pecuniariae de agris ipsorum Oppidanorum, Capitulo Scepusiensi ejusque Praepositis solvendae, lati, titulo et sigillo ejusdem Antecessoris nostri munitas, manuque propria Reverendi Joannis Borukovski, Regni Poloniae Vice-Cancellarii subscriptas, sanas et nulli suspicioni obnoxias: supplicatumque Nobis fuisse, ut Nos easdem authoritate nostra approbare, et confirmare dignaremur. Quarum tenor sequitur talis:

Stephanus, Dei gratia Rex Poloniae etc. V. Dipl. CCXC. A. 1579. p. 473.

Nos itaque Sigismundus Rex praenominatus supplicationi hujusmodi benigne annuentes, literas praeinsertas, et omnia earum contenta, authoritate nostra Regia, approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, uti approbamus, ratificamus, et confirmamus praesentibus, easque vim et robur suum debitum ac justum, quantum per leges Regni licet, ususque earum habetur, obtinere debere volumus. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus die vigesima mensis Martii. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri tertio.

Sigismundus Rex m. p. (L. S. R.) Mrol Paradowski m. p.

CCCXXV.

Idem Rex omnes XIII. Oppidorum immunitates confirmat. Anno Dni 1590.

Ex autographo apud eosdem habito.

SIGISMUNDUS Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris universis et singulis, quorum interest: Exhibitas Nobis esse literas pargameneas, sub titulo Serenissimi Regis Stephani, Antecessoris nostri, continentes in se confirmationem generalem omnium jurium et libertatum, privilegiorum et immunitatum Tredecem Civitatum nostrarum Scepusiensium, salvas, integras, omnique suspicionis vitio carentes, sigilloque majori appenso munitas, et manu ejusdem Serenissimi Regis subscriptas: supplicassetque Nobis Jacobus Frykal, Antonius Kmes, Georgius Hasko, Adamus Huttenus, Internuncii dictarum Civitatum, ut eas authoritate nostra Regia confirmare dignaremur: quarum quidem literarum tenor sequitur, et est talis:

In nomine Domini Amen. Nos Stephanus Rex Poloniae etc. V. Dipl. CCLXXIII. Anno 1578. pag. 450.

Nos itaque Sigismundus praenominatus Rex, praeinsertas literas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, conditionibus approbandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout, quantum de jure est, confirmamus, et ratificamus praesentibus literis nostris, easque robur debitae firmitatis habere decernimus, harum tenore mediante. In quorum fidem et aeternum testimonium praesentes sigillo Regni nostri muniri jussimus, et manu nostra subscripsimus. Datum Varsaviae in Conventu Regni generali die vigesima septima Mensis Maji. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni nostri anno tertio.

Sigismundus Rex. m. p. (L S. R.) J. Palczynski Secretar. Regni m. p.

CCCXXVI.

Idem Rex antiquas Lubloviensium Nundinas, eorumque hebdomadalia fora confirmat. Anno Dni 1591.

Ex autographo ibidem habito.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Quia Nos Precibus Regni nostri Consiliariorum pro famatis Judice, Proconsule, Consulibus, totaque Communitate Civitatis nostrae Lublaw seu Liubowlia, in Scepusio sitae, apud Nos factis, benigne annuentes, cupientesque, ut Civitas ipsa incrementa capere, et ad meliorem in dies conditionem devenire possit, approbandas illi eas Nundinas esse duximus, quae ex antiquo bis in anno celebrari ibidem consueverunt, vigore antiqui privilegii, quod circa conflagrationem ejusdem Oppidi, cera a sigillo appenso liquefacta, corruptum est, prout ex membrana istius privilegii, Nobis exhibita, id ipsum approbaret, uti quidem approbamus, et confirmamus hisce praesentibus nostris literis, damusque et permittimus ipsis eam facultatem, ut in eadem Civitate, juxta antiquam consuetudinem, Nundinae bis in anno, videlicet aliae pro Festo Sancti Nicolai Episcopi in Decembri, aliae pro die Dominico post Festum Ascensionis proximo celebrentur, et peragantur. Forum autem septimanale qualibet feria tertia, citra tamen Civitatum et Oppidorum Vicinorum praejudicium et detrimentum, liberum itaque et licitum perpetuis temporibus esse debere volumus, et mandamus hominibus cujuscunque status, sexus, dignitatis et conditionis, sortis, Loci, eminentiae, nationis et ritus, ad illam Civitatem cum quolibet genere mercium pro nundinis ipsis annis singulis bis, ut supra expressum est, forisque septimanatim celebrandis confluere, atque tute et secure emere, vendere, res pro rebus, merces pro mercibus permutare, ac omnia negotia licita et honesta agere, tractare, et conficere. Venientes quoque ad Nundinas hasce et Fora septimanalia, ac rursus inde descendentes, ea utentur securitate, qua omnes in patrocinium nostrum suscepti uti consveverunt, nisi fortasse tales aliqui fuerint, quos leges publicae fovere non permittunt, et quibus bonorum hominum consortium merito sit denegandum. Quod ad notitiam omnium, quorum interest, et praesertim Capitanei nostri, Loci illius moderni, et pro tempore existentis, deducimus, mandamusque, ut praedictos Cives nostros Luiblovienses *(sic)*

*

circa liberam Nundinarum et fori celebrationem, more aliarum Civitatum nostrarum conservent, nullumque illis hoc in merito impedimentum faciant, pro gratia nostra. Subscriptas, sigillo Regni consignari mandavimus. Datum Cracoviae die vigesima tertia Mensis Aprilis. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo primo. Regni vero nostri anno quarto. Sigismundus Rex m. p. (L. S. R.) Christophorus Ilmanowski Secretarius. m. p.

CCCXXVII.

Idem Rex interventione Caspari Macieiowski Capitanei Scepus. sententiat, ut Lublovienses deinceps solum pecuniariam Decimam pendant. Anno Dni 1591.

Ex autographo ibidem existente.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Rex. Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis: Quod, cum relatum Nobis esset, subditorum nostrorum Civitatis Lubowla nomine, ipsos ex antiquissima consuetudine, ratione Decimae manipularis, ex agris Civilibus ab Incolis Civitatis ejusdem, ad Ecclesiam Scepusiensem pertinentis, juxta contractum cum Capitulo et Praeposito Scepusiensi ea de re factum, in usu fuisse, tali videlicet modo: Quod iidem Oppidani, quisque ex agro suo Decimam manipularem recipiat, et eandem redimendo, Praeposito Scepusiensi parata pecunia solvere consueverant; fuisse tamen interdum hanc ipsorum consuetudinem interruptam, per Generosum Joannem Macieiowski, Capitaneum Scepusien. qui decimam ipsorum laboris propriam, violenter ab Oppidanis praedictis exigebat: ipse autem pecuniam Capitulo seu Praeposito Scepusiensi exolvebat, ac differentias, occasione praemissorum inter Oppidanos et eundem Capitaneum exortas, et causam ad judicium Serenissimi olim piae memoriae Stephani Regis, Praedecessoris nostri devolutam, et Actoribus quidem Oppidanis praenominatis usum et possessionem pendendae pecuniariae Decimae semper et continuo usu habuisse, probantibus circa antiquum usum et contractus tribuendarum decimarum pecuniae solutione, quem usum ipsi hactenus retinent, conservatos esse, ut deinceps

non manipularem, sed pecuniariam decimam, more antiquo, Praeposito Scepusiensi pendant, atque etiam nunc in usu libero ejusmodi pensionis, pacificaque possessione hucusque extare; cumque hoc idem Generosus Gasparus Macieiowski, Stabuli nostri Praefectus, specialibus literis suis testaretur: supplicatum Nobis est, ut eosdem in usu et possessione ejus juris conservare, et relinquere dignaremur. Nos ad supplicationem praenominatam fecimus, et Oppidanos praenominatos Lublovienses in usu praedicto, quantum de jure est, et usus habetur, juxta cautionem Capitanei ipsius factam, ratione Decimarum supradictarum, a quibus pendendis liberi sunt, conservamus literis hisce. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, et sigillo Regni consignari jussimus. Datum Cracoviae die decima Mensis Augusti. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo primo. Regni nostri quarto. Sigismundus Rex m. p. (L. S. R.) Mathias Pstrokonski Secretarius Regiae Majestatis. m. p.

CCCXXVIII.

Idem Rex Gneszdenses et Podolinenses a praestanda manipulari Decima absolvit. Anno Dni 1591.

Ex autographo Gneszdae existente.

SIGISMUNDUS Tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest et singulis: Quod cum relatum Nobis esset, subditorum nostrorum Oppidorum Gnizda et Podolenice, ad Capitaneatum Scepusiensem pertinentium, nomine, ipsos ex antiquissima consuetudine, ratione Decimae manipularis, ex agris Civilibus ab Incolis Civitatum earundem, ad Ecclesiam Scepusiensem provenientibus, juxta contractum cum Capitulo et Praeposito Scepusiensi ea de re factum, in usu et possessione fuisse, tali videlicet modo: Quod iidem Oppidani quisque ex agro suo Decimam manipularem recipiebat, et eandem redimendo, Praeposito Scepusiensi parata pecunia solvere consueverant: Fuisse tamen interdum etc. etc. (per omnia ut supra) Datum Cracoviae die decima Mensis Augusti. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo primo. Regni nostri quarto. Sigismundus Rex m. p. (L. S. R.) Mathias Pstrokonski Secretarius Regiae Majestatis m. p.

CCCXXIX.

Idem Rex, Margarethae Zerkovitz viduae Tertiam mensuram molendini, apud Oppidum Vetero Lublo habiti, ad dies vitae possidendam concedit. Anno Dni 1592.

Ex autographo ejusdem in Tabulario habito.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: Quia Nos commiserationem habentes honestae Margarethae, relictae honesti olim Stanislai Zerkowitz, possessoris vigore juris sui quaesiti, tertiae mensurae Molendini apud Oppidum nostrum Lubowla, quondam per honestum Stephanum Molendinatorem Lubowliensem possessi, quae viro suo orbata, aegre se cum liberis suis sustentare possit, conservandam et relinquendam duximus, uti quidem conservamus et relinquimus hisce praesentibus nostris literis, ita videlicet: quod praedicta Vidua eam ipsam tertiam mensuram molendini praedicti nostri, superius recensiti cum omnibus suis pertinentiis, fructibus et commodis universis ad id spectantibus, quemadmodum a praedicto marito suo possidebantur, et ipsa habebit, tenebit et possidebit, iisque utetur et fruetur integre, quiete et et pacifice, ad extrema, usque vitae suae tempora. Promittimusque pro Nobis et Serenissimis Successoribus nostris, quod quamdiu praedicta Margaretha vixerit, nemini ad redimendam et amovendam illam a possessione et usu praedictae tertiae mensurae consensum nostrum dabimus, nec Nos ipsi eam inde licet ardua, quacunque nostra et Reipublicae necessitate, id ipsum exposcente, redimemus, neque Serenissimi Successores nostri id ipsum facturi, faciendive potestatem cuiquam daturi sint. Porro post decessum illius, non prius inde Successores sui condescendere debebunt, donec summa pecuniaria ex eadem tertia mensura, legitime competens ipsis, plenarie persoluta et numerata fuerit, juribus nostris regalibus et Reipublicae oneribus debitis et consvetis, ibidem semper manentibus salvis. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri consignari mandavimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni nostri generalibus, die vigesima quinta mensis Septembris. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo secundo. Regni vero nostri quinto. Sigismundus Rex m. p. Christophorus Ilmanovski m. p. (L. S. Regni.)

CCCXXX.

Idem Rex quandam silvam Leibitzensibus assignatam ratihabet. Anno Dni 1596.

Ex autographo apud eosdem habito.

SIGISMUNDUS tertius, Dei gratia Rex Poloniae etc. significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis: allatas et productas fuisse nomine subditorum nostrorum Civium Leibiczensium de Scepus, literas pargameneas, divae memoriae Serenissimi Principis, Domini Andreae, Hungariae Regis sub titulo ejusdem emanatas, continentes in se confirmationem litterarum Comitis Scepusiensis, quibus certam silvam Civibus Leibiczensibus idem Comes concessit, et limitibus distinxit, salvas, non rasas, nec vitiatas, licet sigillum in serico appensum quadam ex parte, ut apparet, vetustate et putredine atritum et fractum sit. Supplicatum est nobis ipsorum nomine, ut eas literas authoritate nostra Regia approbare, confirmare et ratificare dignaremur. Quarum tenor de verbo ad verbum descriptus is, qui sequitur est:

Andreas Dei gratia Rex Hungariae etc. V. Dipl. XVI. 1295. pag. 20.

Nos itaque Sigismundus tertius, Rex praenominatus supplicacioni ejusmodi nobis factae benigne annuentes, praeinsertas literas approbandas, confirmandas et ratificandas duximus, uti quidem, quantum Nobis juris rationes permittunt, et si in usu eorum dicta Civitas hucusque est, authoritate nostra Regia approbamus, confirmamus et ratificamus in omnibus et singulis eorum punctis, clausulis, conditionibus et articulis hisce praesentibus literis, ipsasque vim et robur dictae et perpetuae firmitatis semper obtinere debere, atque ab iis, quorum interest, observari, volumus et decernimns. In cujus rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, et Sigillo Regni nostri consignari mandavimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni generalibus die vigesima Mensis Aprilis. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Polonici nono, Svecici tertio.

Sigismundus Rex mp. Chrostophorus Ilmanovski mp. (L. S. Regni.)

CCCXXXI.

Protestationales Belensium in causa Violentiarum. Anno D. 1596. *Ex autographo ibidem habito.*

NOS Capitulum Ecclesiae Scepusiensis, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod circumspecti Antonius Faber et Matthaeus Roth, Cives jurati, nec non Joannes Weissenberger, Notarius Oppidi Bela vocati, unius videlicet ex Tredecim Oppidis, in hoc Scepusiensi Comitatu existentis, Regno Poloniae, ut notum est, oppignoratis, coram Nobis personaliter constituti, nominibus et in personis Mfici Dni Sebastiani Lubomirski, Supremi Capitanei, Joannis, Lodzinski, Vice-Capitanei Arcis Lubloviensis, et praefatorum tredecim Oppidorum, et praesertim Belae antenotati, per modum solemnis protestationis et gravis querelae Nobis significaverunt, et retulerunt in hunc modum: Qualiter Feria sexta proxima ante Festum Nativitatis beati Joannis Baptistae, recens transactum, Perillustris Georgius Horvath de Paloczya, nescitur unde motus, quave consideratione animi ductus, per suos homines armata manu invasisset montem, Kompenschacht vocatum, in territorio privilegiatae saepe dictae possessionis Bela habitum; ibique custodes gregis Magnifici Domini Sebastiani Lubomirski, una hora et dimidia circiter ante ortum solis oppressisset, adhuc ex inopinato dormientes, eosdem plurimis vulneribus et diris plagis affectos, nec non sclopetis trajectos, et vestimentis frameis, ac septem bombardis spoliatos, partim abegisset, partimin fugam vertisset, partim semivivos reliquisset, partim denique interfecisset. Tobias enim Schlosser, et Blasius Schuster mortui, Christophorus vero Waghxgering, Joannes Mauritius, et Andreas Damianus Fenisch semivivi domum, in Oppidum videlicet saepe nominatum Bela, cujus incolae fuerant, aliis in diversa loca se se abripientibus, quo utique metus suadebat, reportati fuissent; neque vero his omnibus idem Generosus Georgius Horvath contentus fuisset, sed insuper tertio die, post hoc factum, rursum per homines suos ejusdem Oppidi saepe dicti Bela incolas numero duodecim, utpote Philippum Pumps, Adamum Polsch, Bartholomaeum Clementis, Thomam Müller, Ambrosium Thulem, Blasium Raben, Georgium Valentini, Adamum Hertzogh, item quatuor alios, nempe Thomam Michaelis Schmitz, Christophorum Elisabethae relictae quondam

alterius Christophori Burcz, Jacobum Galli Laurentii, Joannem et Paulum Petri Hortzogh vocatorum servitorum, bene notos, victualia consveta ad gregem et locum supra nominatum, praelibati Magnifici Sebastiani Lubomirski Capitanei deferentes, in itinere penes montem, Slyrimberg vocatum, in territorio ejusdem Oppidi Bela habitum, violenter et armata manu invasissent, victualibusque praetactis una cum saculis, in quibus ea deferebantur, spoliassent, et tres primos Cives, ex nunc nominatos, etiam diris verberibus affecissent, potentia mediante, via juris sine omni, in praejudicium et derogamen honoris, et jurium ipsorum protestantium manifestum, damnumque valde magnum. Unde iidem memorati protestantes injuriam hujusmodi sibi irrogatam, damnumque illatum, via juris cum debita ulcisci volentes, praehabita hujusmodi solenni protestatione coram Nobis, literas nostras protestationales sub Sigillo nostro Capitulari superinde, jurium suorum futuram ad cautelam, per antedictos circumspectos Antonium Fabrum, Matthaeum Rotth, et Joannem Weissenburger sibi a Nobis elargiri, debita cum instantia postulaverunt. Quas Nos eisdem dandas duximus et concedendas, imo dedimus et concessimus, communi svadente justitia. Datum Feria tertia infra octavam supra memorati Festi Nativitatis beati Joannis Baptistae. Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto.

CCCXXXII.

Paria literarum Territoria Oppidi Bela, Hobgart et Plawnicza Possessionum tangentia. Anno Dni 1596.

Ex autographo Belae habito.

NOS Adam Rosen de eadem Rossnow, Martinus Litoslawski, Joannes Ottwinowski, Director metarum terrae Bitchensis, ac Stephanus Kazimirski de Lipnicze, Serenissimi Principis Dni Sigismundi Tertii, Dei gratia Regis Poloniae et Sveviae, Magni Ducis Lithvaniae etc. Ac Nicolaus Dersöffy de Szerdahely, Comes Comitatus Hontensis, ac Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliarius, Sigismundus Pacholt de Beöky, Georgius Bornemisza de Kalno, ac Christophorus Darholtz de Finta, Spectabilis ac Magnifici Dni Christophori a Tiffenbach, Majestatis Caesareae Consiliarii, et partium Regni Hungariae superiorum Generalis

Capitanei etc. in Scepusium delegati Comissarii, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod, cum Nos Feria secunda proxima post Festum Sancti Laurentii Martyris, in faciebus locorum litigiosorum convenissemus, ac ratione certarum metarum et pascuorum, primo inter Oppidum Bela, Regiae Majestatis Polnorum, et Castrum Dunajecz Generosi Dni Georgii Horvath de Palo*chi*a in monte Carpatico sitorum, Komperschacht et Tokornya cognominatorum, quae quia loca et pascua supra nominata, jam a longo tempore in certamine et usu injurioso et damnoso, ac etiam cruento, non sine jactura juris et justitiae partium, hactenus extitissent: simili modo etiam inter possessiones Hobgarth, ab Arce L*i*blo et Plawnicza a Castro Palo*chi*a, ratione cujusdem particulae terrae, inter dictas possessiones habitae, utrinque comparuissemus, volentes Commissioni, juxta nobis datam instructionem et plenipotentiam satisfacere, ut jam tandem loca ipsa litigiosa per discussionem realem et juridicam, etiam de proprietate per Nos agitari et finiri potuissent: animadvertentes tamen, et intra nos bene ruminantes, praefatam commissionem et literas plenipotentiales, non ex omni parte fore sufficientes et vigorosas, ut de proprietate et reali discussione rei mederi absolute potuissemus; ne tamen iterum in praefatis locis litigiosis majora mala et sanguinis effusiones oriantur, et per partes admittantur, praenominata loca litigiosa et silvam dictam, parti utrique firmiter interdicendam statuimus et decrevimus ita, ut ea loca neutra partium clam vel manifeste invadere, uti, attentare audeat; signanter vero usque Festum Sanctae et Individuae Trinitatis proxime adfuturum, aut alium aliquem terminum, qui Majestati Caesareae et Serenissimo Regi Poloniae, pro continuanda commissione, et reali revisione metarum denominandus placuerit. Nihilominus tamen ipsae ambae partes, tam Mficus Dnus Sebastianus Lubomirski, Castellanus Malagoczensis et Capitaneus Libloviensis, quam etiam Dnus Georgius Horvath de Palo*chi*a, pro termino, per Nos superius praefixo, Commissione plenipotente, apud Majestates suas, Principes nostros clementissimos sollicitare et efficere teneantur, et sint adstricti; atque omnia et horum singula sancte et inviolabiliter observanda, et per suos observari facienda, idem Dnus Sebastianus Lubomirski, ac Georgius Horvath manu stipulata se se coram nobis obligarunt, et astrixerunt. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum, sigillis nostris et manuum subscriptione roboratarum mediante. Datum in Territorio Hobgartiensi decima quinta die mensis

Augusti, Anno Dni Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. (L. S.) Adam Rozen a Rossnow. (L. S.) Martinus Litoslawski. (L. S.) Nicolaus Derseöffy. (L. S.) Sigismundus Packiolt. (L. S.) Georgius Bornemisza de Calno. (L. S.) Christophorus Darholtz de F*ï*ntha. mp.

Budae, 13-a Julii 1806.

Imprimatur

JOSEPHUS BERESEWICH

Revisor Librorum ad Excels. Cons.

Reg. Locumt. Hung.

EMENDANDA.

Pag	linea		lege	
1	26	gubenium	„	gubernium
24	23	consum	„	censum
33	31	perambulait	„	perambulavit
42	15	Tenchen	„	Trenchen
75	9	portinentibus	„	pertinentibus
90	26	discripti	„	descripti
92	28	antiguum	„	antiquum
95	11	praeterirerent	„	praeterirent
96	2	1434	„	1344
104	4	fllii	„	filii
117	20	quasdem	„	quasdam
120	28	reportata	„	reportatae
125	22	quadrigentas	„	quadringentas
129	2	Rapusiensi	„	Ragusiensi
136	33	qarum	„	quarum
138	26	cucessoribus	„	successoribus
146	19	Romae	„	Ramae
147	27	praesentati	„	praesentanti
150	17	quadrigentesimo	„	quadringentesimo
157	26	juris	„	juribus
168	4	nostra	„	nostrae
168	5	Hanck	„	Hank
174	12	quinqaginta	„	quinquaginta
179	24	tentendo	„	tendendo
182	16	mercionalibus	„	mercimonialibus
182	19	patroninio	„	patrocinio
183	11	Civitatemque	„	Civitatumque
183	31	mercionalibus	„	mercimonialibus
184	18	Romae	„	Ramae
187	18	Zthoyanfalfa	„	Zthoyanfalva
190	10	porsus	„	prorsus
192	2	1413	„	1412
195	1	quandem	„	quandam
195	16	continue	„	continuo
198	26	ANALITATI	„	AMICIS
200	18	et	„	de
221	28	praemitatur	„	praemititur
227	12	resignetur	„	resignentur
227	25	nostri	„	nostra
231	11	Rorusz	„	Rokusz
237	19	quaringentesimo	„	quadringentesimo
257	21	Cumanorum a)	„	Cumanorum
258	10	declarae	„	declarare
259	2	utilitatis	„	utilitatibus
259	13	liberatorium	„	literatorium
265	34	Schvabocz	„	Svabocz
265	27	Pogragh	„	Popragh
276	18	authographo	„	autographo (ita semper).
281	30	annalem	„	annualem
296	35	ae	„	ac
299	29	constitetit	„	constiterit
304	30	Circumspectio	„	Circumspecto
309	29	obnegavit	„	abnegavit
312	10	Domino	„	Dominio
330	14	senitate	„	sanitate
334	16	Daum	„	Datum
336	27	Anni	„	Anno
342	1	Lócse	„	Lőcse

Pag.	linea		lege	
342	27	etiam num	„	etiam nunc
350	5	existent	„	existunt
350	26	sd	„	ad
351	36	Civiam	„	Civium
359	2	pvoximo	„	proximo
364	18	do	„	de
373	15	ae	„	ad
375	13	Capituli	„	Capitulo
379	5	1541	„	1545.
379	24	Dei	„	De
386	18	Civitates	„	Civitatis
389	16	illae	„	illac
395	32	c ntinebant	„	continebant

Pag.	linea		lege	
396	15	et	„	est
420	27	Dpisc	„	Episc.
432	12	do	„	de
445	9	iibertas	„	libertates
463	17	Lnblyovenses	„	Lublyovienses
482	23	difffcultatibus	„	difficultatibus
484	13	Scepusiensis	„	Scepusienses
488	33	quoqe	„	quoque
488	20	Trinitalis	„	Trinitatis
488	31	temporalium	„	temporalem
507	2	ne	„	nec
534	15	1457	„	457